Digitized by Google

Digitized by Google

N° 3, 2

JOANNIS
GENESII SEPULVEDAE
OPERA.
VOLUMEN TERTIUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS
GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
OPERA,
CUM EDITA, TUM INEDITA,
ACCURANTE
REGIA HISTORIAE ACADEMIA.

VOLUMEN TERTIUM.

MATRITI.

EX TYPOGRAPHIA REGIA *DE LA GAZETA.*
ANNO M.DCC.LXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS OPERUM

JO. GENESII SEPULVEDAE,

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I. Summarium librorum VII. de Rebus Hispanorum gestis ad novum Orbem, per singulos libros et capita ab editoribus digestum, a pag. I. ad XXVI.

II. Jo. Genesii Sepulvedae de Rebus Hispanorum gestis ad novum Orbem Mexicumque libri VII. a pag. 1. ad 244.

III. Index rerum memorabilium in libros VII. de Rebus Hispanorum gestis ad novum Orbem, ab editoribus digestus.

IV. Summarium trium librorum de Rebus gestis Philippi II. Regis Hispaniae, ab editoribus digestum.

V. Jo. Genesii Sepulvedae de Rebus gestis Philippi II. libri III. priores octo Regni ejus annos complectentes, sive historiam ab anno M. D. LVI. ad M. D. LXIV. a pag. 1. ad 174.

VI. Index rerum memorabilium superiorum III. librorum.

VII. Jo. Genesii Sepulvedae Epistola ad Melchiorem Canum Doct. Theol. a pag. 1. ad 20.

VIII. Melchioris Cani duplex responsum, a pag. 21. ad 39.

IX. Jo. Genesii Sepulvedae Epistola altera ad eumdem, a pag. 40. ad 70.

X. Jo. Genesii Sepulvedae Epistolarum libri VII. a pag. 71. ad 389.

XI. Joannis Fernandez Franco notulae Hispano sermone exaratae ad libros VII. Epistolarum Sepulvedae, a pag. 399.

XII. Index I. Auctorum, quis, cui, et quoties, scribat, commonstrans.

XIII. Index II. Epistolarum secundum ordinem tum in has, tum in Salmanticae et Coloniae editionibus observatum.

XIV. Index III. rerum et verborum memorabilium in omnibus hisce Epistolis contentorum.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA, QUAE HUIC VOLUMINI IRREPSERUNT.

VII. libris de novo Orbe.

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
33	5	ipsum	ipsam
36	4	Vrajanos	Durajanus
57	7	vexilis	vexillis
71	22	insulam	insulani
95	25	hihil	nihil
126	20	ampllus	amplius
138	17	prunae	pruna
159	1	si ,	si
189	18	Hispanis ,	Hispanis
193	17	Ovandus	Sandovalus
214	11	delitiarum	deliciarum
226	22	presidio	praesidio.

III. libris de rebus gestis Philippi II.

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
13	26	policitis	pollicitis
23	1	affiuit	affuit
29	2	coepit	cepit
35	30	possuit	posuit
42	26	faturos	facturos
46	15	milibus	militibus
53	13	levi	leve
67	1	Melitem	Meliten
91	12	cum	cura
92	6	harum ,	, harum
96	30	produnt	prodeunt
103	5	somnium	somnum

VIII. libris Epistolarum.

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
33	5	rediviae	redivia
69	15	disserencium	disserentium
105	2	Besi	Etsi
171	3	Pinciano	Pintiano
172	1	pertinacae	pertinaciae
322	2	ibque	ibique
336	10	soluti	saluti
337	31	) Alia	). Alia
343	6	JOANNE	JOANNES
350	6	Jacobi	Jacobo

Digitized by Google

SUMMARIUM

LIBRORUM VII. DE REBUS HISPANORUM GESTIS

AD NOVUM ORBEM

PER SINGULOS LIBROS ET CAPITA AB EDITORIBUS DIGESTUM.

LIB. I.

I. Orbis terrarum in quinque plagas divisio. Scytharum Hispanorumque navigationes. Fernandi Gonzali Ovieti in earum historia Hispanice scribenda singularis diligentia. Auctoris denique propositum earumdem rerum memorabilium summam Latinis litteris persequendi.

II. Anno Christi nati M.CD. XCII. Granata recipitur; Judaei Hispaniae finibus ejiciuntur; et ad ignotas et remotissimas gentes Hispani navigant duce Christophoro Colono, qui a Lusitano quodam naufrago illius navigationis indicia cognoscens, frustraque Lusitaniae et Britanniae Regum animis tentatis, ad Fernandum tandem et Isabellam Hispaniae Reges se convertit. Hi naves tres rebus omnibus instructas ad novam et inauditam expeditionem cum Almiranti titulo ipsi attribuunt.

III. Colonus ex *Palis* oppido ad oram Oceani cum tribus Pinzonibus fratribus solvens Fortunatas insulas appellit, quarum situs, ubertas et pacatio summatim describuntur.

IV. Arboris in *Ferrea* insula aquam omnibus animantibus sufficientis portentum. Ejusdem phaenomeni physica explicatio.

V. Ex insulis igitur Fortunatis digressa classis trigesimo jam die fertur, nulla terra conspecta. Hispani itaque Coloni temeritatem accusant, et in patriam reditum per minas postulant. Ille animos lenit, et tridui spatium petit. *Guanabania* insula tandem prospecta.

VI. Hinc *Cubae* appellit, et ex *Baracoae* portus indigenis *Hispaniolae* magnitudinem divitiasque cognoscit. Portum *Regalem* subeunte classe, praetoria navis saxo impacta disjicitur.

VII. *Caribum* inhumani mores. Horum timore diffugientes Barbaros nostri insectantur, qui de comitate nostrorum per fe-

Digitized by Google

feminam interceptam, deinde dimissam certiores facti, ad naves confluunt cum *Guacanagaro* Regulo.

VIII. Amicitia cum eo firmata, Colonus in Hispaniam redire constituit triginta octo hominibus in insula relictis cum Roderico Arana praefecto, turri etiam in littore aedificata et munita. Martinus Pinzon consilium improbat, et a Portu Regali cum navi digreditur, sed non multopost cum Colono redit in gratiam.

IX. Is paucos illos Hispanos Guacanagaro commendat; et decem ex Barbaris adductis, cursum in Hispaniam propter *Azorias* dirigit.

X. Magnetis vis et usus ad septentrionem navigationibus ostendendum. Acus nauticae declinatio ubique, nisi sub meridiano circulo, cui subjacent *Azoriae* insulae.

XI. Earumdem insularum situs, et a Gadibus distantia. Colonus redux a Regibus magna cum laetitia et admiratione excipitur. Barbarorum ab eo adductorum brevis adumbratio. Ipsis baptismus datur, Regibus patrini et matrinae officia praestantibus.

XII. Alexander VI. Pontifex Maximus Fernandi Regis consilium Barbaros in ditionem redigendi per diploma probat, ut commodius ad Christianam Religionem Evangelica praedicatione inducantur. Id juri naturae, Ecclesiae decretis, piorum Principum exemplis, et Philosophorum doctrinae consentaneum esse, auctor, ut in aliis operibus, in hoc quoque pro virili contendit.

XIII. Quod hic etiam loci facere pergit, sui operis de *justis belli causis*, et *Apologiae*, illiusque notissimae disputationis Valdoliti habitae haud obscure injecta mentione.

XIV. Colonus cum classe decem et septem navium Gadibus jussu Regis denuo solvit, et in insulam tandem *Guadalupi* descendit. *Caribum* fuga.

XV. Ad insulam Sanctae Crucis aquandi gratia in anchoris Hispani consistunt. Barbarorum navicula sese ostendit, qua viri octo, et totidem feminae vehuntur, primoque impetu unum ex nostris vulnerant, alterum occidunt; sed omnes fere ad extremum a nostris capiuntur.

XVI. Multis insulis transmissis, ubi *Hispaniolam* Colonus attingit, certior fit de Hispanorum omnium ibi relictorum internecione. Goacanagari simulatio et fuga.

XVII. Colonus nova urbe et ar-

Digitized by Google

arce constitutis, ad alias terras investigandas proficiscitur. Barbarorum fraus ad Hispanos fame opprimendos. Luis venereae, seu morbi Gallici origo.

XVIII. Michaël Diazius vulnerato commilitone ad fluvii Ozamae ripam frumentariam et amoenam profugit; quo princeps mulier vico imperitans, Michaëlis amore capta, Hispanos ad urbem Isabellam, reliquos ad se evocat, qui urbem *Sanctum Dominicum* ex altera fluminis parte condunt.

XIX. Colonus alterius Continentis bonam partem, et insulas adjacentes, oram legendo, oculis lustrat, atque in *Hispaniolam* redux severius in suos imperium exercet; unde magna inter ipsum et Builum Monachum Benedictinum exorta seditio.

XX. Uterque, atque etiam Petrus Margaritus Regum jussu in Hispaniam evocantur Reges. Coloni se purgantis excusationes accipiunt, et ad humanitatem cohortati ipsum ad imperium inceptumque redire jubent.

XXI. Almirantus in *Promontorii viridis* insulas progressus, ad *Trinitatis* insulam defertur; aliisque insulis transmissis, in urbem *Sanctum Dominicum* tandem pervenit.

XXII. Interea Caonabus Regulus Hispanorum arcem obsidet, donec copias abducere cogitur. Deinde per speciem colloquii nostros suorum multitudine circumventos concidere statuit; sed fraude detecta capitur, et in Hispaniam missus cum fratre in itinere aegritudine animi, conficitur.

XXIII. *Hispaniolae* Reguli quatuor praeter Caonabum. Hi omnes Caonabi cladem aegre ferentes, externos hostes pellendos decernunt. Eorum princeps Guarionexus coacto exercitu in Hispanos movet, qui cum Bartholomaeo Colonio in Conceptionis castellum convenerant.

XXIV. Bartholomaeus Colonus copias in hostes somno gravatos immittit, eosque in effusam fugam conjicit, capto ipso Rege Guarionexo. Totius insulae deditio. Guarionexo libertas datur.

XXV. Per hanc victoriam Hispani in vitia et libidines prolabuntur, praesertim quidam relegati, in quibus coërcendis severius agens Bartholomaeus Colonus a Praetore dissidet, qui in interiorem insulam secedit.

XXVI. Almirantus in *Hispaniolam* redux victos Barbaros vectigales facit, et Sacerdotum Monachorumque cura in Christianam Religionem brevi omnes inducuntur. Hispani nonnulli, non ut clientes, sed ut servos prae-

ter Hispaniae Regum voluntatem Barbaros eorum fidei commissos tractant.

XXVII. Aurifodinae in *Hispaniola* ditissimae. Barbari partim laboribus, partim morbis, voluntariaque morte ex decies centenis circiter millibus ad vix quingentos rediguntur. Hispaniae Regum dolor cognitis eorum injuriis. Severitatis Colonorum fratrum excusatio.

XXVIII. Christophorus Colonus cum fratribus rursus apud Reges variis criminationibus insimulatur. Quamobrem Franciscus Bovadilla in *Hispaniolam* missus, ut eis succedat, tres Colonos fratres vinculis astrictos in Hispaniam deportari jubet. Ad Gades expositi, et in custodiam traditi jussu Regum liberantur.

XXIX. Bovadillae Nicolaus Ovandus succedit. Ille naves solvens, frustra dehortante Colono, qui Regum voluntate ad novas terras investigandas in *Hispaniolam* reverterat, naufragio perit cum Antonio Torre et Roldano Ximene, et cum omnium fere triginta navium jactura.

XXX. Ovandus *Higuejae* regionis Barbaros tumultuantes compescit; et Regulorum conspirationem metuens, eos ad quadraginta per colloquii simulationem ad se vocatos, domique conclusos, igne aedibus admoto, nefaria crudelitate comburit.

XXXI. In Anacanoam et ejus propinquum Guaorocujam capitaliter animadvertitur. Plures Provinciae pacantur, bellumque sexto tandem post mense duce Jacobo Velasque conficitur.

LIB. II.

I. *Boriquennae*, seu *Sancti Joannis* insulae situs et ubertas. Hanc Joannes Pontius in ditionem redigit, qui, Jacobo Colono cum imperio tituloque Proregis in *Hispaniolam* reverso, et Magistratibus in Boriquennam ab ipso submissis, ad pristinam tamen dignitatem, et insulae praefecturam non multo post Regio decreto restituitur.

II. Boriquennenses labore intolerabili colligendo atque effodiendo auro fatigati, ad defectionem compelluntur; sed dubitantes, num Hispani Deorum genus essent, an mortalium, id altissima aqua immerso *Salcedo* quodam explorant.

III. Regulus alter eodem consilio Petrum Xuarem proposito praemio suis tradit, ut quo mortis genere libeat, trucident. Salazarus de Xuaris amici periculo admonitus advolat, eoque vinculis soluto multos Barbaros confodit; foedus denique Barbaricis cae-

caerimoniis cum Regulo sancit.

IV. Barbari, explorata Hispanorum mortalitate, dieque internecioni constituto, hospites per insulam dispersos trucidant. Guarionexus Regulus Sotomajorem coloniam invadit, quam Salazarus servat conjectis in fugam hostibus. Hispanis, qui superfuerant, coactis Salazarus a Pontio praeficitur, qui Mahodemocae Reguli copias fundit fugatque.

V. Joannes Pontius octoginta Hispanos in undecim amplius millia hostium inducit, et intra teli jactum castra ponit. Barbari tali virtute, et principis viri casu deterriti pedem referunt, et nostris data opera non insectantibus, in suam quisque domum diffluit.

VI. *Cubae*, seu *Fernandinae* insulae descriptio, et in ditionem redactio. *Cubensium* inhumani et barbari mores.

VII. Ad Cubam insulam Barbari, ut in *Hispaniola*, in clientelas distribuuntur, ac eodem modo nimio labore, aut etiam voluntaria morte plerique pereunt. *Cubaguae* insulae situs, et gemmarum copia.

VIII. Christophorus Colonus cum tertia navigatione ad eam accessisset; margaritarum uncias circiter quinquaginta nugarum permutatione obtinet. Nec abest suspicio ipsum Reges hac de re compendii sui gratia ad tempus celare voluisse; sed Palenses nautae cum Petro Alfonso Nigno in eam insulam navigant, et gemmarum triginta circiter libras in Hispaniam referunt.

IX. Senatus et Tribunal jure consultorum ad *Hispaniolam* constituitur. Franciscus Ximenez Cardinalis, Castellae procurator, Monachos ad eas insulas administrandas mittit.

X. Per id tempus Franciscus Corduba cum duobus sociis tria navigia Cubae comparat, et ex *Sancto Jacobo* solvens in terrae continenti, et *Jucatanae* peninsulae conspectum devenit. Incolarum facies, color, statura, indumenta.

XI. In Provincia *Campeche* oppidum in littore nostri ingrediuntur, appositis cibariis liberaliter accepti. Evangelicae praedicationis vestigia ibi reperta.

XII. Ad *Aguanillam* Provinciam progressi Hispani in terram descendere a Barbaris prohibentur. Barbarorum dolus, et in Hispanos impetus ab his repressus, viginti tamen amissis, et triginta vulneratis. Hispanorum in Cubam reditus.

XIII. Joannes Grisalva quatuor caravelis praefectus *Cozumelae* insulae appellit, possessionemque Joannae Reginae nomine

ap-

apprehendit ; deinde in Jucatanam pervenit, ubi Barbari ad oppidum *Lazari* nulla noctis parte intermissa excubias agitant.

XIV. Grisalva tamen in terram ante lucem descendit, et acie instructa, tormentisque dispositis, in prospectum Barbarorum progreditur.

XV. Per Julianum interpretem indigenam cum Barbaris colloquitur, et aquandi potestate facta circum puteum castra ponit.

XVI. Barbari in castra ventitant, et a nostris munuscula accipiunt. Grisalva Principis fratrem alloquitur. Regulus ipse in castra venire recusat.

XVII. Postridie aquatione nondum peracta, Barbari armati Hispanis, ut abeant, denuntiant, et barbarica caerimonia praelium indicunt, nisi ante consumtam candelam recedant.

XVIII. Candela igne absumta Barbari nostros invadunt. Grisalva tormentorum telis emissis pulsos hostes fugatosque ad silvam insectatur, tribusque vulneribus acceptis receptui canere jubet, et aquationem urget. Qua peracta, etsi legati a Regulo de pace mittuntur, ad naves revertitur.

XIX. Inde in portum *Optatum* quarto die pervenit, ubi quatuor hominibus ad usum interpretandi captis, curandi corpora, et naves reficiendi causa aliquantulum commorati, in magnum flumen incidunt, quo ingens Barbarorum multitudo accurrit.

XX. Mercium mutua permutatio ; et cum Regulo amicitia foedusque initum. Grisalva suum nomen fluvio imponit, quod etiam accipit Regulus.

XXI. Ex illo amne digressus in insulam appellit, quam *Sacrificiorum* cognominat propter humana cadavera pectoribus exemtis, et cordibus immolatis, reperta. Justa Barbaros subjiciendi causa. Jucatana Continentis pars esse judicata.

XXII. Apprehensa insulae possessione, Grisalva Regulum filiumque pacifice salutantes liberaliter excipit. Hispani et Barbari ad permutationes concurrunt. Utrique injuste vel avaritiae et injustitiae, vel rursus stultitiae nomine in permutationibus taxati.

XXIII. Petrus Alvaradus cum aegrotis navi impositis in Cubam insulam remittitur. Grisalva littora legendo navigare pergit, de Continente certiora cogniturus.

XXIV. Sed quinto post die, Antonio Alamino ab ulteriore navigatione dehortante, cursum Grisalva retro flectit, et in Cubam insulam redit.

LIB.

Digitized by Google

LIB. III.

I. INvestigata exploratаque continente, Jacobus Velasques majorem classem in expeditionem mittere constituit, ascito in societatem Fernando Cortesio, qui toti negotio praeficitur. Is, Jacobo deinde rem impedire conante propter suspicionem, in quam ipsi Cortesius venerat, difficultates omnes consilio et industria superat.

II. Coacta igitur XIII. navium classe, et quingentis militibus, paucisque equis impositis, in Jucatanae promontorium *Mulierum* cognominatum defertur; deinde in *Cozumelam* insulam contendit, ubi Barbari tribus oppidis relictis in silvas se abdunt.

III. Cortesius Reguli uxorem ex silva ad se deductam perhumaniter tractat, quae ad conjugem nuntium mittit. Hoc nuntio Barbari confirmati in oppida cum suo Regulo remigrant. Aprorum in insula ingens copia; mellis quoque et cerae magna vis.

IV. Insulae Regulum et viros primarios jucundis munusculis Cortesius remunerat, et per Cordubam interpretem ex vana idolorum veneratione in unius veri Dei cultum traducit.

V. Hic de duobus Hispanis ad Jucatanam captivis certior factus, speculatorii navigii praefecto mandat, ut nuntiis duobus insulanis, quibus epistolam ad captivos dederat, in terram Jucatanam expositis, ipse ad littus sex dies exspectet.

VI. Praefectus, octo diebus frustra consumtis, ad Cortesium redit, qui *Cozumela* digreditur; sed cum classis eodem revertisset, captivorum alter adest, Hieronymus Aguilarius nomine, qui naufragii et rerum suarum historiam Cortesio refert.

VII. Cortesius Jucatanae littora legendo desideratam navim in *Abscondito* portu offendit.

VIII. Ad oram *Tabascae* Provinciae classis consistit. Cortesius cum duabus parvis navibus adverso flumine Grisalvae progreditur. Barbari ex oppido sumtis armis ad ripam conveniunt. Hos Cortesius per Aguilarium alloquitur, rogatque, ut in terram aquandi causa descendere liceat.

IX. Barbari nonnihil commeatus afferentes, se plus suppeditare posse negant, denegata etiam aquandi facultate: Cortesius in insulam fluminis a Barbaris praemonstratam milites exponit, exploratаque fluvii altitudine locum invenit collocandis insidiis opportunum.

X. Trecentis militibus ex classe deductis, ibique occultatis, Cor-

Digitized by Google

Cortesius legatis denuntiat, si sibi oppidum accedere non liceat, se illis invitis in oppidum irrupturum.

XI. Barbari periculi denuntiationem irridentes discedunt. Cortesius, invadendi signo dato, hinc octoginta jaculatoribus, illinc, qui insidiis juxta oppidum substiterant, excitatis, in hostes impetum facit, quos facile in fugam conjicit, captis omnino duobus. His libertatem dat, et ad Regulum mandata.

XII. Postridie legati a Barbaris de pace mittuntur, et cibaria pollicentur. Cortesius postulat, ut eorum voluntate aliquot Hispanorum per oppida cibariorum coëmendorum gratia mittere liceat, et ut Principes ad colloquium veniant.

XIII. Annuentibus legatis, tres octogenorum hominum manus diversas frumentatum ire, ac regionem considerare jubet. Una ex iis a Barbaris ad vicum obsideri, et oppugnari nuntiatur.

XIV. Cortesius statim cum quatuor tormentis et militibus, quos retinuerat, auxilio progressus Barbaros fugat, et in oppidum sese recipit. Postero die quadringentorum hominum agmen in vicum anteire jubet, dum ipse equitatum expedit.

XV. Conserto praelio Hispani ab hostibus ad quadraginta millia circumfunduntur; sed Cortesii et equitum adventu territi Barbari, ad silvas confugiunt. Divus Jacobus equo albicanti insidens et pugnans in praelio apparuisse creditur.

XVI. Captos hostes liberos abire cum mandatis Cortesius jubet. Reguli veniam postulant, se imperata facturos pollicentur, et subsidium adversus finitimas nationes a Cortesio, quando opus esset, petunt.

XVII. Cortesius, brevi oratione ad Regulos habita de veri Dei cultu et natura, de vita sempiterna, aliisque rebus ad aeternam salutem pertinentibus, deque daemoniorum simulacris comminuendis, eos invitat, ut sacris intersint.

XVIII. Barbaris intento animo sacrificia et Christianorum caerimonias considerantibus, Cortesius sermonem de Religione iterat, deorumque statuis comminutis deturbatisque, Crucem opportuno loco constituit, et ad naves redux navigationem in occasum repetit.

XIX. In finibus tandem Mutezumae Regis in anchoris consistit. Conspecta classe, Teudillius Provinciae praefectus ex suis mittit, qui cibaria polliceantur, et quinam sint, sciscitentur. Corte-

te-

Digitized by Google

teſii reſponſio, atque in terram deſcenſus. Qui Corteſius, nequis aurum ex permutatione a Barbaris accipiat, poena capitali interdicit.

XX. Teudillius cum muneribus et cibariis ad Corteſium venit. Is eum rogat, ut Mutezumam de ſuo adventu certiorem faciat ad conveniendi locum conſtituendum. Id ſe Teudillius incunctanter facturum pollicetur.

XXI. Sex aut ſeptem diebus interjectis, Teudillius cum muneribus magni pretii a Mutezuma missis adeſt. Addit etiam nuntios proxime profectos ad Regem nondum perveniſſe.

XXII. *Cempoalae* Princeps homines circiter viginti mittit, qui de Corteſio ejusque claſſe cognoſcant. Corteſius ex his Regulum hunc a Mutezuma alienum animum gerere laetus intelligit.

XXIII. Teudillius denuo Mutezumae munera deferens, ejuſdem Regis reſponſa Corteſio exponit, qui eum ab inſtituto ſe adeundi conſilio retrahebat. Corteſio tamen in eo perſiſtente, Teudillius diſcedit, poſtridieque tuguria, quae ante caſtra erant, inania et ab hominibus cibariisque vacua conſpiciuntur.

XXIV. Corteſius cum equitatu et nonnullis militibus vicum pervenit domuum ad ducentarum, in cujus fano deorum imagines repertae, veſtigiaque victimarum humanarum. Hoc et vicinis vicis, unde incolae diffugerant, luſtratis, cum magno commeatu ad naves revertit, a ceteris rebus ad humanitatis et innocentiae documentum et famam abſtinens.

LIB. IV.

I. His rebus geſtis, Corteſius in Regnum Mutezumae animum intendit, ac Jacobi Velaſquis ſocietate poſthabita, ingenioſam rationem comminiſcitur, qua novo jure claſſis ſociorumque praefecturam gerere videatur. Ejus oratio ad milites.

II. Concione itaque ipſi aſſentiente, futurae urbis *Veraecrucis* Magiſtratus et Senatum conſtituit. Continentis terrae poſſeſſionem Caroli Caeſaris nomine apprehendit; deinde ſe imperio abdicat, privatusque in Senatus populique Veraecrucis poteſtatem permittit.

III. Poſtridie Senatus et reliqui Magiſtratus Corteſium rogant, ut praefecturam a civitate publice delatam ſuſcipiat, donec Caeſar de rebus omnibus conſtituat.

IV. Accipit conditionem Cortesius, suo scilicet artificio delatam, ut a Velasque societate discedat. Obiter hic Caroli Caesaris verba ad Cortesium sua merita jactantem, et Cortesii ad eumdem responsio.

V. His rebus constitutis, Cortesius naves in portum contendere, seque ibi exspectare jubet; ipse cum militibus quadringentis per terram profectus, hominibus ad viginti ex Cempoalae popularibus ad se adductis, viam ad ipsorum urbem et Regem sibi praemonstrare imperat. Illis suadentibus, nuntios prius ad Regem mittit.

VI. Urbem ingressis Hispanis Regulus obviam procedit. Cortesius in aedes totius paene agminis capaces cum suis divertit, et, nequis injussu suo domo digrediatur, poena capitali interdicit.

VII. Postridie percunctanti Regulo causam sui adventus reddit, et de Mutezumae tyrannide ab ipso certior factus opem suam ad repellendas injurias eidem pollicetur.

VIII. Discedens sex virgines dono datas, sua sibi sumta, amicis distribuit.

IX. In proximum oppidum praemunitum divertit, et cum ejus Regulo de Mutezumae tyrannide mutuo verba facit.

X. Interea tributorum exactores a Mutezuma missi magnum timorem Regulo et Proceribus incutiunt. Cortesius, ut eorum animos confirmet, exactores comprehendi, et in vincula conjici jubet.

XI. Regulus, quod jussus est, facit. Cortesius duos ad se silentio latenterque adductos, quasi rerum ignarus, quinam essent, percunctatur, et quam ob causam in vincula conjecti. Illi sese ignorare dicunt, misericordiam tamen et auxilium adversus Barbaros clientes in Mutezumam male animatos implorant.

XII. Cortesius dolorem simulat, et propensam in Mutezumam Regem voluntatem. De Teudillio praefecto queritur, et duos illos ad Regem abire permittit, pollicitus interea se curaturum, nequid gravius in ceteros exactores statuatur.

XIII. Postridie Barbari legatos ad amicos vicinosque populos mittere constituunt, Mutezumae scilicet iram timentes. Cortesius vinctos exactores ad naves custodiendos deduci imperat. Omnis illa maritima ora montanaque regio ad libertatem accipiendam conspirat.

XIV. Inter haec Cortesius in curam convertitur oppidi et ar-

Digitized by Google

arcis aedificandae. Legati a Mutezuma cum muneribus veniunt gratias agentes, et Mutezumae nomine Barbaris clientibus crimen condonantes. Ille benigne audita legatione, liberaliterque pollicitus, Regulum seorsim cohortatur, ut Mutezumae jugum excutiat, et vinctos exactores ipsius Reguli voluntate liberat.

XV. Culuani, qui *Tizapancincae* arcem praesidio occupabant, Cempoalanos fines incursionibus infestant. Cortesius Cempoalae Reguli precibus commotus Tizapancincam movet, adjuncto ipsius et sociorum exercitu. Culuanorum terror et fuga. Cortesius ipse hostibus permixtus arcis portam occupat, et Cempoalanis tradit non sine magna virtutis Hispanorum opinione.

XVI. Ad naves, et coeptum oppidum reversus, quidquid auri et argenti partum erat, viritim distribuit, subducta quinta parte, quae Regio fisco vindicatur. Hanc duobus legatis in Hispaniam ad Regem deportandam tradit cum rerum gestarum commentario et oppidanorum Veraecrucis epistola.

XVII. Sinistri sermones adversus Cortesium in exercitu seruntur. Auctores comprehensi, et paulo post liberati; sed cum ab obtrectatione non temperarent, eorum tandem duos. Cortesius laqueo suspendi, et totidem verberari imperat, atque ita omnes in officio continet.

XVIII. Deinde Mexicum proficisci, et contemtis difficultatibus, periculis et armis tentare statuens, de navibus allidendis prudens et salutare consilium init; quod consilium cum magistris navium occulte communicat. Illi navigiis terebratis, carie corrosa illa esse in vulgus jactant, ita ut facta sint inutilia navigando.

XIX. Sententias exquirente Cortesio, ea tandem probatur, ut rebus expositis, naves deprimantur. Cortesius sociorum haec spectantium dolorem blanda oratione lenit; Petrum Hircium cum CL. Hispanis et magna operariorum Barbarorum turba ad novi oppidi munitionem et administrationem relinquit; et cum ceteris Cempoalam contendit, Reguloque consilium suum communicat, *Veraecrucis* oppidanis commendatis.

XX. Regulus omnes suas opes, et auxilium militare, bajulosque libenter defert, pollicitus etiam obsides. Horum paucis acceptis, et mille praeterea hominibus, Cempoala profectus Cortesius quarto die in *Sicuchimatlam* recipitur. Deinde altissimum montem superat; *Tevixuacanam* pro-

Digitized by Google

greditur, et per vastam, sterilem, et frigore rigentem solitudinem triduo procedit. Regionis illius situs, et temperiei descriptio.

XXI. Solitudine supra memorata egressi Hispani *Zaclotanam*, Regis aedibus insigne oppidum, perveniunt. *Olintecli* oppidi praefecti ad Cortesium responsio de Mutezumae imperii magnitudine, et multis hominum millibus quotannis diis immortalibus immolatis.

XXII. Huc Reguli duo Cortesium salutandi gratia veniunt, qui eum dehortantur, ne se Tascalanis committat, quod Cempoalani suadebant. Cortesius, ex Cempoalanis ipsis quatuor legatis de pace *Tascalam* missis, fines Tascalanorum ingreditur.

XXIII. Quindecim homines gladiis ligneis insito silice peltisque armatos conspicatus, in eos equis citatis invehitur, qui primo impetu duos equos obtruncant; sed instituto certamine Cortesius quindecim illis concisis, in accedentes ceteros Barbaros impetum facit, et quinquaginta nulla sua jactura interficit. Tascalanorum de pace legatio, et Cortesii ad eosdem responsio.

XXIV. Dimissis legatis, et nocte non sine doli suspicione traducta, castra Cortesius movet, et a magna multitudine invaditur. Oblata nequidquam pace, non intermissa pugna Barbari cedere pergunt, eorum centum amplius millibus ad insidias collocatis. Hispani tamen illorum impetum sustinent, et paucis vulneratis, nullo desiderato, ad *Teocanicum* vicum castra muniunt.

XXV. Postridie Cortesius quinque aut sex vicos incendit. Tertio die Barbari ad centum amplius quadraginta millia fortissimorum virorum delectam manum in Hispanos praemittunt. Conserta pugna, et Tascalanis in fugam versis, *Xicotencatlus* copias omnes inducit post quatuor horas. Tascalani desperata victoria discedunt, nemine Hispanorum occiso.

XXVI. Quarto die Cortesius vicos amplius decem diripit. Quinto legati rursus a Tascalanis de pace mittuntur. *Teuctii* Cempoalani de eorum suspecta fide sententia confessione cujusdam Tascalani per intentatam mortem extorta comprobatur.

XXVII. Cortesius hujus oratione cum quinque aut sex aliorum confessione conveniente, eos omnes amputatis dextris ad suos redire jubet. Noctis crepusculo hostilis exercitus bipartitus descendere conspicitur; sed Cortesius hostium consilia prae-

ci-

Digitized by Google

cipit, et confestim cum equitatu Barbaros lacessens adeo magnum terrorem Tascalanis, qui sua consilia patefacta vident, incutit, ut non exspectato Hispanorum impetu in fugam vertantur.

LIB. V.

I. SUmmotis hostibus, Hispani se castris continent. Eorum solicitudo. Cortesius temeritatis palam a suis incusatur.

II. Ejusdem oratio, qua militum animos ad bellum pro Christi religione gerendum confirmat et recreat.

III. Castris egressus, ex equis quinque subito et latente morbo concidentibus, militibusque conturbatis, casum in omen vertentibus, ire tamen pergit, et vicum unum et alterum sine incendio, sed non sine caede capit diripitque.

IV. Deinde Zimpancincum oppidum domorum viginti millium invadit; sed populares nihil propugnare animadvertens, a caede suos et direptione temperare jubet, et oppidanis in suam fidem et amicitiam receptis, cibariaque largiter suggerentibus, in castra laetus regreditur.

V. Mutezuma Cortesium per legatos orat, ne Mexicum ire pergat; et se Hispaniae Regum vectigalem fore ejusdem arbitrio pollicetur. Is gratias agit, et legatos ad Tascalanorum belli exitum rejicit.

VI. Interea Tascalani, belli fortuna saepe frustra tentata, dementiae esse constituunt bellum cum Hispanis gerere. Legatos itaque ad Cortesium mittunt, qui eorum excusationem accipit, illud modo questus, quod fidem prius datam violassent.

VII. Eorum tamen suspectam habens fidem, se stativis continet, donec Tascalanorum precibus exoratus urbem progreditur opulentissimam, in quam magna cum gratulatione recipitur.

VIII. Viginti amplius dies ad Tascalam commoratus rogatur a Mutezumae legatis, ut Chonollam procedat. Tascalani de Mutezumae et Chonollanorum insidiis eum admonent.

IX. Cortesius Chonollam mittit, ut primi civitatis ad se veniant; et missis tribus ex popularibus, se urbem directurum minatur, ni intra triduum primores civitatis mittant; idque Hispane scripta epistola. Chonollani principes adsunt, et de Tascalanorum inveteratis simultatibus queruntur.

X. Tascalani cum Cortesium

a consilio Chololl am procedendi deducere non possent, armati ad centum mille eum comitantur. Chololl am accedens aegre ab eis impetrat Cortesius, ut domum redeant, relicta dumtaxat quinque millium manu.

XI. Postridie urbem magna pompa ingreditur. Insidiarum indicia non obscura.

XII. Cortesius, ab oppidano quodam intentata morte, conspirationem comperit Chololl anis a Mutezuma solicitatis factam. Tum Magistratus et principes civitatis custodiae tradit, et magno impetu in armatos cives irruit. Ingenti strage edita, a direptione tandem desistitur.

XIII. Vinctis Principibus, et Magistratibus veniam deprecantibus, Cortesius duos liberat, quorum auctoritate populares in urbem redeant; et ceteros de fide et officio admonitos liberos quoque abire non multo post patitur. Chololl ani Cortesium omnia ex capsula gubernatoria divinitus conjicere existimant.

XIV. Pacata Cholo lla, Tascalani in eorum gratiam et societatem auctore Cortesio redeunt. Chololl ae situs, fertilitas, et incolarum vestitus et frequentia.

XV. His ad Chololl am gestis, Cortesius cum Mutezumae legatis de Regis injuriis et violata fide vehementer expostulat, unumque ipsorum ad Mutezumam proficisci sinit. Is sexto die cum altero legato, muneribus et mandatis redit, quorum summa erat, Mutezumam Chololl anorum conspirationis nec conscium quidem fuisse.

XVI. Accepta excusatione, Cortesius Mutezumam convenire statuit. Ille per legatos, pergat porro ire, respondet. Cortesius per suos montem fumum et ignem jaculantem explorat, quorum consilio potiorem montuosamque viam alteri, quae Mexicum quoque ducebat, praefert.

XVII. In Mutezumae praetorio ad radicem montium considenti Cortesio legati alii aliique perveniunt, eumque hortantur, ne Mexicum progrediatur.

XVIII. Ille tamen procedit, et paludem intrare per viam manufactam coepit. Ad *Istapalam* urbem Mutezumae frater obviam venit. Mexici arx non longe ab urbe. Ad hanc primores cives Hispanis obvii.

XIX. Ad urbis introitum Mutezuma ipse cum magno comitatu obviam procedit. Cortesius, ne ipsum salutaturus contingat, prohibetur: qui torquem sibi detractum ex vitreis gemmis Regi

in

Digitized by Google

in collum injicit.

XX. Mutezuma duobus aliis aureis torquibus eum remunerat, hospitioque exceptum ex manu prehendens in conclave deducit, ibique ipsi regaliter assidet.

XXI. Mutezumae ad Cortesium oratio, in qua agit de publica persuasione a majoribus per manus tradita, Mexicanos ab orientis, id est Hispaniae Rege originem ducere; quapropter se, quae illius successoris nomine Cortesius imperaret, libenter facturum. Ad haec nonnulla addit, quae ipsius rerum prudentiam et moderationem evincunt.

XXII. Cortesii responsum, quo Mutezumae opinionem auget, Regem Hispaniae progeniem esse illius vetusti Mexicanorum Regis. Hispani magnifice habiti.

XXIII. Mexici, seu *Temistitlanae* urbis descriptio.

XXIV. Templorum, praecipue maximi amplitudo. Barbarorum sacrificia, quorum crudelitate indignatus Cortesius deorum imagines ex sedibus deturbari jubet, frustra eum Mutezuma admonente, ne diis patriis violandis popularium animos offendat.

XXV. Cortesius resipiscere eos aliquando jubet, et ad veri Dei agnitionem et cultum cohortatur, atque annuente Mutezuma Christi ac Virginis Matris imagines reponens, ne victimas humanas amplius immolent, interdicit.

XXVI. Principum ac Procerum aedium et hortorum magnificentia. Mutezumae praetoria. Procerum eorumdem mores et ad aulam Regiam munera. Mutezumae prandia et luxus.

LIB. VI.

I. Cortesius consilium capit cogendi Mutezumam, ut apud se habitet, hinc honestae causae speciem sumens, quod *Qualpopoca Nautellanorum* Princeps auctore Mutezuma duos Hispanos interfecisset. *Nautella* a Petro Hirtio oppugnata, et capta.

II. Cortesius igitur cum Rege expostulat de duorum Hispanorum ad Nautellam caede. Neganti Regi suo jussu id factum fuisse Cortesius jubet, ut sceleris auctores ad se vocet. Mutezuma imperata facit, et simul, cognita Cortesii voluntate, timore ductus in Hispanorum aedes migrat, ibique libera custodia tenetur.

III. Qualpopoca ejusque consiliariis primum negantibus, deinde omnibus una voce in Mute-

Digitized by Google

zumam sceleris culpam conferentibus, Cortesius ferreas compedes Regi injicit, qui conturbatus, et vetus illud vaticinium animo revolvens, Principum suorum, Cortesio quoque et nonnullis Hispanis adhibitis, concilium cogit.

IV. Mutezumae oratio, qua suos hortatur, ut Hispaniae Regis imperata faciant, atque illi tributa conferant, se vectigalem ejus clientemque fore pollicitus.

V. Annuentibus Proceribus, tabellio haec omnia Cortesii jussu excipit, et scripturam instrumentumque ex more conficit. Paucis diebus interjectis, postulante Cortesio, Mutezuma et Proceres ingentem auri et argenti vim Hispaniae Regi ad opera quaedam, ut imperabatur, conferunt.

VI. Interea Jacobus Velasques Pamphilum Narvaëzium cum classe Hispanorumque manu mittit, qui Cortesium vel capiat, vel occidat. Lucas Vascus Aillonus Judex Velasqui frustra denuntiat, ut a suscepto consilio desistat, et classem sequitur, se in pacificationem interpositurus.

VII. Cortesius de Narvaëzii classis adventu per chartas Mexicanorum more depictas certior fit.

VIII. Pamphilus Narvaëzius portum *Sancti Joannis* appellens principes atque praefectos orae maritimae in colloquium vocatos adversus Cortesium instigat, quo sublato, et ejus copiis in potestatem redactis, sibi protinus domum redeundum confirmat.

IX. Lucas Vascus Aillonus pro jure Magistratus Pamphilo denuntiat, ut incepto pernicioso desistat; sed Pamphilus eum comprehendi jubet, et in *Hispaniolam* reduci; deinde nuntios in *Veramcrucem* mittit, qui ab oppidanis capti cum epistolis Mexicum ad Cortesium mittuntur.

X. Cortesii litterae ad Pamphilum Narvaëzium.

XI. Magistratus quoque *Veraecrucis*, qui ad Mexicum aderant, ad Pamphilum conscribunt; verum non multo post Hispani viginti ex *Veraecrucis* oppidanis cum Sacerdote et aliis Narvaëzii nuntiis Mexicum perveniunt. Sacerdoti itaque alteram epistolam ad Pamphilum perferendam Cortesius tradit.

XII. Eodem die certior factus Barbaros omnes orae maritimae ad Pamphilum defecisse, illuc proficisci statuit, Hispanis ad Mexicum relictis Mutezumae commendatis.

XIII. Petro igitur Alvarado cum nonnullis Hispanis ad arcis praesidium et Mutezumae custodiam relictis, ipse cum Hispanis

Digitized by Google

nis lxx. proficiscitur. Ad Chollollam Joannem Velascum obvium habet cum cl. Hispanorum manu; deinde epistolam per Monachum accipit, qua Pamphilus ei jubet, ut ad se veniat, et Provinciam tradat.

XIV. Cempoallam contendenti Cortesio epistola traditur per Pamphili legatos, cum quibus convenit de colloquio inter ipsum et Pamphilum habendum, cui subscribit etiam Pamphilus, sed hujus cognito dolo Cortesius de colloquio recusat.

XV. Desperata igitur pacificatione, Gonzalum Sandovalem praetoris administrum cum octoginta militibus antecedere jubet; ipse cum clxx. subsequitur. Pamphilus cum suis copiis obviam eo procedit, unde Cortesius aberat passuum ad quatuor millia; sed Barbarorum indicio deceptum se ratus Cempoallam revertit.

XVI. Cortesius maxima celeritate usus Cempoallam media circiter nocte pervenit, et turrim, qua se Pamphilus continebat, oppugnat, ipsumque comprehendit, ceteris omnibus non invitis sese in Cortesii fidem permittentibus.

XVII. Interea Mexicani Petri Alvaradi atque ejus militum injuriis provocati eos atque aedes, in quibus castra habebant, invadunt, donec Mutezuma hortantibus Hispanis ex coenaculo sese ostendit, suisque, ut pugna desistant, imperat. Ipsi tamen obsidionem urgent.

XVIII. De hoc Mexicanorum motu, suorumque periculo admonitus Cortesius, copiarum habito censu, Mexicum magnis itineribus contendit. Tescuquum accedenti Mutezumae legatus adest, qui omni culpa in vulgus collata Cortesium orat, ut Mexicum ire pergat.

XIX. Postridie Cortesius omnem civitatem in armis esse a tabellario intelligit. Barbarorum infinita multitudo impetum facit. Cortesius et octoginta amplius Hispani vulnerantur.

XX. Sequenti die Barbaris majore impetu oppugnationem repetentibus, Hispani tredecim tormentis magnam eorum stragem edunt, et eruptione facta pontes quosdam occupant, domosque incendunt: sed sub noctem de pugna fessi in arcem sese recipiunt, vulneratis circiter lx. Deinde tribus bellicis instrumentis, *vineis* scilicet, fabricandis intra arcem continentur, aegre Barbarorum oppugnationem sustentantes.

XXI. Tunc Mutezuma in coenaculum productus, dum suos

alloqui parat, lapide a Mexicanis injecto, vulnus capite accipit, quo tertio post die mortem obit, extraque arcem effertur. Hispani *vineas* aedibus et ponti admovent, sed uno desiderato, et multis vulneratis, re infecta ad meridiem in arcem sese recipiunt.

XXII. Barbari templum occupant et turrim, ex qua Hispanis magnum detrimentum inferunt. Hanc a nostris iterum et tertio frustra tentatam Cortesius ipse cum promtioribus oppugnat, et magna edita strage defensores acriter repugnantes concidit, receptamqne turrim injecto igne demolitur.

XXIII. Insequentis noctis prima vigilia erumpens domos incendit, et prima luce per viam, quam unam hostes integram usque ad continentem reliquerant, quamquam octo aqueis intervallis totidemque pontibus concisam Barbari armatis hominibus compleverant, procedentes Hispani quatuor pontes occupant, et praesidio firmant.

XXIV. Postridie mane Cortesius alios quatuor pontes recipit, et a Mexicanorum ducibus in arcem evocatus cum eis foedus percutit, et pacis conditiones firmat. Vix tamen colloquio dimisso Barbari eosdem quatuor pontes Hispanis nonnullis concisis recepisse nuntiantur: quamobrem Cortesius equum conscendit, et pontes rursus recipit, quibus non multo post ab hostium multitudine rescissis, aegre in urbem revertitur.

XXV. Hispani profectionem et fugam comparantes proxima nocte primum intervallum ponte deportato conjungunt, transeuntque. Cortesius cum equitibus quinque et centum peditibus cetera pontium intervalla transmittunt; ipse cum paucis ad suos revertitur, ut ceteris auxilio sit, donec in terram continentem egressi templum et turrim in colle sitam occupant. Hic habito censu ex Hispanis CL. desiderati sunt, equi XLVI. ex Tascalanis duo amplius millia, et cum his filius et filia Mutezumae.

XXVI. Ineunte tertia vigilia Hispani Tascalam recta contendunt sauciis in medium collocatis; et magna Barbarorum multitudine agmen carpente tertio die in oppidum desertum perveniunt, ubi corpora curant, seque et equos a labore gravique fame reficiunt. Proximo et sequenti die hostibus agmen oppugnantibus procedunt. Cortesius duo vulnera capite accipit; quatuor praeterea Hispani vulnerantur, et unus equus interfici-

citur cum magno Hispanorum dolore, qui ne corio quidem parcunt.

XXVII. Saucios milites partim Tascalani, partim Hispani dorso deportant, sed Cortesius sequenti nocte fulcimenta lignea aptari jubet, quibus saucii nitерentur. Postero die omnium gravissimo ab ingenti hostium multitudine circumventi Hispani animo tamen non deficiunt. Octavo tandem *Gaulipanam* Tascalanae ditionis oppidum perveniunt.

XXVIII. Hic fatigata multis incommodis vulneribusque confecta corpora reficiunt, et triduo post Tascalam ingressi vires et animum recipiunt, sed ita, ut eorum bona pars Cortesium in Veramcrucem se recipere suaderent, quod consilium ipse, ut ignavum et periculosum, coacta concione rejicit.

XXIX. Cortesii oratio ad milites.

XXX. Confirmatis animis Hispani, Tascalanis auxilia liberaliter deferentibus, bellum in Mexicanos renovare parantes *Tepeacanam* aggrediuntur, et capiunt.

XXXI. Ad hujus victoriae famam multa oppida principesque legatos ad Cortesium mittunt, quorum fuit *Guacachullae* princeps, apud quem hostium Culuanorum praefecti diversabantur. Cortesius primum per legatum, deinde per se hoc Chulullae bellum administrare statuit, et in illam urbem proficiscitur.

XXXII. Eo appropinquante Chulullani impetum in Culuanos faciunt, et duces obsessis domibus concidunt. Culuanorum bona pars in castra sese recipiunt. Cortesius eruptionem facit, et hostiles copias, Tascalanorum auxilio adjutus, brevi fugat, bona ex parte delet, et castra diripit.

XXXIII. Ex Guacachulla *Iscuzanam* progreditur Mexicanae ditionis urbem, et praesidio in fugam conjecto duos ex primoribus dimittit, ad suos proficisci jubens, hortarique, ut cum liberis et uxoribus domum redeant.

XXXIV. Deinde ad Mexicum recipiendam tredecim navigiorum materiem ad Tascalam laevigari et aptari, et ad Mexicanae paludis oram comportari imperat; tum ad *Hispaniolae* judicum conventum scribit, et hominum armorumque auxilia petit.

XXXV. Per *Tezmolucam* et *Huaxiocingium Tezcucum* procedit. Quancacucinus Regulus legatos mittit.

XXXVI. Quancacucini discessus et fuga frustra prohibente Cortesio. Contiguorum oppi-

dorum legationes, ingensque Barbarorum terror.

XXXVII. Post diem septimum Cortesius, castris ad *Tezcucum* diligenter munitis, cum parva manu *Istapalapam* contendit. Istapalapani partim per terram, partim naviculis per paludem Hispanos lacessunt, et septum, quo duae paludes erant disclusae, interrumpunt.

XXXVIII. Urbe capta et direpta, jam obscura nocte nihil dum de discessu cogitanti Cortesio interrupti septi, cujus indicia habebat, suspicio animum subit, et receptui canere jubens agmen rapit. Milites vix ex aqua capite exstantes fluentum trajiciunt, quo certissimae mortis periculum vitant.

XXXIX. Cortesius Tezcucum redux frequentes legationes a propinquis civitatibus accipit, totumque eum tractum a Veracruce ad Tezcucum pacatum reddit.

XL. Gonzalus Sandovalus Tascalam mittitur, ut navigiorum materiam deportantibus praesidio sit. Hispanorum vestigia in oppido quodam ad Tezcucum immolatorum.

XLI. Id oppidum Sandovalus ex itinere Cortesii jussu invadit, et nonnullorum ultione contentus ceteris veniam dat; quibus rebus gestis, et bajulorum Tascalanorum octo millibus navigiorum materiam deferentibus, procedit obviam.

XLII. Agminis procedentis ordo, et Tezcucum adventus. Cortesius cum Hispanorum manu, et Tascalanorum triginta millibus *Tacubam* pervenit, quam urbem capit, et Tascalani postridie eam diripiunt atque incendunt.

XLIII. Tacubanis praeliantibus Cortesius significat se cum aliquo viro principe velle colloqui. Barbarorum responsum, qui Cortesio deinde silente, se contemni interpretati Hispanos telis lacessere pergunt. Post sex dies milites Cortesius Tezcucum incolumes reducit, et Tascalani ab eo collaudati, accepta missione, laeti cum hostium spoliis domum revertuntur.

XLIV. Interea Mexicanorum Rex Quatimucius adversus clientes, qui ad Hispanos defecerant, exercitum mittit. Hi per legatos Cortesii subsidium postulant. Ejus jussu Sandovalus cum Hispanorum manu *Guastepecam* contendit, et hostes fundit fugatque.

XLV. *Accapichtlanae* castelli natura muniti expugnatio, et Sandovali Tezcucum reditus. Cortesius duos primarios viros Mexicanos reluctantes ad Regem lega-

ga-

Digitized by Google

gatos de pace, scripta epistola, mittit.

XLVI. Inter haec Sandovalo ad castrorum et coagmentandorum navigiorum praesidium relicto, ipse cum reliqua manu per Chialcenses fines progreditur. Deinde Culuanis finibus appropinquans castellum in altissima rupe situm nequidquam tentat, et receptui canens prope alteram rupem minus praeruptam milites considere jubet, toto illo die nocteque sequente hominibus et equis aqua prorsus carentibus.

XLVII. Postero die Cortesius sumto clypeo pedes procedit, copiis injussis subsequentibus, et rupe occupata, custodes manus tenden es, et mortem deprecantes humaniter tractat, cujus humanitatis exemplo exciti, qui se ad alteram rupem strenue defenderant, ipsi quoque per legatos se in potestatem Cortesii permittunt.

XLVIII. Deinde *Cabunabacam* urbem munitissimam expugnat, ejus principe in clientelam recepto.

XLIX. Hinc per sitientem solitudinem progressus in *Suchimilicum* opulentam urbem in dulcis aquae palude sitam, hostibus repugnantibus, irrumpit. Dum oppidanos rursus oppugnantes ad Continentem usque insectatur, magnum vitae discrimen subit, et se in urbem recipit.

L. Postridie mane ingens armatorum multitudo a Mexico per terram sese ostendit, Hispanorum interfectorum gladios ostentans. Cortesius, quingentis circiter confossis, ad suos in urbem revertit, qui cum ceteris hostibus dimicantes eos fugaverant, et gladios nonnullos recuperaverant.

LI. Die sequenti *Cujoacanam* progreditur oppidum castris ad Mexici obsidionem opportunum. Hinc per viam coementitiam procedens vallo transverso potitur, et viam hanc atque alteram, quae ab Istapalapa Mexicum ducit, armatis hominibus obsessam conspicatus, agmen, regionum et locorum natura prospecta, Tezcucum properanter reducit.

LIB. VII.

I. INterea dum navigia coagmentantur, fossa duodecim pedibus alta, totidemque lata in paludem deducitur passuum duorum millium intervallo dissitam. Cortesius, navigiis in fossam deductis, copias recenset, quarum numerus nova manu ex pacatis insulis advecta non mediocriter erat

erat auctus. Hastarum usus a *Caesare in Commentariis* memoratus, et in obsidione Mexicana ab Hispanis renovatus.

II. Sic rebus comparatis Cortesius nuntios dimittit ad socias et amicas civitates, quae ad diem constitutum amplissima auxilia mittunt. Has copias bipartito divisas tribus praefectis Alvarado, Olito et Sandovalo attribuit, qui seorsim Mexicum obsideant; ipse ad praelium navale cccxxv. Hispanos rerum nauticarum peritos reservat.

III. Alvaradus et Olitus Tacubam progrediuntur. Tascalani acriter cum Mexicanis pugnant. Hispani aquaeductum dulcis aquae interrumpunt; incilia et viarum interrupta loca complent. Quo facto Olitus cum suis copiis Cujoacanam discedit.

IV. Cortesius Sandovalum jubet cum suis copiis Istapalapam proficisci; ipse eodem cum classe ad eam oppidi partem oppugnandam contendit; et non procul inde in terram descendens magna strage aedita ad naves redit, ingenti vi canoarum a Mexicanis ceterisque palustribus oppidis contra classem venientibus.

V. Incredibili felicitate vento Hispanis secundo increbescente Cortesius vela dat, et multis hostium canois depressis, ceteras consectatur. Hoc animadverso Olitus cum suis copiis ex Cujoacana via pedestri Mexicum procedit, vallos transversos expugnat, atque eo progreditur, ubi Cortesius cum classe constiterat juxta duo turrita fana, quibus ille expugnatis, castra ibi constituit.

VI. Collocatis tormentis ferreis, et omni pulvere tormentario casu quodam conflagrante, Cortesius per litteras Gonzalo Sandovalo, quidquid pulveris in ejus castris esset, sibi mitti imperat.

VII. Peracta secunda noctis vigilia, Barbari tum per viam pedestrem, tum per paludem Hispanos invadentes ab eis rejiciuntur. Olitus prima luce Hispanis periclitantibus subsidium mittit. Cortesius via coementitia concidi jussa, et quatuor navigiis in alteram partem adductis, per nauticos praefectos hostilem classem fugat; ipse pontem recipit, vallum dejicit, et hostem in urbem compellit. Sandovalus Cujoacanam procedit, et pugnans vulneratur.

VIII. Deinde eo misso ad viam a Cortesii castris aversam, Mexicum omnibus viis pedestribus commeatu intercluditur.

IX. Cortesius, auxiliaribus copiis

Digitized by Google

piis magna ex parte Cujoacanam rejectis, ac Sandovalo et Alvarado eodem tempore suas singulis copias inducere jussis, in urbem ipse sine equitatu propter loca impedita contendit, navigiis quoque viam utrimque legentibus. Vallum itaque frustra propugnantibus Barbaris occupat, et eos ad pontem alterum et urbem insectatur.

X. Duabus circiter horis praelio consumtis, Hispani nonnulli sese in paludem dejiciunt, et in alteram partem evadunt. Oppidanis fugientibus ceteri Hispani trajiciunt. Cortesius ipse locum implendi opus urget, quo diligentius equitibus via muniatur. Hispani pontem alium ante plateam Regiam occupant, et tormento uno collocato hostes omnes illo loco, et etiam circo sacro submovent.

XI. Ceterum paulo post oppidani a Rege castigati praelio redintegrato Hispanos circo et platea cedere, pedemque tormento relicto referre cogunt; sed tribus equitibus conspectis terga vertunt, atque Hispani circi turrim maximam expugnant.

XII. Vesperi Hispanos in castra redeuntes ingens oppidanorum numerus urget; equites tamen recurrentes injecto terrore illos reprimunt. Eodemque Cortesius tempore, simulque Sandovalus et Alvaradus copiis inductis acriter urbem oppugnant, et se in castra recipiunt.

XIII. Fernandus adolescens Americanus a Cortesio Cuscuci Regulus constitutus quinquaginta circiter millium armatorum auxilium mittit. Utumiensibus milites imperantur. Cortesius septem sibi retentis terna navigia Sandovalo, totidemque Alvarado attribuit, eosque de tempore renovandae oppugnationis admonet.

XIV. Tum copiis in urbem inductis omnia usque ad plateam Regiam occupat, et magnum detrimentum terroremque oppidanis infert per vias obequitando.

XV. Interea Hispani Regias aedes binas domosque plurimas incendunt, et die jam in noctem praecipite Cortesius, Alvaradus et Sandovalus in sua quisque castra, oppidanis intolerantius urgentibus, se recipiunt.

XVI. Istapalapae, Culuacanae, et aliarum urbium oppidani, multis incommodis afflictati a Chialcensibus Hispanorum sociis, sese per legatos dedunt.

XVII. Cortesius eisdem in suam fidem receptis domunculas ad castra aedificare jubet, commeatus et canoas suppeditare, hostiumque domos incendere, et copias in urbem iterum atque ite-

Digitized by Google

terum inducit, pontibus numquam antea occupatis potitur, et foſsas implet.

XVIII. Inter haec Alvaradus oppugnationem urgens foſsam occupat, et praesidio depulso eam implere incipit. Oppidani contemta Hispanorum, qui trajecerant, paucitate, impetum faciunt, atque eos in fugam conjiciunt. Tres Hispani interclusi evestigio ad deorum aras immolantur.

XIX. Cortesius suorum casum aegre fert, doletque eo successu hostibus animos accedere, quorum incolumitati pie ac humane prospicere cupit. Itaque territandi causa frequentes irruptiones facit. Mexicani tamen pereunti patriae superstites esse nolunt, praesertim Rex ipse Quatimucius.

XX. Desperata igitur deditione, certioribusque de oppugnationis consilio Alvarado et Sandovalo factis, ingentem exercitum in urbem ad plateam usque inducit. Ibi copias tripartito dividit, ut per tres, quae ad forum venale ferebant, vias diverse ducerentur, illud praefectis omnibus diligentiſsime mandans, nequem locum interruptum vel impeditum post se relinquant.

XXI. Duobus majoribus tormentis ad caput Tacubanae viae collocatis cum octo equitum praesidio, ipse totidem equites ad suae viae initium consistere praecipit, et ad pedes desiliens signa infert.

XXII. Duabus incilibus foſsis occupatis et impletis, vallisque duobus disjectis, sociis succurrit, et valde solicitus, ne antecedentes Hispani, qui jam foſsam trajecerant, intercludantur, illuc procedit, foſsamque male completam reperit. Fugientibus illis frustra inclamat, ut fugam sistant. Pars eorum intercipitur, pars aquis obruitur, nonnulli a Cortesio aliisque Hispanis manibus porrigentibus excipiuntur.

XXIII. Cortesius in curam suis subveniendi totus insistens ab hostibus apprehensus, et jamjam abstractus, a Francisco Olcano ex eorum manibus eripitur; sed mortem paene alienata mente praeoptans, recusansque obstinato animo, simulque ex brachiis apprehensus aegre a Quignonio inde ad suos adducitur.

XXIV. In viam Tacubanam evadens copias quemque suas in plateam placide reducere imperat. Quatimucius Rex quadraginta Hispanos vivos juxta et interfectos, Alvaradi militibus conspicientibus, diis immolat. Praeter-

terae Hispanae gentis ad viginti vulnerantur, et in his Cortesius ipse; ex auxiliaribus mille amplius desiderati; scloppetorum magna pars, et unum parvum tormentum amissum. Cortesius fessos milites in castra reducere maturat, hostibus victoria elatis animis audacius insectantibus. Magna Mexicanorum exultatio. Regis jussu fossae complentur, et nuntii ad Provinciales et Clientes cum duorum equorum capitibus de parta victoria dimittuntur, qui Hispanis dedititios, vicinos suos, incursionibus infestare incipiunt.

XXV. *Quanavacensibus* igitur auxilium deprecantibus Cortesius quamquam in ea rerum iniquitate, tamen per Andream Tapiam Hispanorum manum mittit, qui hostes fundunt fugantque, et ad constitutam diem in castra redeunt.

XXVI. Americanorum non inferior virtus, sed impar praeliandi conditio. Hispani nihil temere deinceps agendum judicant. Cortesius quotidiana paene consuetudine partem copiarum in urnem immittit, praefectis tamen, fossam trajiciant, jussis. *Cbicbimecaclus* Tascalanorum ductor sine Hispanis in urbem irrumpit, fossam et vallum occupat, et magno hostibus illato detrimento in castra revertit.

XXVII. *Otomitlanorum* legati adversus *Matalcicanos* eorum agros populantes auxilium postulant. Ea cura Sandovalo commissa, Hispanorum manu eidem attributa.

XXVIII. Sandovalus Matalcicanos fundit fugatque, eorumque oppidum captum direptumque incendit.

XXIX. Postridie mane arcem ab hostibus desertam esse nuntiatur. Sandovalus in aliud oppidum hostile copias inducit, sed oppidani imperata facere pollicentur. Sandovalus Regulum consolatus, ut ad Cortesium confugiat, hortatur, et idem cum vicinis et amicis agat. Hoc illo diligenter praestante, *Matalcicani*, *Malinalcani*, et *Cuicentes* legatos ad Cortesium de pace mittunt.

XXX. Quibus rebus Hispanorum animi eriguntur, contra Mexicanorum spes minuitur: tamen ad XLV. dies protracta obsidione cibariisque deficientibus et circumjectarum civitatum defectione afflictati nullum ad deditionem inclinati animi signum praebent, quamquam Rex adolescens tres tantum aut quatuor viros ad deliberationes adhibet.

XXXI. Cortesius desperata eorum sanitate de communi amicorum sociorumque Ductorum sententia urbem scindere, urere, demoliri constituit; et fabrorum

Digitized by Google

magno numero congesto copias in eam inducit, simulque navigia bipartita ad rem gerendam contendere jubet.

XXXII. Ad fossam et vallum accedens alteram firmiter implet, alterum pulsis custodibus solo aequat, viasque lapidibus expugnat.

XXXIII. Multis igitur domibus incensis ac dirutis, ex more in castra revertit. Postridie ad circum sacrum processum. Hispani praefecti fossas, et angiportus aquosos implendos curant. Sociorum pars Hispanis permixta cum hostibus acriter depugnat; idque per quinque aut sex dies continenter fit. Appetente nocte copiis in castra redeuntibus a magno Mexicanorum numero insequente vexatis, Cortesius quindecim equitibus ex Sandovali, et Alvaradi castris deductis numerum auget ad XL. Horum XXX. ad castra manere jussis, cum reliquis decem copias in urbem inducere praefectos jubet, se tempore cum reliqua turma affuturum confirmans.

XXXIV. Rebus a praefectis diligenter administratis, Cortesius paulo post meridiem equites ad magnas aedes juxta plateam in insidiis collocat, et turrim suo more conscendit. Post diuturnam pugnam Hispanis jamjam sese recipientes Mexicani urgent. Platea transmissa Cortesius et equites XXX. ex insidiis advolantes in eos impetum faciunt, et quingentis amplius ex fortissimorum et primariorum numero occisis, ceteros in urbem repellunt. Insequentibus diebus oppugnatio urgetur, et forum occupatur.

XXXV. Cortesius conscensa turri vix octavam urbis partem ab hostibus retineri judicat, et oppidanos ex certis indiciis extrema fame laborare. Misericordia itaque, et cupiditate etiam ductus, ne aurum et argentum pereuntibus oppidanis corrumperentur, diebus aliquot oppugnationem omittit, ut spatium daret ad sanitatem redeundi; *trabucum* interea machinationis genus ad terrendos oppidanos in forum comportandum curat; sed nullo deditionis signo apparente, oppugnationem renovare decernit.

XXXVI. In urbem igitur cum exercitu regressus eam feminis et pueris passim vagantibus refertam offendit, a quorum caede socios Barbaros aegre continet. Viris tamen non prodeuntibus per aliquos suorum denuntiat, ut deditionem faciant, quod cum frustra fieret, urbis regionem mille circiter domorum, oppidanorum ad XX. millibus concisis, expugnat.

XXXVII. Insequente die copiis

Digitized by Google

piis in urbem reductis a praelio tamen abstinet legationem de pace cupiens, et sperans. Hoc perspecto, Cortesium per nuntium evocatum, primarii cives ex fossa et vallo rogant, ut mortem ipsis inferre maturet. Ille de Mexicanorum salute desperans nullo dato responso discedit.

XXXVIII. Proceri deinde captivo pollicitationibus persuadet, ut legationem de pace ad Regem perferat. Illum loqui incipientem Quatimucius ad aras immolari jubet, et praelium redintegrari.

XXXIX. Postridie quosdam sibi notos ex primariis civibus trans fossam interrupti pontis conspicatus monet, ut Regem, ne in colloquium venire gravetur, hortentur.

XL. Mexicani renuntiant, Regem negotium in crastinum ad forum venale rejecisse. Postridie Cortesius ad locum constitutum redit; sed ille mutata sententia legatos mittit, qui suam valetudinem et timorem excusent, quos Hispanorum praefectus hilari vultu excipit, apparatuque regio tractat.

XLI. Post prandium nulla a legatis deditionis injecta mentione, eos Cortesius iterum monet, ut suo nomine Regem orent, in colloquium veniat.

XLII. Discedentibus legatis nonnihil recentium cibariorum tribuit. Eosdem munuscula xylinarum vestium duobus post horis Regisque mandata deferentes, monitis et pollicitationibus repetitis, dimittit.

XLIII. Postridie mane legatis renuntiantibus Regem venturum, modo Hispani dumtaxat ad forum accedant, accipit conditionem Cortesius, et in forum venit copiis auxiliaribus ad plateam subsidere jussis: sed Regis adventu tres aut quatuor horas frustra exspectato, perrumpendi signum dat. Auxiliariis immaniter saevientibus, caeduntur oppidanorum omnis et sexus, et aetatis supra triginta millia. Quatimucii Regis stupor ac perturbatio animi.

XLIV. Hispani ab inermium et supplicum caedibus abstinent, et socios Barbaros a crudelitate magnopere dehortantur. Cortesius tetrum cadaverum odorem ferre non valens, rebus ad insequentis diei oppugnationem constitutis discedit. Quo die illucescente copias in forum cum tribus majoribus tormentis reducit. Hic Alvaradum cum suis offendit. Sandovalus ex altera parte prope paludem consistit et invadendi signum exspectat.

XLV. Jam domibus multitudinem minime capientibus multi se in canoas conjiciunt, in primisque Rex ipse Quatimucius cum vi-

Digitized by Google

viris principibus. Cortesius tormenta producit, et reliquam partem urbis oppugnari jubet. Verum quosdam antea primarios conspicatus ad cohortationes redit, utque idem cum Rege agant, obtestatur. *Xivacoi* ducis responsum desperationem prae se ferens. Cortesius sociorum Barbarorum praefecto, uti suos ab inermium caedibus prohibeat, precatus, signum perrumpendi dat, et reliquam urbem celerrime capit.

XLVI. Eodem tempore Hispanorum classis hostilem in suam convertit. Garcias Folguinus Regiam naviculam capit, et Quatimucium ad Cortesium deducit. Hunc gravissima et miseranda oratione usum Cortesius perhumaniter consolatur; sicque Mexicano bello finem inponit obsidionis die septuagesimo quinto, Idibus Augusti anni Christi M. D. XXI.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS HISPANORUM GESTIS
AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER PRIMUS.

I. ORBEM terrarum, quo maria quoque et omnis aquarum moles continetur, veteres mortales in quinque plagas, quas zonas ex similitudine nominare placuit, distinxerunt. Harum mediam solis aestu, duas ultimas coeli cardinibus subjectas, frigoribus inhabitabiles, duas hinc inde interjectas ad animantium vitam temperatas esse prodidere. Nostra vero aetate nullam esse plagam, quam vel frigoris vel caloris excessus faciat prorsus inhabitabilem, quin multis et hominibus et ceteris animantibus incolatur, partim Scytharum diligentia, partim Hispanorum navigationibus exploratum est. Ex Scythia enim docti quidam homines cognoscendi studio in septemtrionibus subjectas regiones, donec ipsis coeli cardo a vertice fieret, penetrarunt, et oppida montesque ac flumina et maria gelu durata in tabula, quam ipsi libenter vidimus, descripserunt: quae ratio eadem sit necesse est regionum alteri cardini subjectarum. Hispani vero navigationibus totum fere orbem, exceptis zonis algentibus, perlustrarunt, dum nova et inaudita Regna novasque Provincias quaerunt, longissime ac latissime Hispanorum Imperium et Christianam religionem dilatantes. Harum rerum historiam, quam Fernandus Gonsalus Ovietus, vir prudens et diligens, copiosissimis commentariis, sed Hispane, pro munere ipsi pu-

Digitized by Google

blice commiſſo perſecutus eſt, nos in maximis noſtris occupationibus rerum memorabilium ſummam perſequemur, ne hanc hiſtoriae partem intactam relinquamus.

ANN.M.CCCC.XCII. II. Multis rebus in Hiſpania inſignis ad memoriam fuit annus Chriſti nati milleſimus quadringenteſimus nonageſimus ſecundus. Etenim hoc anno Granata recepta eſt, urbs Regia, et Maurorum Arabumque Regni ſedes in Baetica; exſtinctumque ipſorum Imperium in Hiſpania, quod ante annos circiter octingentos occupatum, paulatim amiſerant. Praeterea Judaei, qui diutius etiam Hiſpaniam vicatim per urbes incoluerant, Hiſpaniae finibus excedere juſſi ejectique ſunt. Eodem anno longiſſimae ad ignotas et inauditas gentes terraſque navigationis initium a noſtris factum eſt duce Chriſtophoro Colono, Ligure, qui princeps et auctor fuit ſuſcipiendae navigationis, dum indicium fidemque ſequitur hominis cujuſdam Luſitani navigandi periti; qui cum in Britanniam per Oceanum navigaret, navigium, quo cum paucis vehebatur, ſaeva tempeſtate in eas inſulas delatum eſt, quae *Lucajorum* nominantur, quaeque primae occurrunt ex inſulis Fortunatis in Orbem novum novamque Hiſpaniam navigantibus. Hunc cum paucis ſociis in inſulam Oceani Atlantici *Materiae* cognominatam reverſum Colonus, qui forte aderat negotiandi gratia, ut cum Luſitanis verſabatur, uxoremque duxerat Luſitanam, in ſuum hoſpitium aegrotantem recepit, humaneque tractavit; a quo extremum ſpiritum ducente, et hoſpiti gratiam aliquam officii praeſtiti referre volente, rei ſeriem et locorum ac regionum, eoque navigandi rationem didicit. Cumque novas terras genteſque, et magnas Imperiorum ac divitiarum occaſiones men-

Digitized by Google

mente concepisset, si cujus Principis opibus adjutus, in longinquas illas regiones cum classe penetrasset, Lusitani primum, deinde Britanni Regis animum tentavit; quod cum frustra fuisset, ad Fernandum Hispaniae Regem, Granatae urbis obsidionem tunc temporis urgentem, et Isabellam uxorem Imperii quoque consortem recurrit (nam jure uxorio Castellae Fernandus imperitabat); qui gravate primum, ne leviore auctore difficilia et incerta conari viderentur, tandem Coloni rem, ut animo conceperat, pro comperta et explorata pollicentis affirmatione precibusque ducti sunt. Quamquam igitur erant diuturni belli cura impliciti et sumtibus exhausti, tamen rem, si, ut asserebatur, eveniret, maximam, quae non ita magno sumtu tentari poterat, negligendam non putarunt, et auctorem ipsum Christophorum Colonum cum *Almiranti* titulo toti negotio praefecerunt, cumque centum viginti hominum manu tres naves, nostris *Caravelas* dictas, rebus omnibus necessariis instructas attribuerunt.

III. Eam manum Colonus ex *Palis*, oppido ad oram Oceani non procul Gadibus, magna ex parte confecit, unde tres quoque Pinzones fratres navigandi peritos adscivit, Martinum, Franciscum et Vincentium; duosque priores duobus minoribus navigiis praefecit; ipse, rebus omnibus comparatis, tertium, quod his magnitudine praestabat, cum Vincentio conscendit, ac circiter Kalendas Augusti ex Palis solvit; et sexies centena millia passuum emensus, insulis Fortunatis, quas nostri uno nomine *Canarias* vocant, appulit. Septem numero hae sunt, quae Regi Castellae parent; nam quae in vicino sita *Materiae* cognominatur, Lusitanae ditionis est. Harum proximae passuum ci-

Digitized by Google

citer millia centum a Libycis littoribus absunt sub ea coeli regione, quae ab aequinoctiali circulo a vigesima septima ad vigesimam nonam partem distat, non tam frugum ubertate, quam coeli temperie memorabiles, et veterum mortalium fama poëtarumque carminibus celebratae. Suo quaeque nomine nuncupantur; sed una dumtaxat *Canaria* vetus vocabulum, quod recentiores universis contribuerunt, retinet; quarum duae *Lancerotus* & *Fortis Ventura*, ineunte Joannis Secundi principatu, deinde *Ferrea* et *Gomera*; postremo patrum memoria, cum Fernandus et Isabella rerum potirentur, *Canaria*, *Palma*que et *Tenerife* in Hispaniae ditionem pervenerunt, pacatis feris hominibus et bellicosis, qui nudi agebant, usque adeo incultis, ut ignis usu caruisse perhibeantur.

IV. Harum insularum, quae *Ferrea* dicitur, est illa quidem exigua magnitudine, miraculo tamen quodam aquarum insignis, quae cum hominibus et pecoribus frequens sit, et nullam habeat aquarum copiam, non flumen, non fontem, nullum denique puteum, una tamen arbor, quod omnibus animantibus sufficit, abunde suppeditat. Haec enim duas fere ante, totidem post solis exortum continuatas horas tam large manat frondibus, ramis, cunctis denique partibus dulcem et salubrem aquam exsudantibus, ut subjectum lateque patens stagnum, manu ad excipiendam aquam comparatum, singulis diebus adimpleat, totum illud quatuor ferme horarum spatium nubecula quadam arborem obsidente; forsitan arbore illa per radices alte demissas aquas illuc quasi ad fontem sive puteum confluentes sugente, et per ceteram fungosam materiam, et latentes meatus, quasi venas in sublime subducen-

cente, et subductam per meatuum capita, velut sudorem, demittente; quoniam haec est arborum natura, ut humorem, quo aluntur, radicibus, quae ipsis pro ore sunt, ex terra in omnes sui partes trahant, ut in animali cibus ore sumtus in omnes corporis partes, cum fuerit concoctus, digeritur, quod ipsum in stirpibus maxime fit horis matutinis; nam sole sublimiora tenente, idem humor, qui alimento superfuit per eosdem meatus descendere caedentibus notatur; quo fit, ut ad caedendum materiam tempus quoque pomeridianum, cum ea minus habet humoris, a peritis hujus artis observetur. Nam haec est causa quamobrem quibusdam in locis fontes, qui inter proceras et altis radicibus nitentes arbores large manabant, succisis arboribus deficerent, quod aquae a radicibus sugendo commotae, non solum ad ipsas arbores, sed etiam ad locum aliquem idoneum confluunt, et fontem efficiunt, qui arboribus sublatis, et motrice causa cessante deficit, ut accidit in quibusdam Cantabriae locis, ubi arboribus ad Ferrariarum usum succisis, fontes, qui ex silvestribus montibus decurrebant, aruerunt. Id autem contra fit, ubi frutices, quorum radices per summa serpunt, succiduntur vel runcantur; nam saepe aquis summis, quibus alebantur virgulta, in locum depressiorem liberius confluentibus fonticulus efficitur.

V. Ex insulis Fortunatis digressa classis inter meridiem et solis occasum directo cursu trigesimo jam die per vastum Oceanum nulla dum terra conspecta ferebatur, cum Hispani, desperatione subeunte animos, indignari primum inter se, quidam etiam suam sortem miserari coeperunt; deinde palam Coloni temeritatem, qui incerta pro certis, fi-

ficta et audita pro exploratis per vanam credulitatem et stultam persuasionem sequeretur, accusare, ac, ut in Hispaniam reducerentur, necem, nisi pareret, minitantes, postulare. Ille animos blandis verbis lenire, et spe propinquae terrae confirmare non desistit, et ne animo deficerent, hortari; nam sibi quoque suam vitam esse caram, sed munus a Rege commissum taedio longioris navigationis, nulla magna necessitate cogente, deserere, reque infecta redire, nec tutum putare, nec viris fortibus et constantibus dignum: sustinerent igitur tres dies, quibus nisi terra apparuisset, sese fore in illorum potestate. Tali oratione lenitis et ad ferendam tridui navigationis moram confirmatis animis, tertia vigilia ejus noctis, quam secutus est dies trigesimus tertius, ab excubante nauta lumen procul visum est; cumque illuxisset, apparuit insula, quam incolae vocant *Guanahaniam*. Ea prospecta, Colonus genibus flexis tensisque ad coelum manibus, Deum venerari, et religiosum hymnum *Te Deum laudamus* canere coepit; ceterisque concinentibus, et cunctis prae gaudio lacrimantibus, ingens gratulatio facta est.

VI. Hinc ceteras parvas insulas, quae *Lucajorum* nominantur, legens Cubae, quae major insula est et frequentius habitabatur, appulit; et homines more illarum regionum nudos in littore conspicatus, in terram ad *Baracoam* portum cum paucis, ut cum indigenis colloqueretur, descendit, qui novam tum navium, tum hominum faciem demirantes, spectandi gratia concurrerunt. Ex his per nutus et notas inquirendo, de magnitudine divitiisque insulae *Haitiae*, quae nunc *Hispaniola* nominatur, certior factus, illuc eorum quibusdam, qui libenter navim

cum

Digitized by Google

cum ipso conscenderunt, ducibus in eam partem, quae septemtrionem spectat, navigavit; sed *Portum* satis commodum, quem Colonus *Regalem* cognominari voluit, subeunte classe, navis Praetoria saxo impacta disjectaque est, nullo tamen vectorum desiderato. Hic omnes in terram descendere jussi, quibus Barbari prospectis, Caribes esse suspicati, in silvas interioremque partem diffugere coeperunt.

VII. Sunt autem Caribes feri homines anthropophagi, hoc est carnibus humanis vescentes, quarumdam insularum incolae, qui venandi homines gratia, mitiorum gentium insulis, aut etiam Continenti adnavigare monoxylis naviculis consueverunt, quod unum navigii genus notum est in illis regionibus: *Canoae* patrio vocabulo nominantur. Has ex mirae magnitudinis arborum stipitibus singulis acuto et durissimo lapide, qui pro ferro cunctis illis gentibus est, excavant, proceriores scilicet quam pro latitudinis ratione, ea interdum magnitudine, ut vectorum sint plus octoginta singulae capaces. Utebantur iidem anthropophagi arcubus et sagittis, toxico praesenti et cui occurri nulla ratione possit, venenatis. Horum igitur timore diffugientes Barbaros insectati nostri, unam feminam interceptam ad naves abduxerunt, ac indulgenter habitam, et vino bene potam vestitamque dimisere. Haec suis de comitate et humanitate nostrorum cum nuntiasset, Barbari cupide agminatimque ad naves confluxerunt, ipseque Goacanagarus Regulus primoribus stipatus affuit, quos Colonus vocibus et nutibus liberaliter affatus est, et vitreis torquibus vasculisque, praeterea tintinnabulis, acubus et aciculis similibusque nugis muneratos dimisit. Haec enim Colonus, vir ingenio-

sus,

sus, ad similes usus coëmenda imponendaque curaverat, quae cum Barbaris essent propter novitatem grata et perjucunda, multi aurum, quod nostris cordi esse cognoverant, permutandi gratia comportabant.

VIII. Paucos ibi dies commoratus Colonus, cum diligenter regionis naturam, et hominum mores ingeniaque considerasset, et cum Goacanagaro Rege amicitiam firmasset; in Hispaniam primo quoque tempore redire constituit, ut rebus omnibus nuntiatis, cum majore classe et hominum multitudine, ceterarumque rerum ad subigendas eas gentes necessariarum apparatu reverteretur. Haec ut fierent commodius, partem aliquam Hispanorum relinquere visum, qui consuetudine mitis ingenii Barbarorum sermonem discerent, interpretes postea ad colloquia legationesque futuri; delectisque triginta octo hominibus, hos, ut remanerent, rogavit, et precibus magnisque pollicitis persuasit. Quorum Rodericum Aranam Cordubensem ceteris praeesse jussit, et secundum tertiumque, qui, si quid praefecto humanitus accidisset, in demortui locum succederet, nominavit. Ex lignis igitur confractae navis aliaque materia turrim in littore, quae Hispanis munimento esset, aedificavit, et rebus necessariis, quatenus in ea rerum inopia licuit, munivit. Hoc consilium Martinus Alfonsus Pinzon, ut periculosum et paucis Hispanis in tanta Barbarorum multitudine relictis perniciosum cum palam improbaret; animum Coloni vehementer offendit. Itaque partim irae indulgens, partim Almirantum iratum metuens, a Portu Regali cum navi, cui praeerat, digreditur; sed Barbarorum indicio non multis post diebus ad portum quemdam ejusdem insulae, qui abest inde ad solis

Digitized by Google

lis ortum passuum octoginta millia, ipsum in anchoris esse cognitum est. Tum Pinzones, qui cùm Colono remanserant, facile ab eo, uti Martino fratri veniam daret, impetrarunt. Ille vero tempori scilicet serviens, litteris etiam humanissime scriptis suam in Martinum benevolentiam declaravit. Hanc epistolam, et quas Pinzones ad fratris animum placandum simul et confirmandum scripserant, Barbari pertulerunt, qui Pinzonem lectis epistolis non aliter absentium animos et quae apud illos proxime gesta essent, quasi cum eisdem fuisset collocutus, intellexisse animadvertentes, mirabantur: homines plane barbari, apud quos nulla erat litterarum notitia: itaque divinitatem quamdam epistolis inesse putantes, rescriptas a Pinzone, quasi nefas esset rem sacram manibus attrectare, fissa virgula retulerunt.

IX. Sic reconciliatis animis, rebusque compositis Colonus paucos illos Hispanos Goacanagaro optimum in se animum praeferenti et omnia liberaliter recipienti, summopere commendavit, et ipsos de concordia et officio, ne quid temere agerent, utque ab injuria et maleficio magnopere temperarent, iterum et saepius cohortatus, naves solvit, decem ex Barbaris abducens tum ad fidem Principibus faciendam, tum ut ipsi vicissim nostrorum commercio Hispane discerent, et his quoque interpretibus ad res cum Barbaris gerendas reversus uteretur. Eodem tempore Martinus Alfonsus, ut convenerat, ex portu, qui a reconciliata inter ipsos gratia *Portus Gratiae* a Colono fuit cognominatus, obviam Colono progreditur, et in *Portum Isabellam* ex Regina nuncupatum, utraque navi compulsa, et rebus necessariis com-

Digitized by Google

paratis et impositis, concordes et laeti cursum in Hispaniam direxerunt, non qua iverant, sed magis in septemtrionem, ita ut insulas *Azorias* praeterveherentur, inclinantes. In quarum insularum mentione non est silentio praetereundum magnum naturae miraculum, quod a nostris est longissimis navigationibus compertum.

X. Nota jam omnibus est vis admiranda magnetis, et ad commode navigandum necessaria, veteribus mortalibus ante annos paulo amplius trecentos ignorata. Hoc enim lapide tenue ferrum, quod nautica nostrorum consuetudo acum ex similitudine vocat, temperatum, medioque foramine stilo tenuiori, sic, ut libere circumferri valeat, insitum, quovis tempore et loco septemtrionem ostendit; sed ut hoc erat vulgo, quam pridem modo dixi, cognitum; sic illud nuper a nostris gubernatoribus longe lateque per Oceanum navigantibus animadversum, quod sub eo dumtaxat meridiano circulo, cui subjacent Azoriae insulae, acus nautica in linea meridiana consistit, rectaque spectat in coeli cardinem, quem Arcticum polum appellamus; in ceteris vero regionibus, cum ab eo circulo discesseris, in ortum, si huc fueris digressus, declinat; vel in solis occasum, si in illam partem diverteris.

XI. Sitae sunt autem *Azoriae* insulae citra aequinoctialem circulum, partium sive graduum triginta novem intervallo, absuntque a Gadibus passuum millia circiter duodecies centena, hoc est, leucas trecentas. Leuca enim, Hispana mensura, passuum quatuor millia patet, passuum autem Romanorum, qui pedibus quinis conficiuntur; qua mensura, quoniam Oceani et terrarum spatia a nostris

stris

Digitized by Google

stris notata sunt, nos quoque brevitatis perspicuitatisque gratia idem vocabulum in hac rerum et spatiorum commemoratione usurpare interdum non dubitabimus. Azorias igitur insulas Colonus nostrique praetergressi in Hispanam terram sexto mense, quam inde profecti fuerant, reduces et incolumes, eumdemque Palorum portum redierunt. Barcinonem Colonus ad Reges progressus, magna cum laetitia ab his exceptus, et cum admiratione, dum res gestas commemoraret, auditus est, magnoque honori habitus. Barbarorum quoque inusitata facies admirationi fuit, imberbium in aetate virili, colore fusco, statura justo breviore, nigra lenique omnium coma, capitibus pone et ante compressis, opere scilicet obstetricum in calvariae teneritate, sic figura capitis pulchriore futura, gentium illarum existimatione barbarica. Quibus volentibus atque petentibus baptismus solemni caerimonia datus; ita ut Rex et Regina non solum Sacramento interessent, verum etiam praestarent officium eorum, qui more nostro *Patrinus* et *Matrina* nuncupantur.

XII. Rebus omnibus cognitis, optimi et religiosi Principes tantam et Imperii et Christianae religionis dilatandae occasionem non praetereundam existimarunt; nequid tamen injuste et praeter leges vel Christianas, vel etiam communes, quas easdem naturales appellamus, aliquid statuere seu conari viderentur, de Consilii sententia summi sacerdotis et Apostolicae sedis oracula sciscitari statuerunt. Quorum audita legatione, Alexander VI (hic enim tunc temporis Pontificatui Maximo praeerat) ipsorum animum et consilium Barbaros in ditionem, ut commodius ad Christianam religionem Evangelica praedica-

Digitized by Google

tione inducerentur, redigendi per litteras et diploma magnopere probavit, ac ut pium et religiosum laudibus commendavit; quin etiam pro sua et Christi, cujus vicem gerit, potestate et auctoritate jus perpetuum facultatemque ipsis et posteris ad ea perficiendum tribuit. Quamquam enim Ecclesiastica potestas, quam Christus tradidit Vicario suo, in iis potissimum rebus versatur, quae religionem attingunt, patet tamen latissime in omni terrarum orbe, pertinetque * etiam ad imperia civilia et omne genus, si hoc religionis moderandae vel propagandae ratio postulare videatur, ut vel maxime postulat in hac Barbarorum causa, qui nisi Christianorum imperio subjiciantur, fieri non potest, ut sine multis magnisque periculis et difficultatibus et longissimo tempore per solam doctrinam et persuasiones ad Christi fidem inducantur. Cogendi ergo sunt, si facultas adsit, non ut Christi fidem accipiant, quae invitis dari non potest, sed ut Christianorum imperio pareant, et cultum idolorum deponant; hoc enim facto ex praecepto illo Christi: *Compelle intrare*, ex convivii Evangelica parabola (sic enim Ecclesia decretis et factis locum est interpretata) parvo negotio Evangelica doctrina Barbari adducuntur, ut Christi religionem accipiant, quemadmodum res ipsa docuit docetque. Itaque non sine magna ratione Constantini Principis, et Gennadii, Africae Exarchi, pie factum claro sanctorum Patrum praeconio et laudibus celebratum est, quod ille lege cum poena capitali et bonorum publicatio-

* Nonnulla hic a Sepulveda nostro adducuntur, quae cum solidis Theologiae ac Jurisprudentiae principiis haud satis videntur convenire; nos ea suo loco in Commentario de Auctoris vita et scriptis diligentius expendemus.

Digitized by Google

tione cultum idolorum sustulit; hic paganos in Africa Imperio Romano finitimos in ditionem bello redigendos curabat, ob id modo, ut subjectis commodius praedicaretur Evangelium, ut est in Augustini et Gregorii epistolis, et in Ecclesiasticorum decretorum libro. Accedit Philosophorum, quae eadem est jure peritorum, ratio, qui barbaras gentes, hoc est, moribus et institutis a ratione naturali abhorrentibus publice scilicet utentes, posse jure naturae confirmant, si recusent, etiam armis compelli, ut humaniorum et prudentiorum imperio pareant, quo justis ab eis et a natura ductis legibus gubernentur; cujus naturae jus isti Barbari maxime violabant tum idolorum cultu, tum frequentibus homicidiis publice probatis, partim innocentium, quos daemoniis ad impias aras immolabant, partim mulierum, quas vivas cum demortuis maritis, viris principibus, sepeliebant.

XIII. Quae quamquam separatim dicato libello a nobis sunt pluribus verbis disputata, non tamen alienum fuit hoc in loco commemorare, propter falsam quorumdam Theologorum litteris proditam persuasionem, a nobis in eo, quem dixi, libello gravissimis sanctorum Patrum testimoniis et Ecclesiae decretis legibusque tum divinis, tum etiam naturalibus, temere quibusdam et pertinaciter contradicentibus, convictam; idque gravissimorum et doctissimorum totius Hispaniae Theologorum et juris Pontificii peritorum judicio; cujus rei gratia Carolus Caesar, ut erat justitiae et veritatis amator, viros utriusque juris peritissimos et gravissimos ex omnibus Regiis Consiliis, quatuorque Theologos ad Valdolitum anno Chri-

Digitized by Google

Christi M.D.LI. convenire, sententiasque dicere et conferre jussit; qui saepe de officio convenientes, meos adversariorumque libellos cum legissent, nosque disserentes audissent, causam cognoverunt, et post longam multorum dierum disputationem, solo uno, constantiae scilicet gratia, ne ab eo, quod voce et scriptis jactaverat, discedere videretur, contradicente, et altero ob eamdem rationem sententiam dicere pertinaciter recusante, judices omnes magno consensu Regiam causam comprobarunt, quam noster libellus Romae, cum Vicarii Pontificis Maximi, et Magistri sacri Palatii approbatione, et publica eruditorum commendatione impressus tuebatur. Cujus libelli summa est, Barbaros novi Orbis jus et fas esse in ditionem Regis Hispaniae redigi, non ut Christiani per vim aut metum fieri cogantur, id enim si fiat, irritum est jure naturae et legibus Christianis: sed ut leges naturae, quibus omnes gentes tenentur, quasque illi multifariam et foedissime violabant, servare compellantur, salva tamen eorumdem libertate naturali et patrimoniis: nam leges naturae, cujusmodi sunt praecepta decalogi, si qua gens servare cogatur, ut quae juris gentium sunt, quaeque in decalogo continentur, ut plures Deos non agnoscere, non occidere, non adulterare, non furtum facere, et reliqua, nihil patitur injuste, nec contra libertatem naturalem, nec qui tributa Regibus praestant publice sancita: nam id quoque ad justitiam pertinet, ac legem naturalem, in qua explicanda summi Philosophi sunt occupati. Quibus auctoribus gentes barbarae et incultae, et ad parendum, non ad imperandum natae, humanioribus et prudentioribus subjectae sunt jure naturae.

Qui

Digitized by Google

Qui Barbari, si imperium recusent, bello possunt, si facultas adsit, eodem jure naturae compelli, ut iidem Philosophi docent (Aristoteles *Politic. lib.* 1. *cap.* 3. *et* 5.); sed belli parandi classisque mittendae gravissimus auctor fuit Alexander VI Pontifex Maximus, cujus Pontificis auctoritas ea est, ut ejus legibus atque decretis publice factis obsistere, vel contradicere nefas sit, et sacrorum interdicto haereticorumque poenis sancitum.

XIV. Auctoritate igitur et summi Sacerdotis cohortatione confirmati religiosi et humanissimi Principes, majore classe majoreque rerum omnium apparatu, tum ad pacandos Barbaros, tum ad praeparandas religioni Christianae ipsorum mentes, et si quae aliae commoditates communes et magnae, ut exspectabatur, ex nostrorum et Barbarorum, loco disjunctissimarum gentium, commercio contigissent, Colonum cum classe decem et septem navium redire jubent. Is mille quingentis armatis hominibus, et equis nonnullis impositis, Gadibus ad septimum Kalendas Octobris insequentis anni, qui fuit Christi millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius naves solvit; et itinere post insulas Fortunatas magis quam superiore navigatione in meridiem flexo, multas insulas praetergressus est, quas magna ex parte anthropophagi tenebant, *Caribes* a fortitudine patrio vocabulo nuncupati. In harum unam, quam ex montium, qui Guadalupes oppidum Lusitaniae sepiunt, similitudine insulam *Guadalupi* cognominari placuit, descenderunt. Caribes ad nostrorum accessum perterriti, in silvas montesque sese abdiderunt; sed pueri mulieresque captivi circiter triginta, quos cibi servitiique causa ex aliis insulis Caribes ve-

Digitized by Google

venati fuerant, ultro se nostris supplices tensisque manibus obtulerunt, nullum periculum ei malo, quod in horas exspectabant, comparatum non leve putantes, dapes hominibus futuri, cujus rei perpetuo timore cruciabantur; quamquam mulieres non tam sibi, quam filiis metuebant. Caribes enim muliebribus carnibus abstinebant, captivarum tamen filios ad nefandas epulas, quasi haedos aut vitulos, saginabant. Ex his captivis mulieribus Colonus nonnullas munusculis donatas vestitasque ad Caribes per signa et nutus ire jubet, ut per harum exemplum metu liberati Barbari ad colloquium invitarentur. Itaque Barbari postridie in conspectum venerunt, sed nutibus ac significationibus, ut propius accederent, a nostris cum evocarentur, veriti tamen nequid insidiarum lateret, et inter se conspicientes, et quasi nutibus dehortantes, fugam capessunt, et se rursus in silvas abdiderunt.

XV. Impositis captivis, nostri navigationem repetunt, multasque insulas hinc inde praeterlabuntur. Ubi ad eam accesserunt, quam *Sanctae Crucis* cognominarunt, aquandi gratia in anchoris consistunt. Hinc Colonus triginta viros Praetoriae navis scapha in terram descendere, et si quem possent Barbarorum excipere, jubet. His captivi quatuor viri totidemque feminae ad littus, fidem ipsorum ac misericordiam significationibus implorantes, occurrerunt. Caribes enim, ut alii nuper fecerant, ad silvas confugerant; sed nostris quoquo versus respectantibus, canoa navicula non procul sese ostendit, qua viri octo et totidem feminae vehebantur, arcubus omnes, etiam feminae, armati, qui nostros, ut canoam caperent,

rent, scapham remis impellentes, conspicati sese magno animo pugnae comparant, et accedentes sagittis venenatis male accipiunt, primoque impetu unum ex nostris vulnerant, alterum etiam occidunt, nondum explicatis et objectis scutis, quae ceteris fuere saluti; itaque nostri ut sagittarum periculum vitarent, magno impetu invecti, impactaque scapha, canoam depresserunt; sed Barbari Barbaraeque summa natandi peritia, retentis arcubus, et interdum spicula jaculantes, ad scopulum adnatarunt, ibique acriter repugnantes ad extremum tamen uno peremto, altero tribus vulneribus acceptis, capiuntur.

XVI. Multis insulis transmissis, Hispaniolae tandem appulerunt, extracta in multo plures dies, quam superiore anno, per magnum circuitum novas terras investigandi causa navigatione, quae rectum cursum tenentibus circiter triginta quinque dierum esse solet; quamquam redeuntibus in Hispaniam per aliam scilicet viam septemtrioni propinquiorem, perque insulas Azorias (sic enim postulat ventorum ratio) in diem ferme quinquagesimum quintum vulgo producitur. Ubi Hispaniolam Colonus attigit, nondum de Hispanorum relictorum interitu factus certior, Barbarorum, quos in Hispaniam abduxerat, unum ex tribus reducibus in terram exposuit (nam ceteros, uno excepto, quem Joannes, Regius adolescens, apud se retinuit, morbus absumserat) eique mandavit, ut de suo adventu Regulis et Hispanis nuntiaret. Ab eo Goacanagarus Rex certior factus, fratrem naviculam conscendere, et nostris oram legentibus obviam procedere jubet. Hic Reguli verbis Colonum salutavit, et duas aureas imagines muneri dedit; tum Hi-

Digitized by Google

spanos omnes ibi relictos a duobus magnis ejusdem insulae Regibus, invito et repugnante ipso Goacanagaro, obsessos, et turri incensa igni et armis expugnatos concidisse per expositum interpretem nuntiavit. Gravissime tulit hanc jacturam Colonus, atque eo magis, quod duo reliqui indigenae reduces noctu se clam in mare dejecerant, et in proximam terram enatando profugerant. Itaque se utrinque interpretibus destitutum esse magnopere dolebat: ceterum bombardarum tonitribus suum adventum significari jubet, siquis forte Hispanorum communi cladi ereptus delitesceret. Ad Goacanagarum autem Melchiorem Hispalensem, virum gravem, officii salutandique gratia misit. Regulus ipse postridie ad naves, primoribus suorum stipatus, cum muneribus affuit, et Colono de Hispanorum internecione percunctanti, se, qua simulatione diximus, per interpretem purgare pergit; sed idem tertio die aufugisse nuntiatus est, quod magnopere suspicionem auxit, Hispanos ipso auctore fuisse peremtos.

XVII. Ex portu *Argenteo*, qui septemtrionem spectat, oram legendo, in Regalem portum et eam regionem, ubi reliquerat Hispanos, Colonus progressus, ligneam turrim incensam cum reperisset; alio in loco novam urbem condere constituit, quam *Isabellam* in gratiam Isabellae Reginae nominavit; arcem quoque ad Janicum fluvium, et Cibare, ditissimas aurifodinas, aedificavit, impositoque praesidio, cui Petrum Margaritum praefecit, reliquos ad novam urbem Jacobo Colono fratri parere jubet, donec Bartholomaeus frater alter, qui prope diem exspectabatur, appulisset; hunc enim Reges totius insulae praefectum constituerant. Ipse vero Christopho-

phorus cum delecta manu duabusque navibus ad novas terras investigandas explorandasque proficiscitur. Interea Barbari propinquarum regionum, suspectam habentes novam urbem, Hispanosque in sua insula veterascere nolentes, consilium et sibi et nostris perniciosum inìverunt, ut nullam hoc anno sementem facerent, sic fore existimantes, ut illi inopia rei frumentariae discedere cogerentur. Haec Barbarorum fraus non ante cognita est a nostris, quam consumto frumento, quod ex Hispania comportaverant, *maizio*, quo vivit omnis illa Barbaria, uti ad famem tolerandam cogerentur. Est autem *maizium* frumenti genus, panico non multum culmo et paniculis absimile, quamquam grana magnitudine et forma pisum magis aemulantur; alba primum, sed cum maturuere, extrinsecus nigerrima sunt, molita niveum candorem praeferunt. Ceterum pravum consilium, ut est in proverbio, consultori fuit pessimum, magna enim pars Barbarorum fame confecta periit: Hispani vero, consumto frumento, parvorum quorumdam animalium venatione dies aliquot sustinuerunt; his deficientibus, ne sociis quidem venationis canibus ex Hispania deportatis, non serpentibus, non lacertis pepercerunt. Itaque majorem ipsorum partem fames absumsit, ceteros varia lentorum morborum hinc nata genera sic occuparunt, ut fere omnes, etiam in Hispaniam reversos, ad interitum tandem perducerent. Quo tempore ex Barbaricarum mulierum consuetudine Hispani morbum contraxerunt, qui primum Neapolitanus, deinde Gallicus est appellatus, propterea quod bellis Italicis ab Hispanis in Neapolitanos, ab his in Gallos contagione serpsit.

Digitized by Google

XVIII. Dum ad Isabellam fame nostri laborant, horum ex Aragonia quidam Michaël, Diazius cognomine, metu poenae vulnerati commilitonis profugiens, quinque aut sex amicis assectantibus, per oram maritimam solis ortum versus passuum bis centum circiter millia progressus, loco frumentario et amoeno ad fluvium Ozamam constitit, ubi nunc est urbs, quae *Sanctus Dominicus* appellatur; tunc vicus erat, cui princeps mulier imperitabat. Ea Michaëlis amore capta, socios quoque indulgenter habuit, et Michaëlem ipsum hortata est, et siquos alios amicos ad Isabellam reliquisset, ne fame perirent, in eum locum fertilem et amoenum, nec cibariis destitutum, ab ipsa alendos evocaret, simulque de aurifodinis, quae non procul inde absunt, certiorem facit. Michaël, ducibus itineris acceptis, per Mediterraneam brevioremque viam Isabellam cum sociis revertitur; cumque de salute vulnerati commilitonis cognovisset, praefectum Bartholomaeum Colonum (jam enim pervenerat) adit, deque aurifodinis et loco ad habitandum propter agri ubertatem fluviumque et portum commodissimo, deque principis feminae propensa in Hispanos voluntate certiorem facit. Colonus nuntio delectatus, delicti gratiam Michaëli facit, auctorque fit gratiae inter hunc et inimicum reconciliandae; et cum ipso Michaële paucisque naturam loci considerandi causa profectus, ubi vera esse omnia comperit, quae ille nuntiaverat, huc sibi et suis migrandum esse constituit. Igitur Isabellam reversus in duas, quae aderant, caravelas, sarcinas imponit, et paucis, qui hoc negotium administrarent, et ad Ozamam fluvium naves compellendas cura-

ra-

Digitized by Google

rarent, relictis, ipse ceterique pedibus iter ingressi in locum condendae urbis die Dominico, unde nomen urbi datum est, pervenerunt Nonis Augusti, qui fuit annus Christi millesimus quadringentesimus nonagesimus quartus; quamquam oppidum non ubi nunc est, et tunc vicus erat, sed ex altera fluminis parte initio conditum fuit, ne nostri negotium facesserent, aut molesti Catherinae essent ejusque clientibus: hoc enim nomen illi mulieri fuit, accepta Christiana religione. M.CD.XCIV.

XIX. Interea Christophorus Colonus alterius Continentis bonam partem et insulas adjacentes, oram legendo, oculis animoque lustravit, et nunc ex suis, qui propius omnia considerarent exponendo, nunc cum Barbaris ad navium inusitatum spectaculum confluentibus colloquendo, hominum locorumque naturam, quatenus licuit, exploravit, tertioque mense in Haitiam insulam et novam urbem reversus, migrationis consilium, urbisque locum probavit; et Alfonso Hojeda praefecto cum novo quinquaginta hominum praesidio submisso, Petrum Margaritum cum superstitibus (magna enim pars custodum fame perierat) ex arce, de qua supra demonstratum est, ut ex tantis calamitatibus vires reciperent, ad se venire jussit. Almirantus, dum res ad civitatis administrationem pertinentes constituuntur, et quae bello ad pacandos Barbaros usui essent, comparantur, imperium in suos coepit severius, quam res postulabat, exercere; quibusdam flagris caesis, aliis in patibulum actis, unde orta est magna inter ipsum et Builum, Monachum Benedictinum seditio, quem Regum voluntate Pontifex Maximus illarum regionum futurae Ecclesiae,

et

Digitized by Google

et sacerdotibus, qui simul mittebantur, cum summa potestate praefecerat. Hic enim Almirantum, cum injuste aliquid et crudeliter statuisse visus esset, interdicebat sacris; ille vicissim Builo ejusque familiae cibaria subducebat, donec inedia et rerum necessariarum inopia incoepto desistere cogeretur.

XX. His rebus in Hispania nuntiatis, de praefectorum discordia et Almiranti severitate multorum litteris Principes certiores facti, Joannem Aguadum cum litteris et mandatis in Hispaniolam quatuor navibus attributis proficisci jubent, et quid fieri velint, ostendunt. Hic Sancto Dominico cum appulisset, litteris in concione recitatis, cives omnes, qui per eas Legato fidem adhibere et officium praestare jubebantur, omnem suam operam et obsequium liberaliter pollicentur. Tunc Aguadus, ut ei erat imperatum, Almirantum in Hispaniam discedere jubet: sic enim Regibus placere dixit. Hanc denuntiationem Colonus magno cum dolore tulit: itaque veste mutata et sordidatus navim conscendit, eoque habitu et prolixa barba Burgos ad Reges pervenit. Builus quoque Monachus, et Petrus Margaritus, et nonnulli alii viri nobiles evocati, in eadem classe vecti sunt; quorum testimoniis cum Colonus gravaretur, Reges tamen pro sua clementia et humanitate Coloni se purgantis excusationes acceperunt, ac ut in posterum mitius moderatiusque ageret in suos, seque diligentius ab omni non solum crudelitate, sed etiam crudelitatis specie contineret hortati, ad imperium incoeptumque redire jusserunt.

XXI. Mense Martio Colonus cum sex bene instructis

ctis caravelis Gadibus discessit , et ad insulas Fortunatas progressus , hinc tria navigia , quibus trecenti damnati , et ad Hispaniolam insulam illasque regiones relegati , cum frumento reliquoque commeatu vehebantur, rectum cursum tenere jussit : quae navigia paucis post diebus appulsa , nostris , qui tum hominum , tum cibariorum inopia premebantur , magno praesidio fuerunt; ipse vero cum reliquis tribus in eas insulas progreditur, quae sunt e regione *Promontorii viridis* nuncupati , quod veteribus Hesperionceras et insulae Gorgones fuisse putantur ; et hinc in occasum brumalem directo cursu, sexiesque centenis passuum millibus confectis , cum naves exorta tempestate vehementer jactarentur , eas per rerum necessariarum jacturam sublevare coactus est ; ita cursu in dextram et aestivum occasum flexo , in insulam, quam *Trinitatem* vocari jussit , deferuntur. Hujus insulae pars australis citra aequinoctialem circulum partibus novem sita est contra eum alterius Continentis locum, quem a palmarum frequentia Colonus *Palmetum* appellavit; tota vero insula centum circiter millia passuum in longitudinem et septuaginta in latitudinem patet. Contra hanc insulam ab austro ex Continenti promontorium , quod *Salinarum* cognominatur, procurrit, abestque ab eadem insula quadraginta circiter millium passuum intervallo. Hinc Continentis oram in occasum legens insulas, quas *Testes*, et illam, quam *Gratiosam* appellavit, deinde *Cubaguam*, quae nunc *Margaritarum* dicitur , transmisit , cujus ambitus duodecim passuum millia colligit, et alteram huic proximam multo majorem , quam *Margaritam* nuncupavit. Abest autem Cubagua a Salinarum pro-

Digitized by Google

promontorio bis centena passuum millia ; a Provincia vero, cui nomen est *Araja* , sexdecim ; tum post passuum ad millia centum , *Poregarim* , *Roques* , et *Orchillam* , *Corazaum* , et multas alias insulas praetervehitur, donec ad promontorium, cui a canoae velo prospecto *Veli* cognomen dedit , quodque abest ab illo altero Salinarum septies circiter centena millia passuum , processit ; tum cursu in aestivum occasum flexo, in Hispaniolam insulam et urbem Sanctum Dominicum pervenit.

XXII. Dum haec ad Hispaniolam et per Oceanum geruntur , Barbari Princepsque Caonabus Regulus per occasionem absentis Almiranti, nostrorum despecta paucitate , manus cogere, seque ad bellum inferendum comparare , et mutuis cohortationibus confirmare incipiunt. Caonabus igitur, in cujus finibus Alfonsus Hojeda cum praesidio quinquaginta hominum arcem , ut supra demonstravimus, obtinebat, Ciguajos adsciscit, qui oram septemtrionalem incolentes , arcubus et sagittis in bello utuntur , maximamque habent inter suos virtutis opinionem; et copiis armatorum hominum ad sex millium coactis, arcem obsidione cingit premitque triginta dies, donec adventantis cum subsidio Bartholomaei Coloni timore copias abducere coactus est. Tunc vero nostris, consilio communicato , placuit , ut ad Caonabum legatio de pace mitteretur; qua suscepta, Alfonsus ipse Hojeda multis verbis Regem hortatus est , ut ipse Colonum praefectum colloquendi gratia adire ne gravaretur. Ille a ceteris Regulis per nuntios suam opem deferentibus admonitus, ne qua ratione Hispanos in insula, cujus imperium sibi non obscure vindicare niterentur, inve-

veterascere pateretur, statuit per speciem expetiti colloquii nostros, qui pauci numero erant, suorum multitudine circumventos concidere. Coacta igitur armatorum manu, ubi in Coloni, quem consilium ejus non latuit, conspectum venit, quid sibi vellet armatorum illa multitudo rogatus: Non ferre suam dignitatem, respondit, ut Rex tantus sine praesidio magnoque comitatu ad colloquium externorum hominum procederet. Tunc nostri, ut erat constitutum, facto impetu, Caonabum et paucos Barbarorum primarios, praesidio comitatuque cetero perterritis ac diffugientibus, capiunt. Hoc cognito, Caonabi frater, vir fortis et magnae inter suos auctoritatis, exercitu hominum ad septem millium coacto, fratris liberandi gratia in nostros movet, et castra non procul ab arce ponit. Hojeda vero, vir magni tum animi, tum etiam consilii, paucis suorum praesidio arcis relictis, cum ceteris, et ea trecentorum hominum manu, quam Bartholomaeus Colonus ex oppido Dominico auxiliarem miserat, in hostem progreditur; et copiis ad pugnam instructis, equitatum in hostes, qui et ipsi se pugnae comparaverant; immittit. Sed Barbari nova equitum facie, quos quasi Centauros demirabantur, et equorum strepitu conterriti et exanimati, se fugae mandarunt. Qua in fuga nostri, magna caede facta, ducem ipsum ceperunt, qui paulo post cum fratre, ne qua esset Barbaris ejus regionis in Provinciam redactae occasio rebellandi, in Hispaniam missus est; sed uterque in itinere aegritudine animi confectus interiit.

XXIII. Erant in Hispaniola Reges quinque, quibus

Digitized by Google

insula omnis obtemperabat ; Caonabus , cujus Regnum montibus continebatur ; Goacanagaris , qui partem septemtrionibus adjacentem ; Behechius , qui occiduam obtinebat ; Cajacoa , qui contrariae , vergentique ad ortum solis imperitabat ; et Guarionexus , cujus Regnum in media insula campestri regione passuum amplius bis centena millia patebat. Hi omnes Caonabi cognati , ac certe vicini ejusdemque insulae, Regis cladem aegre ferentes , et similem casum , nisi provideretur, ad se quisque recidere posse reputantes , conandum sibi esse statuerunt, ut externi hostes, qui pauci essent, antequam numerus major conveniret, omni insula pellerentur ; atque eo magis, quod Hispani non solum in insulae imperium animum intendisse , sed etiam indigenarum sacra patriosque Deos odisse non obscure viderentur , ut cum imperio libertas quoque et religio discrimen adiret. Quibus malis occurrendi Guarionexus .curam princeps cum suscepisset , exercitu hominum ad quindecim millium coacto, in nostros movet , qui cum Bartholomaeo Colono praefecto in Conceptionem convenerant; hoc enim aliaque castella , sui muniendi gratia, nostri per insulam locis opportunis erexerant.

XXIV Colonus , ubi de hostium numero et adventu cognovit, non sibi exspectandum putavit , dum hostes se in castelli conspectum darent , et castra obsidendi gratia munirent ; sed educta suorum manu , qui numero erant circiter quingenti , obviam hostibus ire, et suorum virtutem consilio quoque juvare constituit. Itaque prima vigilia silentio profectus , tertia bipartitas copias in hostes somno gravatos , et nihil dum hostile me-

metuentes immittit. Barbari improviso periculo perturbati et attoniti, nec arma capere, nec nostris obsistere poterant: itaque palantes effusa fuga salutem petere coeperunt. Quorum etsi bonae parti nocturnae tenebrae fuere praesidio, multi tamen concisi, multi capti, et in his Rex ipse Guarionexus cum principibus viris quatuordecim. Hujus cladis nuntius per omnem insulam celeriter delatus, tantopere Barbarorum animos dejecit, ut omni spe Hispanos ex insula depellendi dejecti Reguli, de sua quisque salute et imperio cogitare cogerentur. Itaque brevi omnis insula, dedentibus se Barbaris, in Hispanorum ditionem potestatemque cessit. Dataque Guarionexo ceterisque primariis captivis libertas est, ut Barbari non solum timore, sed etiam accepti beneficii memoria, humanitateque nostrorum in officio continerentur.

XXV. Per hanc victoriam Hispani, Barbarorum timore sublato, in magnam licentiam et illorum injuriam prolabi coeperunt, ii praesertim, qui suis sceleribus damnati et in hanc insulam, ut demonstravimus, relegati fuerant; in quibus coërcendis Bartholomaeus Colonus cum majoribus et ipse spiritibus sumtis paulo severius ageret, multorum in se odium concitavit, coepitque cum Roldano Ximene, qui ab Almiranto juris dicendi gratia praetor fuerat constitutus, dissidere. Hic enim temporis habendam esse rationem, et de summo jure remittendum aliquid existimabat; ille contra injustos et sceleribus assuetos homines, qui facilitate et indulgentia praefectorum ad injuriam et maleficium abuterentur, timore et poenis esse coërcendos judicabat praedicabat-

 que,

que, ne pessimo exemplo ceteros in criminum societatem traherent. Ad ea Roldanus, summum jus summam injuriam esse dicere; et frustra Coloni injustis, ut ipsi videbantur, conatibus obsistere. Itaque ludibrio et contemtui sese haberi cernens, cum septuaginta consentientibus amicis digressus, in interiorem insulam Xaraguamque regionem secessit.

XXVI. In hoc statu rerum Almirantus in Hispaniolam reversus, victos Barbaros jure gentium facere vectigales cum statuisset, magnam ipsorum partem iis, quorum opera fuerant in ditionem redacti, pro cujusque merito in clientelas distribuit, ac, ut ipsi fuerat a Regibus primum omnium imperatum, interdicto Barbaris idolorum cultu, sacerdotes et Monachos admonet officii sui, uti eos omni ratione curent in Christianam religionem inducendos. Quod cum ab eis docendo, exhortando et admonendo diligenter administraretur, brevi tempore omnis fere Barbaria non gravate baptismum et Christianam religionem accepit. Sed non ut haec omnia jure gentium et divino convenienter sancita et administrata fuere; sic Hispani, quibus Barbari in clientelam dati sunt, officium suum et humanitatem praestiterunt. Non enim ut clientes, sed ut servos suae quisque fidei commissos mortales avare et crudeliter imperantes tractabant: quod nec jure patiebantur, nec humane, nec ex Regum, a quibus missi fuerant, voluntate faciebant, quibus placebat, ut ipsi Barbari in ditionem Hispanorum redigerentur, salva tamen libertate eorum et patrimoniis; ad summam, communibus legibus, quibus populares in ipsa Hispania nostris Regibus,

aut

Digitized by Google

aut etiam inferioribus principibus subjecti sunt, ut Comitibus et Marchionibus; nam laboribus intolerandis clientes suae fidei a Regibus commissos cruciare, sic ut ea mala morti etiam voluntariae praeoptanda quibusdam viderentur, quod quidam pessimi homines, et ab Hispania propter ipsorum scelera relegati, faciebant, plus quam servilis est et extremae inhumanitatis.

XXVII. Auri enim inexplebili cupiditate exagitati, tantis tamque continuis laboribus Barbaros ad aurifodinas, quas habebat insula ditissimas, exercebant, ut quidam his malis confecti perirent; alii, ut se tantis aerumnis eriperent, praeoptatam mortem sibi consciscerent, ut erant et corpore et animo inexercitati, et ad hujusmodi calamitates perferendas molles; quippe qui victui tenui et parvo labore parabili assueti erant, et, quod ad cultum attinet, nudi aetatem agitabant: itaque fame initio, uti diximus, accersita, deinde laboribus et contractis morbis voluntariaque morte, factum est, ut Barbari ex decies circiter centenis omnis aetatis et sexus millibus ad vix quingentos, dum haec proderemus, redacti essent. Nam Magistratus atque praefecti ceterorum injurias partim ob criminis societatem negligebant, partim ob corruptissimos quorumdam hominum mores satis prohibere non poterant in locis ab Hispania tam longe remotis, ut Principes, quibus calamitas et clades Barbarorum tarde cognita magnum dolorem attulit, nec injurias in tempore cognoscere, nec tantis malis providere possent: nec mirum in tanta hominum licentia et pravitate aliqua ex parte cohibenda Colonos fratres id in aliquos statuisse, quod eis, qui

Digitized by Google

qui flagitiorum impunitatem quasi libertatem probabant, non ferendum esse videretur.

XXVIII. Rursus igitur Christophorus et fratres Coloni, incertum veris, an falsis, an, quod est credibilius, utriusque generis criminationibus apud Reges insimulantur, quasi pro innata superbia traditum imperium insolenter et crudeliter administrarent. Quas querelas, cum eis Roldani et sociorum, de quibus supra demonstratum est, discessus fidem facere videretur, eo minus contemnendas sapientes Principes putaverunt, quod perspicue intelligebant, Hispanos imperium illorum impatientissime ferre; sive culpa id fieret ipsorum praefectorum, sive ita ferente natura, ut homines externorum etiam justo imperio non libenter pareant, eamque animorum alienationem, cum ubique, tum in bello maxime periculosam et ad Provincias male pacatas in officio continendas inutilem esse judicabant. Quamobrem Franciscum Bovadillam, probitatis et moderationis perspectae virum, successorem, qui simul gesti muneris rationem a Colonis posceret, anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo nono summiserunt. Hic in Hispaniolam devectus, causa cognita, omnes tres fratres Colonos, Christophorum, Bartholomaeum, et Jacobum, vinculis adstrictos, in singula navigia imponi et in Hispaniam deportari jussit. Quos ad Gades expositos, et arcis praefecto in custodiam, ut a Bovadilla fuerat imperatum, traditos esse certiores facti Principes, liberari eos, et potestatem ad se veniendi fieri jusserunt, et se purgantes perhumaniter quidem audierunt, culpisque et commissis, quae objecta, nec diluta fuerant, cum magnis

Ann. M.cd.xcix.

Digitized by Google

gnis officiis compensatis, sine ulla vel dignitatis, vel vectigalium imminutione veniam dederunt; ut tamen ad imperium administrationemque Provinciae redirent, non visum est oportere.

XXIX. Praefuit autem Hispaniolae Franciscus Bovadilla ad annum Christi millesimum quingentesimum secundum, quo anno Nicolaus Ovandus successor cum triginta navibus et magna Castellanorum manu missus est. Nam vivente Isabella Regina aliarum Hispaniae regionum homines trajicere vetabantur; quo tempore Christophorus quoque Colonus Principum voluntate ad novas terras investigandas cum quatuor navigiis reversus est, appulitque Hispaniolae insulae pridie quam Franciscus Bovadilla, tradita Ovando successori Provincia, naves solveret, quibus Ovandus cum suis advectus fuerat. Solvit autem dehortante per nuntios Colono, qui, ut erat navigandi ac temporum peritissimus, certa imminentis tempestatis indicia praecognoverat, seque in portum receperat. Cujus dehortatione Bovadilla, nec prudente, nec felice consilio contemta, vix passuum millia quadraginta processerat, cum exorta tempestas est, quae tantopere naves afflixit, ut ex triginta vix quatuor, aut quinque fortuna servaret, reliquas enim vis fluctuum ventorumque aut depressit, aut in terram et scopulos allisit. Hoc naufragio quingenti circiter homines perierunt, in quorum numero fuit Franciscus ipse Bovadilla, Antoniusque Torres classis praefectus, et Roldanus Ximenez. Amissa est etiam auri magna vis, et in eo *palacrana*, idest, aurea massa, ab ancilla quadam in-

ANN. M. DII.

inventa , quae quadraginta circiter Romanas, id est, duodenarum unciarum libras pendebat.

XXX. Suscepta Provincia , Nicolaus Ovandus Higuejam regionem tumultuantem , sumto de auctoribus defectionis suppliciō, compescuit. Quo negotio celeriter confecto, cum insula omnis pacata esse videretur, multi tamen Barbarorum Reguli , *Caziques* patrio vocabulo nominati , rebellandi consilium inierunt , ac ut jugum servitutis excuterent , in Hispanorum perniciem ad Xaraguam Provinciam cum Anacanoa Principe femina conspirarunt, quae uxor fuerat Caonabi Reguli, de quo supra mentionem fecimus. Huic malo, cum esset occultis nuntiis perlatum , Nicolaus ut occurreret , cum peditibus ducentis, equitibus vero septuaginta , in Xaraguam progreditur, et per speciem colloquii Regulos evocari jubet; nec imperium illi detrectarunt: affuit etiam Anacanoa. Tum Hispani equestri ludo sese exercere velle simulant , ut sine Barbarorum suspicione armati, quasi ad simulacrum pugnae prodirent. Jam equitatus omnis in forum processerat, Hispanique ceteri ad signum tuba datum confluebant , cum Reguli circiter quadraginta in domum, qua Nicolaus diversabatur, per colloquii causam evocati convenerunt; ibique conclusi et obsessi , domo incensa combusti perierunt. Quod consilium et factum, si verum quaerimus, plus habuit, ut opinor, insidiarum et crudelitatis, quam justi et honesti. Non enim sola voluntas rebellandi in principibus gentis male pacatae extremo supplicio jure et more gentium vindicari solet; sed ipse conatus et pertinacia puni-

nitur, cum fuerint rursus debellati, idque palam et ingenue; at per dolum malum et colloquii simulationem, etiam cum bellum aperte geritur, in hostes vel pertinaces saevire perfidiosum habetur et nefarium.

XXXI. Tertio post mense in ipsum quoque Anacanoam capitaliter fuit animadversum. Hujus propinquus Guaorocuja ad saltum Baorutum palam cum defecisset, missa Hispanorum centum triginta manu debellatus et captus est, capiteque plexus. Guahava quoque, et Zavana, Amigajaquaque tumultuantes Provinciae pacatae; et item Guacajarima, gens inculta et eximie barbara; non oppida, non domos habitare, sed pro his speluncas et subterranea loca subire; nec agros colere, sed herbis et arborum sponte naturae provenientibus fructibus vivere. Hoc bello, quod sexto post mense a nostris, duce Jacobo Velasque confectum est, Barbari harum Provinciarum exemplo et conjuratorum Principum casu perterriti, tantopere animos demiserunt, ut in posterum nihil minus, quam de rebellione cogitarent.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS HISPANORUM GESTIS
AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER SECUNDUS.

I. DIXIMUS de Haitia insula, quae *Hispaniola* a nostris nominatur; proximum est, ut de *Boriquena*, quam nostri *Sancti Joannis* cognominarunt, memoremus. Decima septima parte citra aequinoctialem orbem Boriquena sita est, passuumque bis centena et viginti millia, hoc est, leucas quinquaginta quinque in longitudinem, minusque dimidio in latitudinem patet, *cazabiae* et *maiziae*, quae Barbaris pro frumento sunt, multarum praeterea frugum aurique ferax, ac multis fluminibus ex monte, qui per mediam longitudinem decurrit, defluentibus irrigua. Qua parte solis occasum spectat, ab Hispaniola triginta leucis abest, interjecta medio ferme spatio Mona, parva quidem insula, id est, tres leucas in orbem colligente, sed frumentaria, et varii generis arboribus silvestri et amoena. Boriquenam Joannes Pontius, qui Christophori Coloni in secunda navigatione comes fuerat, in ditionem redegit, Nicolao Ovando Hispaniolam etiam nunc obtinente. Hujus enim voluntate Joannes Pontius, qui bello Haitiensi egregia virtutis et industriae documenta dederat, amicorum manum coëgit; et cum de Boriquenae ubertate et auriferis amnibus indicio Barbarorum cognovisset,

Digitized by Google

set, eodem uno navigio adnavigavit, et in eam partem descendit, cui Agueibana Regulus imperitabat, vir probus et humanus, a quo nostri perhumaniter excepti et indulgenter habiti sunt, accepto etiam Joannis Pontii nomine (ut est illarum gentium consuetudo, cum quo quisque foedus et amicitiam inierit, ejus deinde nomine nuncupari) et amnes auriferi monstrati; unde Pontius, auri bona parte collecta, socios ad Boriquenam relinquens, in Hispaniolam revertitur, cum jam Jacobus Colonus, secundus Almirantus, cum imperio tituloque Proregis adesset; a quo pro suo jure novis magistratibus in Boriquenam submissis, Pontius tamen cum uxore et liberis in eamdem insulam privatus revertitur. Sed exacto anno, ad pristinam dignitatem et insulae praefecturam decreto et diplomate Regio restitutus est, cum de ipsius in rempublicam meritis et virtutibus Rex Ovandi testimonio, qui Colono tradita Provincia in Hispaniam redierat, cognovisset.

II. Hujus potissimum opera et cura Boriquena omnis sese in nostrorum potestatem cum permisisset, Barbari per clientelas distributi, hic quoque, ut ad Hispaniolam, labore intolerabili colligendo ac effodiendo auro per magnam patronorum crudelitatem et avaritiam fatigabantur; quo factum est, ut Barbaris, quos metus et Haitiensium exemplum ad deditionem induxerat, desperatio animos adderet, ad defectionemque compelleret. Sed consilio per principes communicato, id maxime difficultatem afferebat, quod Hispani, qui nova et inusitata hominum facie, virtute, consilio et perspicacitate, ab ortu solis devecti, perpauci maximam homi-

 num

num multitudinem ad Haitiam insulam debellassent, num Deorum genus essent et immortales, an occidi possent, dubitabant. Hoc igitur primum omnium explorari placuit, quod negotium Vrajanus, qui Jaguacae regionis imperium tenebat, Princeps cum suscepisset, forte accidit, ut ad hunc Salcedus, Hispanus adolescens, ad suos iter habens solus, omnisque fraudis securus, diverteret; quam occasionem Barbarus haud praetereundam ratus, adolescentem comiter ac indulgenter habuit, et proficiscenti bajulos ad supellectilem provehendam, ducesque itineris, quid fieri vellet edoctos, attribuit. Hi ad Guarabonem flumen progressi: *Vis*, inquiunt, *Salcede, sublimis, ac humeris nostris innitens, ut aquae molestiam vites, trajicere?* Cumque is annuisset, ex illis, qui corpore et animo robustissimi erant, ipsum in subjectos humeros complicataque brachia impositum convehunt, flumenque ceteris cohaerentibus ingrediuntur; ad mediamque et altissimam aquam progressi dejectum atque suppresum, donec humore praecordia subeunte animam exhalaret, tenuerunt. Tum corpus ad ripam projectum hujusmodi verbis inclamare coeperunt: *Surge, vir optime Salcede, nobisque da veniam, qui prolapsi cecidimus, teque inviti destituimus: surge, pergamus ire.* Et talibus alloquiis triduo consumto, jamque cadavere tetrum odorem emittente, ad Durajanum redierunt, qui non satis habita fide, iterum et saepius misit, qui cadaver, an revivisceret, intuerentur.

III. Hoc nuntio Reguli Barbarorum accepto, firmioribus animis in nostrorum caedem conspirarunt; sed et hujus periculi faciendi gratia Regulus alter Hispanum ju-

Digitized by Google

juvenem nactus, cui nomen erat Petrus Xuarez, vinctum eum asservari jubet, suisque praecepit, uti pila luderent, proposito victoribus praemio, ut Hispanum, quo mortis genere libuisset, trucidarent. Erat huic servus puer indigena, qui cognito domini periculo, sibi quoque metuens, in Guarionexi Reguli proximos fines profugit, ubi Jacobus Salazarus, Xuaris amicus, vir corporis et animi viribus praestans agebat. Hic ubi puerum plorantem conspexit, et de Xuaris periculo indicio pueri cognovit, eodem itineris duce (nam metu recusantem intentata morte praeire coëgit) in locum, ubi Xuares vinctus tenebatur, pervenit; dissectisque vinculis eumdem hortatus, magno impetu Barbarorum turbam invadit, qui numero erant ad trecenti; et multis gladio confossis, ceterisque ad anceps Regulo illatum vulnus perterritis, sibi socioque viam aperuit. Regulus invictum hominis animum et incredibile facinus demiratus, tantam virtutem etiam in hoste, a quo vulnus acceperat, colendam ratus, properare quosdam jubet, suisque verbis ac precibus a Salazaro petere, ad se rediret, qui virtutis ejus magnitudine ductus vellet cuperetque cum eo foedus amicitiae sancire. Hoc nuntio accepto, Salazarus quamquam Xuare, cui Barbarorum revocatio suspecta erat, dehortante, redivit tamen, ne metu deterritus fuisse videretur; cui Regulus quidnam vellet interroganti: *Ut me in tuam amicitiam recipias*, respondit, *et tuo nomine nuncupari permittas*. Quam conditionem cum Salazarus sese libenter accipere dixisset; Barbarorum circumjecta turba, *Salazare*, *Salazare*, inclamare coepit, Regulum novo nomine vocitantes, quod ille

Digitized by Google

ille perlibenter audiebat, non secus ac si cum novo nomine pari etiam virtute suffunderetur. Ad hunc modum icto foedere, Regulus discedenti Salazaro quatuor servos, et res alias, quas ad manum habuit, dono dedit.

IV. Sed redeo ad Barbarorum defectionem, qui cum de Hispanorum mortalitate exploratum habuissent, diem internecioni constituunt; qui cum illuxisset, dispersos nostros per insulam et nihil hostile metuentes, Reguli suum quisque patronum atque hospitem eodem tempore facto impetu trucidarunt; Guarionexus vero Regulus, ut erat constitutum, coacta hominum trium millium manu, cum his *Sotomajorem*, parvam Coloniam Hispanorum, improvisus invadit, subjectoque igne aedificia celeriter incendit, ex nostrisque nonnullos oppressit; reliquos autem conturbatos et repentino periculo perterritos, Jacobus idem Salazarus servavit. Hic enim non solum animo nihil defecit, sed socios etiam confirmavit, et animos tantopere addidit, ut illo non verbis solum, sed exemplo multo etiam magis adhortante, perpauci tantae multitudinis impetum sustinerent; nec sustinerent modo, sed multis etiam vulneribus illatis, conterritos Barbaros in fugam conjicerent. Itaque hoc duce nostri, quiescentibus timore Barbaris, Caparram, Coloniam alteram Hispanorum, ad Joannem Pontium insulae praefectum incolumes pervenerunt. Hac defectione conspirationeque Barbarorum caesi sunt centum circiter nostrorum, et in his Christophorus Sotomajor, vir familiae illustris, qui Coloniae nomen dederat; superfuere autem in tota insula vix alteri centum.

Digitized by Google

tum. His ad Caparram coactis tripartitisque Joannes Pontius tres viros praefecit, Jacobum Salazarum, Michaëlem Torum, et Ludovicum Almansam, cumque eis in fines Agueibanae Reguli movit; huc enim ad flumen Coajucum Boriquensium bona pars Caribibus ex proximis insulis adjunctis convenerant; quartaque vigilia in hostes impetu facto, multos concidit parva suorum jactura, ceteros dissipatos in fugam dedit. Cui revertenti Mahodemocam Regulum cum hominibus sexcentis Hispanorum adventum ad Caparram exspectare ab exploratoribus cum esset renuntiatum, Jacobum Salazarum cum sua manu antecedere jubet, ipse cum ceteris subsequitur. Salazarus, non exspectato subsequentium cum Joanne Pontio copiarum auxilio, noctu hostem invadit, ac certamine in duas amplius horas producto fundit fugatque, hostibus ad centum quinquaginta concisis, nostrorum nemine desiderato: sed nec omnium quisquam letalem plagat accepit.

V. His per partes cladibus acceptis, Barbari vires conferre, et cum nostris summis copiis confligere constituunt, et hominum undecim amplius millia ad Provinciam, cui nomen est *Jaqueca*, convenerunt. Hoc nuntiato, Joannes Pontius ipse quoque omnes suas copias, id est, Hispanos circiter octoginta in hostes inducit, et jam sole in occasum praecipite, intra teli jactum castra ponit, Barbaris nostrorum animos, qui tam pauci tam multos contemnerent, nec exspectantes dum praelio lacesserentur, in se ultro movissent, demirantibus ac horrescentibus; nec tamen defuere qui virtute ceteris praestantes, in medium procurrerent, nostrosque ad leve prae-

praelium provocarent ; sed cum hi nostrorum telis repellerentur , quidamque conciderent ad unius viri , ut creditum est, principis casum, qui scloppeti glande eminus confossus est, conturbati atque animo deficientes pedem retulerunt, extraque teli jactum consederunt. Quo nostri animadverso , qui Barbaros sponte cedentes ratione vinci et servari, quam per pugnae discrimen cum suo periculo et incommodo concidi malebant , eadem nocte, velut eis per humanitatem parcentes, discesserunt; prudente scilicet consilio , Barbari enim eorum discessu delectati , in suam quisque domum diffluentes , revertuntur, nec amplius ausi sunt publice desciscendi bellique faciendi consilium inire.

VI. Diximus de Boriquena insula , quae a nostris Sancti Joannis cognominatur ; deinceps de *Cuba* dicendum est , quae ex Fernando Rege *Fernandina* quoque nuncupatur, et magnitudine praestat, nobilitateque proxime ad Hispaniolam accedit. Patet Cuba in longitudinem ab ortu in occasum passuum duodecies centena millia , in latitudinem, qua plurimum, bis centena et sexaginta millia, quippe aliis in locis multo est angustior. Propior haec est Continenti, et magis ad occasum recedit, quam Haitia, a qua distat passuum millibus circiter sexaginta. Quod vero pertinet ad coelestem regionem , partibus decem et novem citra circulum aequinoctialem pars ejus, quae in austrum maxime recedit, sita est. Hanc insulam primo adventu Christophorus Colonus attigerat, et secundo ex Hispaniola repetiverat ; sed nec tunc ab ipso, nec post a Nicolao Ovando , qui eam , missis duabus caravelis milite instru-

stru-

Digitized by Google

structis cum Sebastiano Ocampo praefecto, tentavit, in ditionem redacta est; nec pacati Barbari ante Jacobi Coloni secundi Almiranti adventum, qui patre Christophoro mortuo, ut ad Hispaniolam cum imperio, quod illi fuerat abrogatum, mitteretur a Rege Fernando, per Ducem Albanum, cujus fratris filiam uxorem duxerat, impetravit. Ab hoc enim Jacobus Velasques ex Hispaniola insula cum milite missus, Cubam occupavit in Provinciamque redegit, et quorumdam oppidorum locis idoneis fundamenta jecit, quorum principem locum *Sanctus Jacobus* obtinuit, ubi Sedes Pontificia est et Ecclesia Cathedralis, Canonicique et Dignitates, et reliquus Clerus, rei divinae sacrisque Romano et Hispano more procurandis dicati. In moribus hominum et ingenio, terraeque natura perexiguum est harum insularum et vicinarum discrimen: ubique homines, tum mares, tum etiam feminae in omne genus libidinis proclives erant; quidam etiam portentosae intemperantiae Venerique serviebant; uxores ducebant tenuiores singulas, principes divitesque quot liberet, et alere possent, cum magna divortii faciendi licentia, seu viro liberet, sive uxori discedere; parentes cum liberis, aut fratres cum sororibus commisceri, magnopere habebatur religioni. Quo die principum nuptiae celebrabantur, Cubensium mos erat, omnes principes officii gratia convenientes cum nova nupta concumbere, idemque officium divites et nobiles sui ordinis amicis praestabant, et populares eodem modo; quos ubi nova nupta passa erat, in publicum prodibat, brachioque dextro concutiendo, sese fortiter gessisse, strenueque munere functam significabat ja-

Digitized by Google

etabatque. Principum funera magna caerimonia celebrabantur, quorum uxores, quas maxime quisque dilexisset, vivae simul sepulcra panem et aquam, et arborum fructus in dies aliquot inferentes subibant, sponte pleraeque; sed siqua recusaret, interdum etiam invitae. Sed hos ceterosque barbaros et inhumanos mores cum idolorum cultu nostri, constituta poena capitali, quocumque accessissent, imperio potiti, magna cura et diligentia sustulerunt, ut animi Barbarorum ad mitiorem cultum et Christianam religionem praepararentur, cujus tradendae curam monachi et sacerdotes diligenter obibant.

VII. Ad Cubam insulam Barbari, ut in Hispaniola, in clientelas dati distributique sunt, ac eodem modo nimio labore ad aurifodinas fatigati, aut etiam voluntaria morte plerique perierunt, crudelitate itidem et avaritia patronorum; sic Deo volente flagitia et impietates Barbarorum per injustos homines vindicari: quod item accidit in omnibus fere insulis circumjectis, quae a nostris fuerunt occupatae. Quarum Cubagua magnitudine quidem parva est, haud amplius passuum duodecim millia in orbem colligens, margaritarum tamen divitiis vel maxima. Decimo ferme gradu citra aequinoctialem circulum sita est, sexdecim passuum millibus a Continente et Provincia Araja; rerum omnium, quae ad victum cultumque pertinent sterilis, sola gemmarum copia commendabilis, ne aqua quidem potui apta suppetente. Itaque eam ex Continente et fluvio Cumana aquari necesse est, viginti octo millium passuum navigatione a novis Gadibus, quod oppidum nostri gemmarum

rum gratia condiderunt, lignarique ex Margarita, majore insula, quatuor passuum millibus distante.

VIII. Cum tertia navigatione Christophorus Colonus prope Cubaguam tribus navigiis accessisset, jactis anchoris ex nautis quosdam cymba invehi, et canoam, qua Barbari margaritarum conchas, ut postea cognitum est, piscabantur, intercipere jubet. Hi, cum Barbari se metu in terram recepissent, accedentes animadverterunt mulierculam, quae in littore aderat, grandiorum margaritarum filo consutarum orbes moniliaque gestare, minutas enim Barbari contemnebant. Tunc unus ex nostris fictilem lancem versicolorem confregit, frustaque ostentans, mulierculam allexit, et horum permutatione, ut Barbari hujusmodi nugis propter novitatem capiebantur, ab ea, deinde ab aliis orbes aliquot margaritarum accepit; quibus ad reditum nautarum conspectis, Colonus et insperatis opibus delectatus, cum aciculis et tintinnabulis, aliaque lance reverti eos, et margaritis permutare jubet; acceptisque unciis circiter quinquaginta, nihil moratus, sublatis anchoris discedit, quo minus scilicet gemmarum copia intelligeretur, neve cupido nostros incesseret, cum facile posset multo majore numero potiri. Nec abfuit suspicio, id quod postea crimini Colono datum est, ipsum Principes hac de re compendii sui, vel novarum conditionum gratia ad tempus celare voluisse; sed longe aliter Colono res, si suspicio vera fuit, quam speraverat, evenit. Quidam enim Palenses nautae ex iis, quorum opera fuerat in ea navigatione usus, in Hispaniam reversi, consilium privatim inierunt eodem redeundi; ascitisque secreto in so-

Digitized by Google

cietatem ejusdem artis amicis, navem conscendunt, et duce Petro Alfonso Nigno in Margaritarum insulam (sic enim a nostris *Cubagua* nominatur) navigarunt, unde fictilium et aeneorum tintinnabulorum, similiumque nugarum permutatione, margaritarum triginta circiter libras retulerunt; sed in Gallaeciam, tempestate delati, hanc Provinciam Prorege Fernando Vega procurante, in manus ejus inciderunt, qui cognita per indicium istorum fraude, qui injussu Regis, vel Almiranti, negotium clam temereque susceperant, comprehendi eos jussit, navemque retineri et vinctos cum ablatis margaritis ad Principes deducendos mandavit, qui tunc primum, vel tunc maxime de proventu et piscatione margaritarum cognoverunt; dataque his venia, diligentius deinde Cubaguam insulam custodiri jusserunt.

IX. His insulis et aliis quibusdam pacatis, ad Hispaniolam Senatus et tribunal jure consultorum constitutum est, qui causas ex provocatione cognoscerent, et gesti muneris rationem a Magistratibus reposcerent. Ceterum Francisco Ximene Cardinale Romanae Ecclesiae, et Pontifice Toletano, Castellam post obitum Fernandi Regis procurante, missi ab eo sunt Monachi ex Hieronymi familia, qui eas insulas et regiones cum summa potestate administrarent; hos enim Monachos, ut religionem egregie colere, et simul rem familiarem scienter solerterque administrare solent, illi praefecturae, quae utramque curam desiderabat, opportunos fore Monachus ipse Franciscanus existimavit.

X. Per id tempus tres viri primarii ex eorum numero, qui primo in illas regiones Hispanorum adventu

Digitized by Google

tu devecti fuerant, Franciscus Fernandes Corduba, Christophorus Morantes, Lupus Ochoa Caizedus, de novis terris investigandis consilium inierunt, et Monachis praesidibus, de quibus supra scripsi, et Jacobo Velasque praefecto Cubae, ubi tres iidem morabantur, libentibus et institutum comprobantibus, centum et decem Hispanorum manum ad Cubam insulam coëgerunt, triaque navigia rebus omnibus necessariis instruxerunt, et haec omnia suis impensis compararunt; traditaque Francisco Fernando imperandi summa, impositis militibus ex Sancto Jacobo, urbe maritima, ad australem Cubae partem sita, quae hujus insulae caput et metropolis est, solvunt, qui fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus decimus septimus, oramque legentes in promontorium *Sancti Antonii* cognominatum, quod extremam Cubae partem ad solis occasum tenet, appulerunt. Hinc digressi, eumdemque cursum tenentes, solem occidentem sequebantur, sextoque die in terrae Continentis et Jucatanae ab ea in solis ortum procurrentis peninsulae, quae initio insula esse putabatur, conspectum devenerunt, propiusque accedentes, turriculas quasdam humiles in littore conspexerunt ex lapidibus structas, sed stramine tectas, quo per gradus paucos ascendebatur. Haec autem erant sacella, quibus Barbari diis suis immolabant. Praeterea homines fusci coloris et parva statura, quales esse in insulis adjacentibus diximus, seminudos conspicati sunt, qui veste xylina tenui candidaque corpori laxe haerente, quidam etiam interioribus subuculis ex eadem tela, versicoloribus tamen vestiti erant. Ad haec, inaures viri quoque, non solum feminae au-

ANN. M.D.XVII.

Digitized by Google

aureas gestabant, quae et ipsae capita pectoraque xylinis velaminibus tegebant.

XI. In Provinciam, cui nomen est *Campechio*, littora legendo ubi ventum est, oppidum in littore domorum trium circiter millium apparuit, unde maxima hominum turba ad nostrarum navium spectaculum mirabunda processit. Mirari earum magnitudinem, quae quamquam erant exiguae ex caravelarum genere, tamen ipsorum monoxylis naviculis collatae, pergrandes erant; mirari armamentorum velorumque novitatem, sed omnium maxime ad fulgorem igneum et subsequentes tormentorum aeneorum bombos, quasi ad fulgetra, tonitruaque stupescebant. Huic oppido Franciscus Fernandes *Lazaro* nomen indidit, propterea quod naves, quo die Lazari resurrectio celebratur, huc appulsae sunt. Hic quidam ex nostris in terram descenderunt, benigneque a Barbaris excepti sunt, et tum avium, quae apud eos nostrates pavones imitantur, tum coturnicum, anatum, anserum, leporum, cervorum, et aliarum avium ferarumque appositis carnibus liberaliter accepti. Ad ea loca nostri lapideas quasdam cruces in sacellis se reperisse confirmarunt, staturae humanae longitudine pares, quas in siccitatibus aqua suffundere, ab eisque venerabundos pluviam implorare et impetrare solitos esse Barbaros, ipsi nostris percunctantibus confirmaverunt, quod Fernandus quoque Cortesius in commentariis rerum a se gestarum ad Carolum Regem missis affirmat. Hoc illi qua ratione facerent, nescimus; certe ad eas mundi plagas Evangelicam praedicationem olim pervenisse, nullum praeterea vestigium repertum est.

Dein-

Digitized by Google

XI. Deinde nostri ad Aguanillam Provinciam sexaginta circiter passuum millia progressi, contra Moscobum oppidum jactis anchoris constiterunt; parantesque in terram descendere, magno armatorum Barbarorum, qui facies frontesque variis coloribus picti erant, concursu prohibentur; vixque ab eis impetratum, ut aquandi modo gratia ipsorum voluntate in terram descendere liceret. Nec id bona fide concessum. Nam ubi Franciscus Fernandes cum parte suorum descendit, de fonte puteove percunctantibus, longius a littore abesse Barbari responderunt, et angustum suspectumque tramitem, qui ad aquam duceret, ostenderunt. Sed cum ex nostrorum cunctatione et recusatione dolum intellectum esse animadverterent, magna multitudo, cominus hastis et clypeis, eminus arcubus et sagittis rem gerentes, eos invadunt; quorum impetum Hispani magno quidem animo, sed non sine jactura cum sustinuissent, viginti amissis, vulneratis triginta, quorum fuit Dux ipse Franciscus, sese ad naves receperunt. Hoc detrimento praeter opinionem accepto, cum se ex numero exiguo in eam paucitatem redactos esse viderent, quae a Barbaris, quos alioquin non prorsus imbelles experti essent, facile pro sua multitudine contemni posset, cursum communi consilio flectere constituunt; ac ut nuntiatis quae compererant et notaverant, majore cum apparatu remearent, in Cubam insulam reverterunt.

XIII. His rebus Jacobus Velasques ex illorum sermone cognitis, ad novarum insularum, aut etiam Continentis spem excitatur, Monachorumque praesidum voluntate et auctoritate, ducentorum hominum contracta

ma-

Digitized by Google

manu, huic Joannem Grisalvam virum strenuum praeesse jubet, et quatuor caravelas rebus necessariis tormentisque instructas attribuit, et quid fieri vellet, ostendit. Igitur ex urbe Sancto Jacobo mense Januario, qui fuit ANN. M.DX.VIII. annus Christi millesimus quingentesimus decimus octavus, Joannes Grisalva naves solvit, in quibus gubernandis Antonius Alaminus navigandi peritus, qui superiore navigatione Francisco Fernando idem officium praestiterat, principem locum obtinebat, diuque ad eamdem insulam in itinere moratus est, rerum, quae navigationi negotioque suscepto usui forent, expediendarum causa; ita ut in Sancti Antonii promontorium non ante Kalendas Majas perveniret, quo die Cubam relinquens, tertio, qui Sanctae Crucis festus agebatur, Cozumelae insulae, quam idcirco *Sanctae Crucis* cognominavit, sexaginta fere leucis confectis, appulit. Haec insula minimo intervallo a Jucatanae australi parte sejuncta, decimo gradu citra aequinoctialem circulum sita est. Cujus littoribus legendis biduo Grisalva consumto, et cum quibusdam indigenarum, qui cymbis advecti fuerant, collocutus in terram cum parte suorum descendit, Deumque genibus flexis, ut coepta secundaret, veneratus est. Tum nomine Joannae et Caroli filii, Reginae Regisque Castellae, possessionem ejus insulae, ut erat imperatum, se apprehendere dixit, et qui aderant, testificatus est, et tabellionem appellans, ut possessionis scripturam conficeret, postulavit. Ad hanc insulam parumper commoratus Grisalva, et cum indigenis, quibus illa raris et pauperibus habitabatur, collocutus, ad naves cum suis revertitur; et sublatis anchoris in Jucatanam brevi in-

Digitized by Google

intervallo, ut demonstratum est, a Cozumela sejunctam Continentis Provinciam, de qua supra meminimus, directo cursu littora legendo, Barbaros, ad quos scilicet superioris nostrorum navigationis et malae pugnae fama pervenerat, nostrae classis adventum ignibus et fumis aliis alios ex locis editis significare animadvertunt; longiusque progressi e regione Lazari, cujus oppidi superius mentionem fecimus, occidente sole pervenerunt, ibique in anchoris constiterunt, multis Barbarorum, qui prospecta classe concurrerant, in littore conspectis, qui Barbari sequentis noctis nulla parte intermissa, ut ex tympanorum strepitu buccinarumque sonitu intelligi potuit, excubias ad oppidum agitarunt.

XIV. Jam nostri aquae dulcis, quam frustra diebus superioribus in littore quaesiverant, inopia tantopere premebantur, ut mero ex Hispania scilicet deportato uti cogerentur. Ita cum vel aquandi gratia in terram descendere necesse esset, cymbis in mare dejectis, in eas tres bombardulas imponunt; et ceteris rebus compararis, Grisalva in navis praetoriae cymbam cum parte militum, quae imponi potuit, descendit; ceterique praefecti, ut jussi erant, eodem modo in suam quisque, deinde in terram descenderunt; et juxta fanum, quod erat in littore, acie instructa et tormentis dispositis subsistentes, cymbas ceteros deportandi gratia ad naves remittunt; quibus advectis expositisque, prima luce Grisalva in prospectum Barbarorum, qui frequentissimi ante oppidum armati constiterant, progressus, suos, ne quid temere agerent, hortatus, ac ne quis injussu suo ab acie agmineque colloquendi cum Barba-

G ris,

Digitized by Google

ris, vel permutandi, aliave causa discederet, edicit gravì poena, siquis dicto audiens non fuisset, constituta.

XV. Interea Barbari hastas vibrare, arcus et sagittas in nostros intendere, et ferociter insultantes, periculum praeliumque ipsis, nisi statim facesserent, modis omnibus denuntiare. Hoc animadverso, Grisalva per Julianum interpretem indigenam, quem inde Franciscus Fernandes Corduba superiore navigatione abduxerat, a Barbaris postulat, ut eorum aliqui colloquendi gratia propius accederent, velle se de re communi aliqua dicere, quae ad minuendas controversias pertinerent. Cum quidam accessissent, blandis eos et amicis verbis alloquitur: „Non se infestos, nec maleficii, aut injuriae „causa, sed aquandi necessitate amico animo in terram „descendisse; proinde rogare, ut aequo id animo paterentur." Ad ea Barbari: „Nec sibi, nec Principi suo „ingratum id fore responderunt, modo aquatione per„acta, statim discederent." Qua de re data acceptaque fide, ad suos revertuntur. Tum nostri, re divina missaque rite patrata, in puteum a Barbaris monstratum procedunt; et posteaquam sitim diuturnam avide scilicet expleverant, circum puteum castra ponunt, aquam nauticis ministris diligenter haurientibus et ad naves deportantibus.

XVI. Interea Barbari nonnulli inermes in castra ventitabant, nostrosque, ut discedere maturarent, per eumdem interpretem commonebant. Grisalva Barbaros placide ac liberaliter alloquebatur; hortatusque, ut suum Principem, cujus ipse amicitiam expeteret, ad se colloquendi gratia vocarent, laetos dimittebat. Illi ad suos re-

Digitized by Google

reversi, iterum in castra redibant, et Principem paulo post affuturum renuntiabant, et panes ex maizio, Barbarico frumento, et alia cibaria deferebant; pro his nostri vitreas pilulas, seu calculos diversorum colorum, et cultellos ac forficulas, et his similia reddebant. Barbari rerum novitatem admirantes, ad suos monstrandi gratia recurrebant; quidam ad aspectum nostrorum ridebant, novam hominum faciem quasi nova animantia cum risu demirantes, simileque faciebant, ut si homines simiis risum moverent, vel ut ridiculum animal, quod simiam facie ac gestibus imitaretur. Multi praeterea ad tibiae cantum, tympanique sonitum demirantes accedebant, quidam etiam in saltationem prodibant. Sed et Principis frater magno comitatu affuit, cum quo Grisalva multa de imperio et majestate Regis Hispaniae, a quo missi essent, deque praefectis ipsius locutus est, qui Haitiam et Cubam et ceteras insulas obtinerent, utque amicis et clientibus, qui se in Regis fidem permisissent, contra ipsorum hostes opem liberaliter libenterque ferrent; ceterum Regulus ipse, ut in castra veniret, adduci non potuit, nec aurum Barbari permutandi gratia Hispanis cohortantibus detulerunt.

XVII. Talium rerum causa Barbaris in castra ventitantibus et Hispanos subinde, ut abire festinarent, cohortantibus, dies ille consumtus est. Postridie mane, qui fuit ad sextum Kalendas Junias, aquatione, quae nec nocte quidem intermissa erat, ut puteus parce manabat, nondum satis peracta, Barbari multo majore numero quam pridie se ostenderunt, qui armati ex oppido, quod vallo trabibusque pro moenibus erat munitum, prodibant.

bant. Horum duo ceteros antegressi, manu significantes, ut evestigio abirent, nostris denuntiare coeperunt, quorum alter candelam ardentem manu ferens, paulo longius progreditur; conceptisque verbis Deos precatus, ut res feliciter eveniret, candelam in lapide relinquens, ad suos se recepit. De quo rogatus Julianus interpres, solitos esse, respondit, illarum regionum mortales illa caerimonia hostibus praelium indicere, nisi ante consumtam candelam recessissent.

XVIII. His auditis, Grisalva, Barbaros ne quid temere in se nulla injuria lacessiti moverent, rogat et obtestatur, seque cum suis eodem die discessurum pollicetur. Haec et talia dum frustra jactat, candela igni absumta est; tum vero Barbari cum magno fremitu et ululatu in nostros impetum faciunt, sagittisque et lapidibus acriter lacessunt. Grisalva interpretem ad naves, quo extra periculum esset, neve conserto certamine profugeret, deportari jubet; tabellionemque cum ceteris, qui aderant, se invitum et injuriae repellendae causa ad arma procedere testatus, tormentorum telis primum emissis, magno impetu cum suis hostes invadit, et pulsos palantesque ad silvam, quo se fuga receperunt, insectatur. Ceterum silvae densitas, ut Hispanis ad rem cominus gerendam officiebat, sic Barbaris erat praesidio, qui ex occulto sagittis etiam inter fugam per occasionem Hispanos figebant. Itaque Grisalva, tribus vulneribus acceptis, receptui canere jubet, suosque uno amisso, pluribus vulneratis ad puteum, ubi initio consederant, reducit et aquationem urget. Qua peracta, etsi legati a Regulo de pace statim a praelio missi fuerant, nul-

Digitized by Google

nulla tamen nostris morandi causa visa est; itaque vulneratis primum, deinde aliis in cymbas impositis et praemissis, Grisalva cum reliquis ultimo commeatu circa solis occasum ad naves revertitur.

XIX. Inde postridie profecti in portum, quem *Optatum* cognominari placuit, inter parvas insulas quarto die pervenerunt, ubi quatuor hominibus in cymba piscatoria ad usum interpretandi captis, et in quatuor naves impositis, anchoras jecerunt, et paucos dies vulnera curandi et navem, quae mare largius admittebat, reficiendi causa commorati, discedunt; et minores alios fluvios praetergressi, et multos mortales ad littora ripasque conspicati, in magnum flumen et rapidissimum inciderunt; quo classe compulsa et vix passuum duo millia progressa, rapiditate aquarum conatus frustrante, in anchoris substiterunt, magna Barbarorum multitudine, quos navium accessus concitaverat, partim arcubus et sagittis, partim brevibus hastis et scutis armata, ex utraque parte ripam obsidente. Quorum unus vir primarius, conscensa navicula, cum paucis armatis adest, ut ex nostris, qui mortales essent, quidve peterent, sciscitaretur; sed quia horum lingua incognita Juliano erat, alter interpres ex quatuor nuper captis, qui jam baptismo initiatus Petrus Barba dicebatur, adhibitus est, quippe hi, alter alterius linguam intelligebant. Julianus igitur exceptum ex ore Grisalvae sermonem Petro Barbae, hic rursus Barbaro tradebat, vicissimque Barbari sermo per Petrum et Julianum Grisalvae reddebatur. Sciscitanti Barbaro Grisalva se sociosque ex longinqua ad solis ortum regione profectos fuisse pronuntiat, et illuc non infesta classe

se maleficiive causa , sed novas gentes novasque terras cognoscendi studio advectos esse , simulque ut inita amicitia et commercio , res , quas deportarent , auro , si quid eis esset , cum indigenis permutarent.

XX. His Barbarus auditis , Grisalvae sermonem ad suos se relaturum effatus discessit ; vesperique reversus, personam unam inauratam attulit , et cristam ex psittaci pennis confectam, pro quibus speculum auratum , duos cultellos , binas forficulas , monilia vitrea viridis coloris duo , et pauca quaedam alia his similia laetus accepit. Postridie Regulus cymba invectus , nec incomitatus affuit , et praetoria navi conscensa , quae permutari vellet, proponit , personas tres et galeam ligneas et inauratas, praeterea speculum , quod imagines utrimque reddebat, septem tonsorios cultros siliceos , septem monilia ex aureis corio superinductis bracteis , duo aurea brachialia, duas inaures , unum clypeum pictum pennis versicoloribus decorantibus , unam tunicam ex pennis versicoloribus faberrime confectam. Pro his Grisalva duas linteas subuculas dedit , duo specula vitrea aurata , unum cultrum , binas forfices , binas caligas ex iis , quae laxe haerentes tibiis tenus demittuntur , unum pileum , unum pectinem , quinque vitrea monilia viridis coloris , binos calceos canabinos , cingulum ex corio cum crumena , viginti quinque vitreos calculos versicolores. Hisque rebus permutatione facta , Grisalva ex piloso serico thoracem et pileum , praeterea monile vitreum dono Regulo dedit. Qua Grisalvae liberalitate Regulus captus , amicitiae foedus cum eo sese inire , ejusdemque nomine more illarum gentium appellari velle dixit. Grisalvaque annuente et con-

conditionem accipiente, Barbari patria caerimonia Regulum Grisalvae nomine ingeminatis clamoribus vocitarunt, exsultantesque laetitia discedunt; sed et fluvio Grisalva suum nomen imposuit, cujus ostium aquilonem spectat, gradu decimo circiter octavo citra circulum aequinoctialem.

XXI. Ex amne Grisalva digressa classis, littora in quibus multi mortales sese ostendebant, legere pergit, et in parvam insulam, quam *Sacrificiorum* nostri cognominarunt, compulsa est. Cognominis causa fuit, quod in ea fere media delubrum erat, in quo juxta lapideam imaginem, quam pro Deo Barbari colebant, multa humana cadavera pectoribus exsectis reperta sunt, quorum eruta corda Deo lapideo fuerant a Barbaris immolata impio et prodigioso ritu, sed plurimarum ad eas regiones gentium communi, ut postea gentibus illis in ditionem redactis compertum est. Quo tempore cum ceteri Barbari mores, tum in primis haec monstrosa et nefaria sacrificandi consuetudo sublata est a nostris, in quo uno malo tollendo et ex mentibus hominum abolendo satis erat superque causae, cur illi Barbari gentis humanioris cujusvis imperio armis subjici pie justissimeque posse viderentur, nedum Christianorum, ut simul ad veram et sacrosanctam religionem, et optimarum legum usum, ut factum est, reducerentur. Itaque Carolus Caesar, qui Rex erat Hispaniae, optimo suo jure in possessionem illarum regionum per suos praefectos et legatos inductus est; ut ante per alios insularum, sic eo tempore per Grisalvam Continentis ad eam partem, quae est contra Sacrificiorum insulam in Jucatana peninsula ejus

ejus plagae, quae postea fuit Nova Hispania nominata; cum jam non insula Jucatana, ut prius, sed pars Continentis consensu omnium, qui classe vehebantur, esse, ut erat, judicaretur, facta ex multis magnisque dulcis aquae fluminibus, quae in mare devolvuntur, conjectura, et item ex multis ac praealtis montibus, quibusdam etiam nive candentibus, qui a mari remotissimi prospiciebantur, et diversitate linguarum; cum qua conjectura oratio Barbarorum congruebat, affirmantium continens illarum regionum spatium multorum dierum itinere inter duo maria patere.

XXII. Sed apprehensa possessione, nondum ad naves Grisalva redierat, cum ad eum Regulus filiusque adolescens cum inermi comitatu venerunt; qui accedentes passis palmis, patria pacifice salutantium caerimonia, terram attigerunt; tum easdem palmas osculati, Grisalvam et ceteros Hispanos, quos primarios esse judicabant, amicorum et familiarium more hilariter amplexati sunt; deinde arborum ramos, quos Barbari terrae defixerant, subire, et ad umbram in solo herbarum, quas *Bihaos* iidem vocant, latis foliis strato, ut consideant, Regulus comiter hortatus, ceteram Hispanorum turbam per campum sedere jussit. Tum Grisalvae et amicis circa ipsum in umbra sedentibus, singula velut arundinis internodia praebet, quae ex altera parte accensa igne paulatim citra flammam exedente, suavissimum odorem afflabant, et multa utrique alteris quasi surdis loquebantur: nam cum interpres nullus interesset, verba frustra jactabantur. Itaque gestibus et manibus significando, magis proficiebant. Interea populares Barbarorum vestes quas-

Digitized by Google

quasdam parvi pretii cum nostris commutare coeperunt; sed cum intelligerent a nostris cuncta praeter aurum contemni, Regulus filium auri conquirendi gratia statim jubet abire; deinde nostros hortatur, ut ad naves revertantur, et postero die in eumdem locum conveniant. Postridie prima luce Barbaros ad littus cum duobus vexilis albis frequentes convenisse nostri animadvertentes, in locum eumdem redierunt. Huc quoque Regulus affuit, et eadem, qua hesterno congressu, caerimonia Grisalvam salutavit et amplexatus est, odoresque praebuit. Grisalva pulvinar comparari jubet, cui Barbari taciti et intenti cum admiratione quadam, appositis ab eisdem sponte sua incensisque odoribus, interfuerunt. Peracta missa, Regulus maizios panes et artocreas Grisalvae mittit. Hic suis distribuit, ita jentaculo non ingrato corporibus curatis: laeti utrique ad permutationes Glauci et Diomedis similes concurrunt. Barbari enim res aureas vel inauratas, nostri ferreas, vitreas, aut ex lana linove confectas, longe scilicet disparis pretii, commutabant. Quamquam si merces non nostro, qui nummis aureis utimur, voluntario pretio, sed naturali et usu humanae vitae necessario aestimentur, Barbari nihil damni faciebant, meritoque ferrei cultri et forfices, item laneae linteaeque vestes aureis securibus, brachialibus, monilibus, inauribusque, supervacaneis ornamentis longissime praeferantur, ut arma illa Diomedis ferrea ad belli usum et praelio decertandum nemo sanus aureis Glauci non anteferret; sed hominum ad orbem nostrum voluntario instituto, et lege, quae eadem hominum voluntate in diversum mutari potest, factum

H est,

est, ut ferro aurei nummi praestent: apud illas vero gentes, quae nummum ignorabant, et permutatione rerum ipsarum utebantur, aurum, quod ad delitias maxime accommodabant, haud erat cum ferro conferendum ad agros colendos, bella gerenda, domos struendas, naves aedificandas, urbes condendas necessario: nam quod pertinet ad oculorum oblectamentum, nisi ultra cupidorum avaritia procedat, vitri, quod crystallum, ceterasque gemmas perspicuitate vincit, et quo multi pretiosi lapilli adulterantur, quam auri aspectu non minus, ac potius magis oculi delectantur; ne quis vel nostros avaritiae injustitiaeque, vel Barbaros stultitiae nomine in permutationibus condemnet. Nam utrique vilia vilibus dantium, utrique pretiosa pretiosis accipientium existimatione et usu commutabant.

XXIII. Cujus commercii causa dum ad ea loca dies paucos Grisalva moraretur, communicato cum praefectis et primoribus consilio, statuit in navigium unum ad diuturnam navigationem non satis firmum, aegrotantes, quique minus idonei ad rem gerendam viderentur, imponi, ut commeatibus parceretur, cumque his Petrum Alvaradum praefectum in Cubam insulam remittere, qui de insulis et terra continente investigatis, deque rebus gestis Jacobum Velasquem edoceret, et partem quaesiti et commutati auri deferret, eidemque redderet. Hoc navigio cum tertia ferme parte hominum dimisso, Grisalva cum ceteris centum circiter militibus, extra nauticum ministerium, tres reliquas naves solvit, littoraque legendo navigare pergit, omnia diligenter oculis perlustrans, ut de Continente certiora cognosceret.

Ce-

Digitized by Google

XXIV. Ceterum quinto post die Antonius Alaminus Gubernatorum praefectus, Grisalvam ab ulteriore navigatione dehortatur, nec enim esse dubium, quin terra illa continens esset; praeterea cibariorum, quae jam parce suppeterent, habendam esse rationem; nec committendum, ut per importuosa et ignota maria, et propter magnos aquarum defluxus ad navigandum difficilia, diutius absque necessitate vagarentur. Hoc igitur potissimum, cui ceteri suffragabantur, auctore, quarto Kalendas Julias cursum retro flecti Grisalva jubet, cum a Cuba insula et urbe Sancto Jacobo vicies circiter centena millia passuum, hoc est, leucas quingentas, essent emensi; itaque converso itinere, littora relegendo, et in terra nunc permutandi, nunc aquandi causa descendendo, interdum cum Barbaris praeliando, redibant, et in Sanctum Jacobum, quo jam Alvaradus appulerat, circa Novembris Kalendas ad Jacobum Velasquem pervenerunt.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS HISPANORUM GESTIS

AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE[h]

LIBER TERTIUS.

I. CUM ex litteris Grisalvae et Alvaradi sermone de investigata explorataque continente Jacobus Velasques cognovisset, consilio cum Monachis praesidibus communicato, majorem classem majoremque manum militarem comparare et in expeditionem mittere constituit, ascitoque in societatem Fernando Cortesio, viro magni tum animi, tum etiam consilii, qui et ipse magnam vim auri congesserat, sic inter ipsos convenit, ut rebus omnibus communi sumtu comparatis, classi totique negotio Cortesius cum summa imperii praeficeretur, et quidquid lucri factum esset, in utriusque communem utilitatem cederet. Sed his rebus constitutis, Cortesius Jacobo Velasqui in suspicionem venit, si res ex animi sententia successisset, societatis religionem parum sanctam apud ipsum futuram; ita cum apparatus jam eo processisset, ut res palam et aperte impediri non posset, tamen clam et obscure Jacobus Velasques difficultatem commeatuum multis modis augendo, negotium impedire nitebatur. Cortesius autem sumtui nihil parcens, difficultates omnes consilio et industria superavit. Atque haec quidem Cortesius affirmabat, scriptumque in *Commentariis*, ut se purgaret, reliquit; illa tamen

in

Digitized by Google

in vulgus manavit et invaluit opinio, impensis Jacobi Velasquis Fernandum Cortesium, non aliter quam Joannem Grisalvam, quem supra nominavimus, missum cum classe fuisse; sed postea invitante successu, ne res lausque sua societate minueretur, fidem et amicum contemsisse; et sic a Gonzalo Fernando scriptore diligente, qui hanc historiam Hispano sermone persecutus est, memoriae mandatum esse videmus.

II. Coacta igitur utcumque undecim navium cum duabus speculatoriis classe, Cortesius in eas quingentos militares homines, et paucos equos imposuit; et a Sancto Jacobo, urbe primaria Cubae insulae, digressus, locis opportunis ad eamdem insulam quatuor menses res necessarias comparandi gratia consumsit. Tum mense Februario, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus Ann. M.D.XIX. decimus nonus ex promontorio *Sancti Antonii* cognominato, quae pars est insulae ejusdem Continenti proxima, Cubam relinquens, naves solvit, cursu in Jucatanam regionem, qua solem orientem spectat, directo. Ceterum insequente nocte vi subortae tempestatis classe disjecta, Cortesius ipse cum praetoria et altera navi in Jucatanae promontorium, *Mulierum* cognominatum, delatus est, quo ceterae naves, tribus exceptis, appulsae fuerant. Hinc trium quaerendarum gratia in Cozumelam brevissimo intervallo a Continente disjunctam insulam octo navibus contendit, ibique duabus in portu circa oppidum quoddam repertis, jactis anchoris consistit. Erant in ea insula oppida tria, quibus ad nostrorum accessum Barbari relictis, in nemora et silvas, quibus magnis ac densissimis referta insula est, sese abdiderunt.

Cor-

Digitized by Google

III. Cortesius dum quassata tempestate navigia reficiuntur, partem suorum silvas penetrare, et, si quem Barbarorum nacti essent, ad se deducere jubet. Deducta est cum tribus parvis filiis tribusque pedissequis mulieribus Reguli conjux, ut in silva latitabat. Omnes Cortesius Hispanis vestibus induit, datisque munusculis, perhumaniter tractavit. Cujus illa hortatu dum pedissequarum aliquam ad maritum cum mandatis mittere parat, venere quidam ab ipso Regulo uxorem et filios quaerendi causa missi. Hos Regina de nostrorum in se filiosque et comitatum humanitate et indulgentia docet, et ad maritum haec, et quae Cortesius mandaret, perferre jubet. Cortesius autem Regem suis verbis hortari mandat, ut omni abjecto timore, ipse ad se tamquam ad amicum veniret; nec solum ipse reverteretur, sed etiam suos populares in oppida redire juberet, idque eos tuto facturos data fide pollicetur. Hoc nuntio Barbari confirmati, postridie in oppida cum suo Rege remigrarunt, et nostros omni officio liberaliter sunt prosecuti, quidquid erat cibariorum libenter suggerentes. Erat in eadem insula aprorum magna copia, quos Hispani tum canibus, quos navibus deferebant, tum catapultis et scloppetis venabantur. Mellis quoque ceraeque vim magnam Barbari tribuerunt, quippe quarum rerum tam ferax ea insula est, ut alvearia complura millenorum circiter alveorum notarentur.

IV. Cortesius Regulum et viros primarios, qui ex omni insula confluxerant, jucundis munusculis remuneravit, per interpretem Barbarorum colloquendo, quem Franciscus Fernandus Corduba, de cujus in eas regiones na-

navigatione supra scripsimus, ex Jucatana vicina ejusdemque linguae Provincia deduxerat; is enim ex nostrorum consuetudine Hispane didicerat, sed illud in primis colloquendo docendoque curavit, et bona ex parte perfecit, ut ex vana idolorum veneratione in unius veri Dei cultum Barbaros traduceret, ipsorumque animos ad accipiendam Christianam religionem praepararet. Itaque ante diem vigesimum, quo ex hac insula discessit, ipsi Barbari imagines, quas pro Diis colebant, uno Presbytero et altero Monacho hortantibus atque cernentibus, confregerunt, ligneasque combusserunt, et pro his Deiparae Virginis cum Filio signum in templis repositum venerati sunt. Erat in littore proximo fanum turris instar multo immolatorum hominum sanguine madens; hoc in primis perpurgatum fuit, cunctisque Deorum signis dejectis, in eo altare constructum est Christiano more, et decoris stragulis, quae incolae ipsi libenter contribuerunt, ornatum, ibique Christi matrisque imago collocata, quam Barbari venerari non recusabant.

V. Hic Cortesius de duobus Hispanis, qui ad Jucatanam captivi apud Regulum quemdam tenebantur, cum cognovisset, eos, ut ad se perduceret, omnibus rebus conandum sibi esse constituit, quippe quos propter linguae notitiam, quam longa Barbarorum consuetudine didicissent, sibi ad colloquia peropportunos interpretes fore intelligebat, simulque humanitate ducebatur. Itaque insulanos duos timore Reguli, cui servirent Hispani, recusantes, tamen praemiis et pollicitationibus perpulit, ut epistolam mandataque ad captivos perferrent. Mandatorum summa erat: Fernandum Cortesium cum classe

et

et quingentis Hispani generis militibus ad Cozumelam insulam tempestate delatum, ibi reficiendarum navium gratia in anchoris consistere, qui cum de duobus Hispanis, qui ad ea loca captivi tenerentur, ex insulanis cognovisset, humanitate et officio ductus, certiores ipsos facere statuisset, misso speculatorio navigio, cujus praefecto mandasset, ut nuntiis insulanis, quibus epistolam dedisset, in terram Jucatanam expositis, ipse ad littus sex dies exspectaret; proinde hortari, ne in tam praesente occasione sibi deessent, sed ad classem venire, et ad libertatem contendere properarent, aut si qua vi necessariave causa impedirentur, se tamen de suarum rerum statu, et ubi gentium agerent, certiorem facerent, non cunctaturum, quin ad ipsos in libertatem asserendos primo quoque tempore cum ea manu proficisceretur.

VI. Hanc epistolam, quo tectius perferretur, nuntiorum alter capillis, quos more patrio longos et implicatos gestabat, involvit; sed his expositis, navigii praefectus cum frustra octo dies exspectasset, ad classem Cortesiumque revertitur, qui ea spe dejectus, repetito cursu Cozumela digreditur. Ceterum paucis diebus interjectis, cum classis ad eamdem insulam et portum quassati navigii reficiendi gratia revertisset, eoque refecto, profectio rursus urgeretur, et jam omnes praeter Cortesium et perpaucos naves conscendissent, navicula conspecta est, quae captivorum Hispanorum, de quibus ante dixi, alterum duosque insulanos nuntios vehebat. Hac terrae appulsa, Hispanus egreditur, genibusque flexis coelum suspicit, supplexque Deum veneratur et gratias agit, quod ejus beneficio suae nationis hominum inspera-

ra-

Digitized by Google

rato conspectu aliquando frueretur. Venit autem more illarum gentium barbarico, cetera nudus, verenda dumtaxat velamine tegente, arcum praeterea cum pharetra sagittisque ferebat. Qui de suo miserabili casu rogatus: „Astigitanus, inquit, sum, nomen mihi Hieronymus „Aguilarius. Cum in parva caravela, cursu in Hispaniolam insulam directo, navigassemus ad Jamaicam „insulam, in brevibus *Viperarum* cognominatis naufragium „fecimus; tum in cymbam nullo velo, male remis in„structam viginti homines cum Valdibia navis praefe„cto conscendimus, sine pane, sine aqua, nullo deni„que commeatu; diuque fluctibus jactati, ceteris fame „sitique consumtis, duodecim terram attigimus. Nam „maris aestus, qui ad ea loca solet esse maximus, cym„bam in terram continentem Majamque Provinciam „ejecit, cui saevus et immanis Regulus imperitabat. Ab „hoc quinque nostrum, quorum fuit praefectus ipse „Valdibia, ad impias Deorum aras immolati, et in e„pulas Barbaris gratissimas dati; nos autem reliqui ad „alterum epulare sacrificium reservati, custodiaeque dati. „Ceterum mortis miserrimae timore, ac salutis despera„tione audaciam et vires addente, vincula rupimus; et „fuga per silvas ad salutem contendentes, ad finitimum „Regulum, hostem illius, confugimus, a quo humani„ter excepti et servati sumus. Sed jam quinque morbo „sublatis, duo tantum reliqui eramus, ego et Gonza„lus Guerrerus, qui primariam feminam uxorem duxe„rat, et filios ex ea procreaverat, carus Regulo propter „bella, quae ab eo suis copiis praefectus, feliciter cum „finitimis gesserat. Is, quo se Barbaris commendaret,

 „ipso-

„ ipsorum more auriculas sibi interciderat, et nares per-„ foraverat; quibus rebus pudoreque impeditus, cum a „ me de nuntio et epistola factus certior fuisset, mecum „ venire recusavit."

VII. Hujus adventu laetus Cortesius, navem conscendit, sublatisque anchoris, Jucatanae littora legendo, navim, quae desiderabatur, in portu, qui *Absconditus* dicitur, ad parvam insulam offendit. Huc enim tempestate delati vectores, jactis anchoris in terram descenderant, et venatoria cane, quam Grisalva superiore navigatione casu reliquerat, reperta, venando cuniculis et cervis, quorum ad eam insulam magna copia erat, pascebantur, bona etiam parte condita sale, et in posterum reposita.

VIII. Ubi ad oram Tabascae Provinciae perventum contra ostium Grisalvae fluminis, de quo supra mentionem fecimus, classem Cortesius in anchoris consistere jubet; ipse in duas parvas naves, quibus fluminis brevitas non obesset, et nonnullas scaphas homines octoginta et aliquot bombardulas imposuit, et cum his duo circiter passuum millia adverso flumine progressus, magnum oppidum conspexit, trabibus pro muro septum, et frequentibus foraminibus ad emittendas sagittas interjectis; domus autem parietibus ex crudo latere stramineisque tectis constabant. Barbari naviculas conspicati, sumtis armis, frequentes ad ripam conveniunt. Hos Cortesius ex scapha ripae appulsa per Hispanum interpretem, quem nuper nactus fuerat, alloquitur: „ Non se „ praedae, aut alia cupiditate inductum, sed necessita-„ te, et aquae dulcis cibariorumque inopia compulsum „ eo locorum cursum deflexisse; rogare, ut ipsis illo-

„ rum

Digitized by Google

„ rum voluntate in terram, tum aquandi, quando flu-
„ men esset salsum, tum commeatus justo pretio coë-
„ mendi causa descendere liceret."

IX. His verbis Barbari mente sedata in oppidum miserunt, et paulo post in quinque, aut sex monoxylis naviculis panis et avium arboreorumque fructuum nonnihil allatum; quo Cortesius conspecto, parum se illa cibariorum exiguitate sublevari posse dixit in tanta sociorum, quos in alto ad naves reliquisset, multitudine; proinde rogare, ut quantum satis esset suppeditare accepto pretio ne gravarentur. Et illi, vacuum ab habitatoribus oppidum esse dixerunt; quippe magnam partem prospectis navibus ad montes confugisse, seque in silvas abdidisse: itaque nullam esse suggerendi commeatus facultatem; proinde discessum maturarent, nam se diutius eos commorari non permissuros. Cortesio in eo persistente, ut sibi vel aquandi causa in terram paucos suorum exponere liceret: ne id quidem a se impetrari posse Barbari responderunt; ceterum esse in eodem flumine insulam, quam digito monstrarunt, ubi paulo altius effosa terra, dulcem aquam haurire liceret; nam et sibi putealem dumtaxat aquam suppetere. Haec effati Barbari, nocte jam appetente discedunt. Cortesius necessario in illam fluminis insulam divertit; expositisque militibus, naves scaphasque ad classem remittit, et quantum jaculatorum ceterorumque militum in eas imponi posset, eadem nocte ad se comportari jubet. Interea quosdam dimittit, qui fluminis altitudinem, qua parte insulam a Continente dirimit, explorarent. Hi paulo post vadum in propinquo se invenisse, unde ad oppi-

 dum

dum silvestris locus collocandis insidiis opportunus intercederet, renuntiant.

X. Interea ex classe milites trecenti circiter viginti devecti. Hos Cortesius cum duobus centurionibus et praefecto, cui utrique parerent, bipartitos ire impetat in silvam, quam flumini oppidoque interjectam esse dixi, ibique occultari, et quid fieri velit, edocet. Ceterum ubi dies illuxit, legati ab oppido cum sex, aut septem monoxylis scaphis nonnihil commeatus devehentibus affuerunt. Hi, traditis cibariis, vix ea in tanta oppidanorum, quos metus conspectarum navium dissipasset, trepidatione congeri potuisse dixerunt, simulque Cortesium, ut illo eodem die cum suis facesseret, monuerunt, vim et periculum, nisi paruisset, denuntiantes. Cortesius parum illud esse confirmavit ad hominum multitudinem, quae sua classe veheretur, alendam; et alias praeterea subesse causas dixit, cur sibi oppidum adire necesse esset. Proinde Principi suo haec mandata referrent: „Sibi „in oppidum procedere non modo commeatuum causa „necesse esse, sed etiam officii, ut mandatis et volun„tati magni Regis obtemperaret, a quo missus esset, ut „eas regiones consideraret, et mortales incolas de ma„gnis rebus et ad ipsorum salutem pertinentibus edoce„ret; quamobrem ab eo petere, ut sibi vel cum pau„cis illis, qui aderant, comitibus accedere ipsius volun„tate liceret; nec sibi eam necessitatem imponeret, ut „quod precibus non impetraret, id justis armis assequi „cum ipsius populariumque detrimento invitus conare„tur. Ad haec autem postulata levissima responsum, se, „dum sol ad demonstratum coeli locum ascendisset,

„ex-

„ exspectaturum adjecit ; quod si amplius differretur , se „ illis invitis in oppidum irrupturum confirmat. “

XI. Barbari periculi denuntiationem irridentes , discedunt. Postea vero quam dies processerat, et lapso revertendi praescripto tempore legati non redierant, Cortesius cum octoginta jaculatoribus scaphas, quae singulas bombardulas , *semifalconetos* dictas, proris gestabant, conscendit , et ripae circa vallum oppidique munitiones appulit. Hoc animadverso, Barbari ad arma concurrunt, et arcubus fundisque rem eminus gerentes , nostrorum descensum prohibere conantur. Cortesius frustra illorum animos per interpretem blandis verbis sedare conatus, ex tormento scaphae praetoriae telo cum fragore, ut assolet , emisso, invadendi signum dedit, simulque in aquam sese projecit. Idem cum fieret ex omnibus scaphis, universi desilientes in hostes novo telorum genere, quibus quinque, aut sex discerpti jacebant, et tonitribus perturbatos impetum faciunt ; eodemque signo et tempore, qui insidiis juxta oppidum substiterant, excitati , magno clamore , ut erat imperatum , concurrunt ; sic hostes ex utraque parte circumventi , et insperato malo novaque facie rerum attoniti , in fugam conjiciuntur, et oppidum deserentes, sese in silvam circumjectam abdiderunt. Nostri eos ad mediam plateam consectati , ibi constiterunt , nonnullis oppidanorum interfectis et vulneratis , captis omnino duobus, quos statim Cortesius data libertate, et verbis liberaliter prosecutus, abire jubet, et Regulo suo renuntiare : „ Invitum se fe„ cisse, ut oppidanis acceptum incommodum inferret; „ non enim sua voluntate eo processisse , sed illorum

„ Re-

Digitized by Google

„ Regulique culpa, a quibus impetrare nequiverit, ut „ se paucosque suorum in oppidum reciperent; non eo „ se animo, ut ante confirmasset, in eas oras devectum „ esse, ut indigenis per injuriam et maleficium noce- „ ret, sed ut munere sibi injuncto fungeretur, simul- „ que praesenti rerum necessariarum inopiae mederetur. „ Harum rerum causa et aliarum, quae ad ipsius Re- „ guli populariumque salutem et commoda pertinerent, „ sese cupere cum illo colloqui; rogare igitur, ut ad „ se in suum oppidum venire ne cunctaretur, sancteque „ confirmare, nihil subesse doli, quin ille sine suo pe- „ riculo posset accedere, de quo si dubitaret, obsides „ se ad faciendam fidem non gravate praebiturum. "

XII. His acceptis mandatis, Barbari discedunt. Postridie legati viginti circiter ab illo et vicinis Regulis, qui de communi periculo convenerant, communiter de pace missi, cum hujusmodi mandatis affuerunt: „ Nihil se Cortesio Hispanisque de illato damno succense- „ re; nam culpam non illorum esse, qui justa postu- „ lassent, sed suam, qui justa postulata non fecissent, „ vim scilicet et injuriam metuentes; sed quando et ipsi „ poenas suae temeritatis dedissent, et ille oppidum, quo „ prohibebatur, obtineret, ab eo petere et orare, ut suos „ deinceps ab injuria et maleficio contineret, se vero ci- „ baria, quae peteret, quamquam id propter popula- „ rium fugam et trepidationem difficile factu esset, dili- „ genter curaturos. " His Cortesius auditis, legatos Regulosque collaudat, et liberaliter pollicetur; ceterum de commeatibus velle se dixit suorum aliquot per oppida vicinaque aedificia circummittere, qui sine male-
fi-

Digitized by Google

ficio cibaria coëmant, quo res citius expediatur, idque, ut illorum voluntate facere liceat, postulare; rogare praeterea, ut Principes ad colloquium venire ne gravarentur; habere se quae illis exponere vellet ad magnam ipsorum commoditatem et salutem pertinentia.

XIII. His auditis, legati discedunt, postridieque reversi, commeatuum nonnihil attulerunt, rursusque fugam et trepidationem excusarunt; licere tamen Cortesio dixerunt, ut ejus rei causa, quos vellet, per vicos ac aedificia, principibus libentibus, atque fidem suam tutum commercium fore interponentibus, dimittere. De colloquio autem Principes timore impeditos recusare, ac longius etiam recessisse, ingenue fassi sunt; affore tamen primarios viros, cum quibus, quod vellet, colloqueretur. Hoc responso laetus Cortesius, tres octogenorum hominum manus diversas frumentatum ire, ac regionem considerare jubet, nec longius passuum quinque millibus progredi, ab omni injuria abstinere, proximaque nocte ad se redire imperat, qui cum reliquis numero ad nonaginta, tormentisque bellicis ad oppidum remanebat. Ceterum illis tripartito per diversa itinera mane digressis, vesperi duo insulam ex iis, qui ex Cuba Cortesium fuerant secuti, omni festinatione properantes adsunt, et eam manum, cum qua ipsi profecti essent, a magna indigenarum multitudine ad vicum obsideri et oppugnari nuntiant, et, nisi mature laborantibus subveniatur, magnum discrimen adituros; qui licet in domo firmiorum parietum sese fortiter tuerentur, tamen tectum stramine, quod incendi facile posset, constare.

XIV. Cognito Cortesius suorum periculo, nulla inter-

Digitized by Google

terposita mora, cum quatuor tormentis manum, quam secum retinuerat, educit; et ducibus eisdem insulanis iter accelerat; sed vix dum passus mille progressus, agmen suorum adventantium prospexit. Magno scilicet casu acciderat, vel potius ope divina factum est, uti in illa rerum iniquitate nostrorumque periculo reliquae duae manus diversis partibus in locum oppugnationis certaminisque concurrerent, a quibus Barbari duabus ex partibus praeter opinionem appetiti, timoreque perculsi oppugnatione destiterunt. Nostri vero conjuncti unoque agmine in oppidum, unde profecti fuerant, ad Cortesium revertebantur, hostibus etiam nunc insequentibus, et extremum agmen sagittis eminus lacessentibus. Sed Cortesii adventu tormentorumque telis et fragore perterriti Barbari, in castra ad vicum, nostri autem in oppidum sese receperunt, utrique majore apparatu postero die in hostem reversuri: qui dies nondum illuxerat, cum Cortesius tredecim equis, praeterea hominibus aliquot expositis, quadringentorum hominum agmen cum sex tormentis acie instructa in vicum, ad quem hostes consederant, anteire jubet, lentoque gradu procedere, dum ipse equitatum expedit, et hesterno praelio vulneratos ad naves referendos in scaphas, quae ad Grisalvae fluminis ripam constiterant, imponit.

XV. Eodem tempore Barbari numero, ut postea ipsorum confessione compertum est, ad quadraginta millia, in acies quinque partiti, nostris obviam veniunt, occurruntque in spatio ad segetes per runcationem aperto; nam cetera confertissimis silvis erant impedita. Hoc igitur praelio conserto, nostri a Barbaris pro sua multi-

ti-

Digitized by Google

titudine circumfusis, tantopere urgeri coepti, ut orbe facto sese defendere cogerentur. Tempore igitur Cortesius affuit, qui cum exiguo illo equitatu hostibus tantum terrorem injecit, ut omnes statim in effusam fugam verterentur, non secus ac si totidem tauri telis irritati efferatique in turbam imbellem, ut in spectaculis solet, magno impetu ferrentur. Fusos et ad silvas confugientes equites insectati, ducentos circiter conciderunt, jaculatores quoque nostri multos vulnerarunt. Ex nostris sexaginta sauciati, praeterea ad centum subito lumborum dolore ex nimio, ut creditum est, labore et calore contracto, semianimes post pugnam conciderunt; sed hi in castra ad oppidum deportati valetudinem postridie receperunt. In eo certamine, ut ab eodem Cortesio in commentariis traditum est, multo ante nostrorum equitum accessum eques unus humana specie augustior apparuit, qui albicanti equo insidens cum hostibus pugnabat, et unam illorum aciem dejecit, quem plerique nostrorum sese vidisse testati sunt, isque Divus Jacobus, cujus in tutela natio Hispana est, fuisse creditus.

XVI. Captos ex hostium numero Cortesius liberos abire jussit, ac principibus haec suis verbis nuntiare: „ Mirari sese, quae ratio ipsos impulisset, ut milites a se „ frumentatum illorum voluntate missos, et munus ci- „ tra injuriam exsequentes, contra fidem datam oppugna- „ rent. Ergo nisi eo biduo ad se purgandi causa venis- „ sent, non se illato detrimento contentum fore, sed „ infesta signa in eos illaturum, locoque hostium habi- „ turum. “ His dimissis, Cortesius suos in oppidum re-

K du-

Digitized by Google

duxit. Reguli, praemissis postridie hominibus ad sexaginta, qui spatium ad sepeliendos mortuos postularent, ipsi tertio die sex numero, qui sex proximis oppidis imperitabant, affuerunt, et aurum Cortesio trecentarum circiter drachmarum pondere, praeterea ancillas viginti muneri dederunt, et delicti, quod non impune commisissent, veniam suppliciter petentes, ut se in suam fidem et amicitiam reciperet, postularunt. Praeterea, si apud ipsos commorari placeret, oppidum quodcumque vellet, se non gravate concessuros esse dixerunt; sin mallet in alias regiones discedere, se tamen, quae per nuntios imperasset, obedienter facturos; illud orare, quando ipsis cum finitimis causae discordiarum intercederent, et bella interdum exsisterent, ne gravaretur sibi fidem ipsius implorantibus, si forte accidat, subsidium mittere, et a se vicissim eadem officia, si opus esse accidat, nullum laborem, nullum periculum recusaturis, exspectare jubent.

XVII. Cortesius Regulos liberali oratione prosecutus, ut in ea sententia fideque permanerent, hortatur, et parem a se voluntatem exspectare jubet. Tum se benevolentia et humanitate duci confirmat, ne differendum sermonem putet, longiore quidem disputatione indigentem, et ideo per otium postea pluribus verbis repetendum, utilissimum tamen et ipsorum saluti necessarium: „Nihil, inquit, miserabilius in his regionibus „animadverti, quam homines ad veri Dei cultum natos, „et sine quo nulla salus est, inani et puerili specie re„ligionis a malis daemonibus ludificari. Unus enim tan„tum Deus est, qui omnia, quae in coelo quaeque in

„ ter-

„ terra spectantur, condidit, maximus, omnipotens et „ sempiternus, omnium bonorum auctor, a quo probis „ et pietatem veram colentibus hominibus post hanc „ mortalem vitam vita alia bonis omnibus affluens et „ numquam peritura parata est; improbis et impiis per- „ petua poena constituta. Vos autem lapideas statuas, et „ pictas fictasque imagines colitis, et animarum corpo- „ rumque vitam eisdem spatiis terminatis; utrumque „ magno errore, quo vos explicatos esse maxime vel- „ lem; sed quoniam res est longioris temporis, nec apta „ properantibus, mihi erit curae ad vos per otium vi- „ ros probos et religiosos mittere, a quibus de his re- „ bus, et aliis ad rectam et humanam vivendi rationem „ et animarum salutem pertinentibus doceamini. Nec il- „ lud vos ignorare volo, nos ex Hispania, longinqua „ regione, a maximo et opulentissimo Rege humanita- „ tis religionisque gratia missos adesse, ut harum re- „ gionum mortales pietate in verum Deum, quem ipse „ Rex et omnes ejus populares colimus, veraque reli- „ gione et probis humanisque moribus imbuamus, ut „ nos ipsius Dei oraculis et magistra natura didicimus. „ Interest igitur vestrae salutis, ut ista malorum dae- „ moniorum simulacra comminuatis, et a vobis proji- „ ciatis, et animos ad verum Deum nostro Christiano- „ que more colendum praeparetis, cujus rei gratia per- „ gratum mihi esset perendie, qui dies nobis festus a- „ gitur, vos omnes sacris nostris interesse. “

XVIII. Haec locutus Cortesius, et Apostoli functus officio, Regulos dimisit, quibus tertio die cum magna popularium turba reversis, res divina cum magna cae-

rimonia pretiosisque vestimentis patratur, (erat enim dies festus, qui more nostro *Dominica Palmarum* nuncupatur) Barbaris intento animo sacrificia et caerimonias considerantibus: quibus peractis, Cortesius sermonem de religione nuper institutum paucis cum repetisset, Deorum statuas omnes comminui, ex fanisque deturbari ejicique jubet. Quo pie diligenterque a nostris procurato, Crucem opportuno loco constituit, et per hanc Barbaros Christum Deum, cujus esset in Cruce sacrum mysterium, venerari, et ministros religionis atque morum, cum primum facultas esset, exspectare jubet. His rebus gestis, impositisque cibariis, quae liberaliter Barbari suggesserant, lancis sagis et aliis munusculis eorum Principes remuneratos laetosque dimittens, suos ad naves reduxit; et repetita in occasum navigatione, littora legebat, oculis et animo cuncta collustrans.

XIX. Erat omnis ille tractus importuosus; itaque vix die quinto portum idoneum nactus, in anchoris consistit in finibus Mutezumae, Regis illarum regionum potentissimi; cujus praefectus ejus Provinciae, Teudillius nomine, qui forte non procul aberat, conspecta in portu classe, in scaphis monoxylis, quae patrio vocabulo *Acales* nominantur, ex suis mittit, qui novos hospites, quinam mortales sint, unde profecti, et quae causa in eas regiones adventus, sciscitentur, simulque liberaliter, si commeatibus, si quave alia re sit opus, polliceantur. Qua oratione audita, Cortesius pauca respondit: „Praesidi pro tanta humanitate et liberalitate se magnam „habere gratiam; ceterum se postridie in terram descensurum, libenterque ipsum conventurum, ut coram ha„bi-

Digitized by Google

„ bito sermone, commodius eum possit de rebus, quas „ scire vellet, edocere, et alia praeterea illi fortasse non „ ingrata futura commemorare; quae ut ejus voluntate „ facere liceret, rogare, simulque polliceri omnem inju- „ riam et maleficium abfuturum.“ Postridie Cortesius cum suis in terram descendit, aliquot tormenta et equos exposuit castraque munivit, Barbaris nihil impedientibus, sed commeatus potius liberaliter praesidis voluntate suggerentibus; quos Cortesius vitreis monilibus, speculis, cultellis, forcipibusque remunerabatur. Haec cum alii aliis mirabundis ostentarent, multi praeterea permutandi gratia aurea vascula deferentes, ad Hispanos in castra ventitabant. Hoc animadvertens Cortesius, ne nostrorum auri cupiditas et existimatio inutiliter Barbaris proderetur, nequis aurum ex permutatione a Barbaris accipiat, cum poena capitis interdicit.

XX. Quarto die praeses ipse cum hominum ad quatuor millibus adest, quos non armis, sed magnam partem commeatibus oneraverat. Post mutuam salutationem Barbarus commeatus, et praeterea faberrime facta vascula et plumeas vestes, magno et has confectas artificio, tradit. Cortesius sericam tunicam illi vicissim tribuit et vitrea munuscula, et similes nugas, quae omnia statim ipse, ut postea compertum est, ad Regem Mutezumam misit. Ex ancillis viginti, quas ad Tabascum Cortesio dono datas esse memoravimus, erat una honesto loco in ea, qua tunc erat Cortesius, regione nata, quae cum inde bello quondam ad Jucatanam abstracta fuisset, diuturnitate temporis utriusque gentis linguae perita, hos suos Provinciales et Hispanum inter-

pre-

Digitized by Google

pretem, qui diu ad Jucatanam, ut ante dictum est, servierat, intelligebat. His interpretibus sermonem quasi per manus tradentibus, multa Cortesius et Teudillius colloquuntur; sed Cortesii orationis exitus fuit: „Ex „Hispania se longinqua regione profectum diuturna na- „vigatione delatum, maximi Regis et multis principi- „bus magnaeque parti terrarum orbis imperantis man- „data ad Mutezumam Regem fama illi notum defer- „re, quae non dubitaret, quin et ipsi Regi et ejus „popularibus essent pergrata futura: proinde a Teudillio „postulare, ut Mutezumam Regem de suo adventu pri- „mo quoque tempore certiorem faciat, ut conveniendi „locus constituatur: se quidem hoc esse animo, ut ad „Regem in magnam illam urbem, qua commorari di- „ceretur, ipsius salutandi et legationem perferendi gra- „tia procedere non gravaretur: ceterum opus esse ma- „turato; nam cum aliarum rerum, tum commeatuum „rationem, qui tantae hominum multitudini sufficerent „(nam multos praeterea ad naves esse relictos) longio- „res moras non pati.“ Ad ea Barbarus: „In se vero, „respondit, nihil morae futurum, quin statim nuntios „dimittat, et properare jubeat, qui Regem de rebus o- „mnibus certiorem faciant, nec dubitare quin brevi sit „responsum de rebus omnibus accepturus; interea se „commeatus et necessaria, ut suppeditentur, curaturum.“

XXI. Dimisso colloquio, Teudillius mille amplius tuguriis in conspectu castrorum erectis, virorum et feminarum ad duo millia cum praefectis duobus discedens reliquit, qui panem conficerent, cibaria coquerent, pabulum pascendis equis secarent, et haec omnia lignaque

Digitized by Google

que et aquam in castra deferrent. Multi praeterea bajuli commeatus ex interiore Provincia jumentorum inopia comportabant; quippe ad eas mundi plagas ante nostrorum adventum nullum jumenti genus nec cognitum erat, nec auditum. Nam postea pecudes omnis generis armentaque convecta fuerunt. Sex, aut septem diebus interjectis, praeses idem cum muneribus a Rege Mutezuma missis adest, in quibus erat aurea rota drachmarum septem millium, et altera item magni ponderis argentea; praeterea vascula aurea faberrime facta, quorum omnium materia ducatorum aureorum viginti millibus aestimata est; praeterea plumeae vestes magno artificio confectae. Haec munera Regis tradens praefectus Cortesio, mandata, quae per nuntios acceperat, ejusdem verbis exponit: „Pergratum sibi fuisse, quod novae gen„tes numquam nec visae nec auditae, suo tempore in „suum Regnum suasque oras appulissent. Rogare, ut „qui mortales essent, unde profecti, quae causa adven„tus (nam ea scire sibi fore pergratum) memoraret. „Siquid eorum, quae tam longe peterent, in suo Re„gno esset, libenter se rerum omnium copiam factu„rum; interea dum ad ea loca manerent, se commea„tus eis et necessaria cuncta, de quo jam praesidi man„dasset, suggesturum. His addit praeses, nuntios pro„xime missos, qui Cortesii postulata deferrent, nondum „ad Regem pervenisse, cum illi alteri, qui munera de„tulerant, proficiscerentur; sed eis tamen prope Regiam „urbem fuisse obvios, ut ipsorum reditus propediem „exspectaretur.“

XXII. Post praesidis digressum, dum Regis responsum

sum exspectatur, homines circiter viginti in loco edito sese ostenderunt, diuque immoti constiterunt. Hos Cortesius conspicatus, qui aliorum congressum subvereri videbantur, quatuor, aut quinque suorum, qui perducendos curarent, mittit. Hi manu procul significantes ne quid hostile Barbari metuerent, progressi, animo confirmatos ad Cortesium in castra deducunt. Erant hi ceteris Barbaris statura proceriore, quibus ex inferioribus labris rotulae aureae trinarum drachmarum, insertis etiam gemmis, pendebant, quae perforata labra pondere sic deprimebant, ut inferiores dentes penitus nudarent. Eisdem narium intersepta perforata erant, hinc quoque paribus ex succino rotulis pendentibus. Hi unde et quam ob causam venissent a Cortesio rogati, a Cempoalae Principe, quod oppidum inde passuum millibus viginti quatuor abesset, se missos esse responderunt, ut novi hospites qui homines essent, et unde advecti, cognoscerent: naves enim prospectas nova facie et magnitudine admirationem iis commovisse; se vero constitisse in prospectu cunctantes, injecto scilicet a nova et incognita gente timore. Ad ea Cortesius respondit: „Nullam esse timendi causam, nam se longinqua ex regione non nocendi earum regionum mortalibus, sed „magnis in rebus commodandi causa delatum esse, tutumque omnibus ad se patere aditum: haec igitur Principi suo renuntiarent, qui si et ipse vellet videndi „et colloquendi causa in castra venire, sibi pergratum, „nec illi molestum fore.“ Haec effatus, munusculis donatos dimisit, laetusque Regulum hunc a Mutezuma alienum animum gerere cognoverat.

Pau-

Digitized by Google

XXIII. Paucis diebus intermissis, Teudillius redit, plumeas xylinasque vestes, Regis munera, deferens; quibus redditis, ad Cortesii postulata responsa Regis exponit: „Pergratum sibi, si daretur, perque jucundum „futurum fuisse, Cortesium sociosque et comites, no„vam gentem, videre, audire et alloqui, navigiaque, de „quorum forma et magnitudine miranda sibi sui popu„lares narravissent, praeterea equos et arma bellicaque „tormenta, et cetera, quae sua novitate admirationem „moverent, coram contemplari; se tamen infirmitate „valetudinis impediri, quominus ad eos adire valeat: „ad haec longum spatium intercedere, altissimis mon„tibus vastisque solitudinibus tam impeditum, ut Cor„tesius Hispanique ad se sine magnis laboribus magnis„que periculis pervenire non possint. Proinde hac omis„sa cura, siquid ipsi a Mutezuma opus esset, per nun„tios explicaret, nihil ab eo, quod quidem esset in „ejus potestate, frustra petiturus." Ad ea Cortesius respondit: „Non esse rem consilii sui, qui ex tam lon„ginquis regionibus de maximis rebus a maximo Rege „legatus advenerit; itaque nullum se nec laborem, nec „periculum, dum injuncto munere fungatur, recusatu„rum." His renuntiatis, Mutezuma eadem, quae prius, respondit, et in eo perstitit, ut Cortesium ab instituto se adeundi consilio cunctis rationibus deterreret. Hoc accepto responso, Teudillius discessit, postridieque tuguria inania, et ab hominibus cibariisque vacua conspecta.

XXIV. Cortesius, ceteris in naves reductis, cum equitatu et militibus trecentis regionis interiora petere

sum exspectatur, homines circiter viginti in loco edito sese ostenderunt, diuque immoti constiterunt. Hos Cortesius conspicatus, qui aliorum congressum subvereri videbantur, quatuor, aut quinque suorum, qui perducendos curarent, mittit. Hi manu procul significantes ne quid hostile Barbari metuerent, progressi, animo confirmatos ad Cortesium in castra deducunt. Erant hi ceteris Barbaris statura proceriore, quibus ex inferioribus labris rotulae aureae trinarum drachmarum, insertis etiam gemmis, pendebant, quae perforata labra pondere sic deprimebant, ut inferiores dentes penitus nudarent. Eisdem narium intersepta perforata erant, hinc quoque paribus ex succino rotulis pendentibus. Hi unde et quam ob causam venissent a Cortesio rogati, a Cempoalae Principe, quod oppidum inde passuum millibus viginti quatuor abesset, se missos esse responderunt, ut novi hospites qui homines essent, et unde advecti, cognoscerent: naves enim prospectas nova facie et magnitudine admirationem iis commovisse; se vero constitisse in prospectu cunctantes, injecto scilicet a nova et incognita gente timore. Ad ea Cortesius respondit: „Nullam esse timendi causam, nam se longinqua ex re„gione non nocendi earum regionum mortalibus, sed „magnis in rebus commodandi causa delatum esse, tu„tumque omnibus ad se patere aditum: haec igitur Prin„cipi suo renuntiarent, qui si et ipse vellet videndi „et colloquendi causa in castra venire, sibi pergratum, „nec illi molestum fore.“ Haec effatus, munusculis donatos dimisit, laetusque Regulum hunc a Mutezuma alienum animum gerere cognoverat.

Pau-

XXIII. Paucis diebus intermissis, Teudillius redit, plumeas xylinasque vestes, Regis munera, deferens; quibus redditis, ad Cortesii postulata responsa Regis exponit: „Pergratum sibi, si daretur, perque jucundum „futurum fuisse, Cortesium sociosque et comites, no„vam gentem, videre, audire et alloqui, navigiaque, de „quorum forma et magnitudine miranda sibi sui popu„lares narravissent, praeterea equos et arma bellicaque „tormenta, et cetera, quae sua novitate admirationem „moverent, coram contemplari; se tamen infirmitate „valetudinis impediri, quominus ad eos adire valeat: „ad haec longum spatium intercedere, altissimis mon„tibus vastisque solitudinibus tam impeditum, ut Cor„tesius Hispanique ad se sine magnis laboribus magnis„que periculis pervenire non possint. Proinde hac omis„sa cura, siquid ipsi a Mutezuma opus esset, per nun„tios explicaret, nihil ab eo, quod quidem esset in „ejus potestate, frustra petiturus." Ad ea Cortesius respondit: „Non esse rem consilii sui, qui ex tam lon„ginquis regionibus de maximis rebus a maximo Rege „legatus advenerit; itaque nullum se nec laborem, nec „periculum, dum injuncto munere fungatur, recusatu„rum." His renuntiatis, Mutezuma eadem, quae prius, respondit, et in eo perstitit, ut Cortesium ab instituto se adeundi consilio cunctis rationibus deterreret. Hoc accepto responso, Teudillius discessit, postridieque tuguria inania, et ab hominibus cibariisque vacua conspecta.

XXIV. Cortesius, ceteris in naves reductis, cum equitatu et militibus trecentis regionis interiora petere

Digitized by Google

constituit, amoenoque silvestribus ripis fluvio passuum a mari duodecim millibus trajecto (nam pedibus transiri poterat) in vicum pervenit domorum ad ducentarum, quarum parietes erant crudo latere constructi; tecta stramine, sed nova et mirabili ratione composito; areae manufactae statura humana et amplius a solo viarum exstabant. Hujus vici fanum, cui turris erat adjuncta, altiore solo constructum erat, quo viginti gradibus ascendebatur. Hic deorum imagines lapideae repertae, vestigiaque prodigiosorum sacrificiorum victimarum humanarum; cujus rei gratia lapis erat in medio sacello, in quo immolandos homines supinos dejecto capite sacerdotes siliceo cultro (nam ferrum illis gentibus erat ignotum) pectore dissecabant, et cor avulsum palpitansque manu sublatum, coelum spectantes, diis offerebant. Tum victimarum sanguine deorum statuas et chartas quasdam cruentabant, ut mulier interpres referebat, et postea compertum est. Tunc enim nullius indigenarum copia fuit; quippe omnes, et hunc et vicinos vicos deserentes, diffugerant. His vicis lustratis, Cortesius cum magno commeatu ad naves revertit; nam ceteris rebus ad humanitatis et innocentiae documentum et famam ut parceretur, edixerat.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS HISPANORUM GESTIS

AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER QUARTUS.

I. HIS rebus laetus Cortesius, et magnis spiritibus sumtis, in Regnum Mutezumae et magnas novi Orbis auriferasque Provincias animum intendit; ac, ut solet habendi et imperandi cupiditas socium refugere, et jura divina et humana violare, Jacobi Velasquis societate et fide, quam ei dederat, contemta, ingeniosam rationem commentus est, qua novo jure classis sociorumque praefecturam gerere videretur; et militum omnium ad portum convocata concione, in hanc sententiam locutus est: „In quas regiones venerint, quam felices, nec modo frugum, sed auri et argenti feraces, „ut ex earum rerum indicatura, et Barbarorum sermone intelligeretur, considerare jubet. In tanta igitur felicitatis occasione non esse negligenter agendum, sed „primum omnium oppidum ad littus opportuno loco „condendum, quo naves in portum compelli, onera „et homines exponi possint, et quae visa sint custodiae gratia comportari, et quod arce quoque aedificata sibi suisque rebus sit inter illa initia ad omnes „casus munimento. Praeterea Carolum Caesarem faciendum esse de rebus omnibus certiorem, missis duobus „viris gravibus, ut Rex non litteris solum, sed nun-

 „tio-

Digitized by Google

„ tiorum quoque voce, qui rebus omnibus interfuerint, „ edoceatur; et his cognitis, quid opus facto sit, quid-„ ve fieri velit, statuat. Nunc se pro ducis, qua fun-„ geretur, auctoritate Magistratus et Praefectos, qui op-„ pido condendo et administrando praesint, constituere „ velle dixit."

II. Ad ea, quod videretur, pro sua potestate et prudentia faceret, responsum est a concione, ipsos quod fuisset imperatum, obedienter esse facturos. Tum Magistratus et Senatum ex amicis constituit, qui futurae urbi praeesent, quam *Veram Crucem* appellari placuit, propterea quod die Verae Crucis, id est, cum Christi cruciatus sive *Passio* celebratur, in eam regionem appulissent; simulque terrae illius continentis possessionem per consuetam caerimoniam nomine Caroli Caesaris, Castellae Hispaniaeque Regis, apprehendit. Deinde repetito sermone: „ Adhuc se ductoris officio functum esse, di-„ xit, pro jure et facultate a Monachis, summam im-„ perii et procurationis ad pacatas insulas obtinentibus, „ sibi tradita, quorum praesidendi et imperandi jus in-„ sularum et Oceani finibus contineretur. Nunc cum in „ novum Orbem, aliamque continentem terram ventum „ esset, novam rationem ineundam esse censere, novo-„ que jure utendum: proinde ipsi sibi consulerent, et „ quid facto opus esset, viderent; se, qui nec vi, nec „ precario ductor esse vellet, imperio se abdicare, et „ privatum in Senatus populique Verae Crucis potesta-„ tem permittere." Haec effatus, concionem dimisit.

III. Postridie Senatus et reliqui Magistratus, negotio, ut quidem Cortesius videri volebat, deliberato, re au-

Digitized by Google

autem vera, ut constantior fama est, quemadmodum constitutum et imperatum fuerat, in praetorium ad Cortesium convenerunt, et cum ipso sic egerunt: „Quod „se Cortesius abdicasset imperio, fecisse quidem ipsum „pro cetera sua justitia et moderatione, ne quid inju-„ste vel arroganter facere videretur: ceterum non eam „esse vel temporis vel locorum rationem, ut oppidani „militesque sine magno incommodo et periculo possent „duce carere, cujus imperio res graviores domi foris-„que gererentur, nec id pati rerum susceptarum magni-„tudinem. Cum autem dux sibi necessario esset deli-„gendus, nec esset quisquam ex omni copia, qui con-„silio, virtute et auctoritate, praeterea rerum usu pos-„set cum ipso conferri, placuisse Senatui populoque „Verae Crucis, ut Fernandus Cortesius, cujus pruden-„tia et animi magnitudo cunctis esset multis in rebus „perspecta, civitati omnique militari manui cum sum-„ma potestate praeficeretur. Proinde rogare, ut munus „a civitate publice delatum necessario tempore suscipiat „geratque, donec Carolus Caesar factus certior, pro sua „potestate et arbitrio de rebus omnibus constituat.“

IV. Accepit conditionem Cortesius, suo scilicet artificio delatam, ut a Velasquis societate et auctoritate per speciem novi juris discederet; cujus ipse facti excusationem afferebat, quod inita ad Cubam insulam societate et communibus impensis, etsi majore auctoritate et sumtu Velasquis, coacta et instructa classe; tamen ille poenitentia et futuri mali suspicione ductus, consilium mutasset, et Cortesii profectionem omnibus modis occulto, sed irrito conatu impedire tentasset, ut

su-

Digitized by Google

supra memoratum est : quae purgatio quantum habeat justitiae et honestatis, aliorum sit judicium; Carolus quidem Caesar quid sentiret, paucis verbis significavit, qui ad Barcinonem paulo post Gallos ab obsidione Perpiniani depulsos, expostulanti secum Cortesio, quod diploma, et irrogatum sibi propter exhaustos labores privilegium restrictius interpretaretur, nec parem meritis gratiam referret : *Desine*, inquit, *tua merita jactare*, *qui non tuam*, *sed alienam provinciam obivisti*. Ad quae Cortesius, ut ipse mihi rem magno dolore ferens memoravit, ita respondit: „*Cognosce diligentius meam causam, Maxime Prin-* „*ceps* : *ego*, *siquid de me capitale compereris*, *nullum de-* „*precor supplicium*. “

V. Sed ut redeat unde digressa est oratio, ceteris rebus constitutis, Cortesius naves in portum nuper inventum atque notatum contendere, seque ibi exspectare jubet; ipse cum militibus quadringentis, et parvis duobus tormentis, *falconetis* dictis, per terram proficiscitur, trajectoque per vadum flumine, quo fines Cempoalae continentur, ripam ejusdem adversi sequitur; nam littus sequi coenum et palustres aquae prohibebant, et homines ad viginti in colle conspicatus, in hos quatuor equites mittit, qui aliquos eorum volentes, aut invitos, inquirendi viaeque causa ad se deducendos curarent. Ad quorum accessum, cum inermes Barbari metu se fugae mandassent, nostri fugientes equorum pernicitate facile consecuti, omnes adduxerunt. Hos ex Cempoalae popularibus esse, tum ex oris habitu, quem nuper in aliis notaverat, tum ex ipsorum sermone cum cognovisset, viam sibi ad ipsorum urbem et Re-

Digitized by Google

Regem, quem videre et convenire cuperet, demonstrare, et duces itineris sibi esse jubet. Illi suadere sese responderunt, ut die jam in noctem praecipite, ad vicum propinquum subsisterent, ubi commode considere possent, praemissis interim ex ipsorum numero, qui de Hispanorum adventu Regem certiorem facerent, postridie vero mane reversis nuntiis, eisdem viae ducibus uteretur.

VI. Hoc probato consilio, ad vicum consedit. Postridie bene mane centum homines, pavonibus onusti, ei praesto fuere, qui Regem nuntio laetum Cortesii adventum exspectare renuntiarunt; nam quominus obviam ipse veniret, incommodam crassi corporis habitudinem obstitisse. His ducibus nostri statim profecti, agmine ad omnes casus composito, Cempoalam perveniunt, urbem proceris densisque arboribus domus opacantibus, sic ut ipsarum aspectum prohiberent, amoenissimam, quam amoenitatem fluvius silvestribus ripis parvo intervallo, ipso quoque arboribus referto, praeterfluens augebat. Accedentibus primarii cives Magistratusque obviam processere, et multi praeterea populares viri et feminae promiscue spectandi gratia progressi, varia fructuum genera libenter porrigebant. Urbem ingressis, Regulus non longe ab aula magno nobilium comitatu procedit obviam; et post mutuam salutationem, dilato in diem posterum colloquio, Cortesium dimittit. Is in aedes aulae propinquas totius paene agminis capaces, regiis administris deducentibus, cum suis divertit, quibus omnibus cuncta necessaria abunde et gratuito Regis liberalitate suppeditata sunt. Cortesius, ne-

nequa esset injuriarum occasio, suis per praeconem interdicit, nequis injussu suo domo, quae pro castris erat, digrederetur, poena capitali constituta, siquis edicto non paruisset.

VII. Postridie Regulus, praemissis muneribus, quae duobus ducatorum millibus aestimata fuerunt, Cortesium adit, et laeti familiariter amicorum more colloquuntur. Tum Cortesio cum suis corpora curare et ab itineris labore reficere jusso, colloquio de rebus secretioribus in posterum diem rejecto, discedit. Postridie prima luce Cortesius in aulam cum paucis ad Regem salutandum et conveniendum procedit, ceteris in armis esse, nec curam remittere jussis. Instituto sermone, Cortesius percunctanti Regulo causam sui adventus, et unde et a quo missus fuisset, eisdem paene verbis, quibus ad Mutezumae praefectum Teudillium, de quo supra demonstratum est, usus fuerat, exposuit. Regulus pergratum sibi fuisse Cortesii Hispanorumque in eas regiones adventum dixit, et suis amicorumque et vicinorum Principum rationibus opportunum, qui Mutezumae illarum regionum potentissimi Regis tyrannide oppressi tenerentur, et magnis tributis et exactionibus per injuriam, filiis etiam ad immolandum abstrahendis vexarentur; ad quas injurias repellendas, et se sociosque et amicos in libertatem vindicandos, si sibi Cortesius cum suis, quorum esset egregia singularisque virtus magno documento ad Tabascum perspecta, auxilio foret, nihil in ipsis cunctationis futurum, quin se suaque in illius Hispaniae maximi Regis, de quo memorasset, fidem et potestatem permitterent. Nam robore Hispanorum ad indi-

digenarum, qui sibi et amicis sociisque Principibus parerent, multitudinem accedente, satis virium fore ad Mutezumae contumelias propulsandas. Ad ea Cortesius: „ Sibi vero, respondit, nihil gratius accidere posse, qui „ hoc potissimum ab eodem suo Rege in mandatis ac„ cepisset, ut oppressis et injuria laborantibus mortali„ bus, quocumque accessisset, cunctis opibus subveni„ ret, de qua sua voluntate et instituto Regulus posset „ amicos suos facere certiores, et Hispanorum auxilium „ ad injurias repellendas deferre. “ In eamdem sententiam multa utrinque et hoc et sequentium dierum colloquiis jactata fuerunt, nam quindecim dies ad Cempoalam nostri morati sunt.

VIII. Amicitia igitur et societate cum Regulo inita, Cortesius discedit, et ad locum, quo naves erant appellendae, non procul inde contendit. Proficiscenti Regulus, sex virginibus genere nobilibus in conspectum adductis, eas se in pignus amicitiae et matrimonium dare dixit, unam primariam locupletem et consanguineam suam ipsi Cortesio, ceteras amicis arbitratu ejus distribuendas. Id munus et conditionem hilari animo laetoque vultu Cortesius accepit, evestigioque sua sibi sumta, alias primoribus amicis, qui aderant, distribuit, eodemque die ex Cempoala in littus navibus, nondum appulsis, pervenit.

IX. Erat in proximo oppidum natura praemunitum, loco edito et aditu difficili. Huic Regulus imperitabat ex eorum numero, qui imperio Mutezumae inviti parebant. Ea re ex Cempoalae popularibus cognita, Cortesius eo divertere cum statuisset, compositum agmen,

antecedentibus jaculatoribus, conscendere jubet, equitibus ad pedes descendere vetitis, ut opinionem Barbaris praeberent, nullum esse locum equitibus inaccessum. Jamque oppidum attigerant, nec dum tamen oppidanorum quisquam sese illis ostenderat: quae res suspicionem nostris injecerat, male illos cogitare, et armatos iniquiore loco ipsorum accessum exspectare; sed intrantibus, decem ex primoribus a Regulo missi affuerunt, qui oppidanos dixerunt ad primum nostrorum aspectum nova hominum, et ipsis numquam nec visa nec audita facie conterritos, sese oppido continuisse, nec ausos fuisse mittere, qui de natione ipsorum et adventus causa sciscitarentur; sed jam a Cempoalae Principe de ipsorum innocentia et humanitate factos esse certiores. Itaque Regem suum eo nuntio delectatum, ipsos obviam venientibus misisse, ut ducem suis verbis salutarent, et eorum adventum sibi pergratum esse nuntiarent. Ubi ventum est in forum, ceteris ad hospitia divertentibus, Cortesius cum Regulo post mutuam salutationem in porticum colloquitur, ac unde, et a quo, et cujus rei causa missus fuisset, exposuit, vicissimque Regulus de tyrannide, qua ipse et amici Reguli, qui circum ea loca montes incolerent, a Mutezuma premerentur, verba facit, deque ipsorum ad recuperandam libertatem conspirantibus animis commemorat, siqua ratio posset Hispanis opitulantibus iniri.

X. Haec et cetera, quae Cortesius et Cempoalae Regulus fuerant collocuti, dum utrimque jactantur, ecce tibi ex adverso homines ad viginti forum intrantes sese ostendunt, singulas virgas manibus, singulaque musca-

ria

ria plumea gestantes; quibus conspectis, Regulum et, qui aderant, proceres magnus timor, ita ut paene contremiscerent, invasit. Hoc animadverso, Cortesius Regulum, quid metuerent, quive illi mortales essent, percunctatur. Ille tributi exactores esse respondit, a Mutezuma missos, a quibus metueret, ne Mutezumae de Hispanis a se in oppidum illius injussu receptis, cum suo periculo nuntiarent. Cortesius adesse animo Regulum jubet, et timorem omittere; nam sibi cum Mutezuma constitutam esse amicitiam, nec dubium quin grata illi futura sint officia, quaecumque in se suosque ab ipsius clientibus profecta fuerint; quod si aliter eveniret, se amicorum et de se benemeritorum injurias non esse neglecturum; nam Hispanorum copiis, quas ipse numero quidem exiguas, virtute tamen et robore maximas ductaret, nullam Mexicanorum multitudinem parem esse posse, ut quidem speraret, non si suorum singulis mille homines opponerentur. *Quin agedum*, inquit, *istos ipsos, quos timetis, comprehendite, et in vincula conjicite, ut sentiatis Mutezumam, ne injuria quidem lacessitum quidquam in meos amicos et hospites esse conaturum.*

XI. Tum Regulus, recepto animo et majoribus spiritibus sumtis, quod jussus est, facit; comprehensisque exactoribus, num eos interfici velit, Cortesium rogat. Negat ille; sed diligenter custodiri: vinculis igitur vimineis ad suum quemque palum constrictos, suorum cohorti custodiendos tradit. Cortesius quoque ex Hispanis custodes ponit, ad quos concubia nocte mittit, ut silentio latenterque duo, abscissis vinculis, ad se deducantur. His adductis, Cortesius, quasi rerum omnium

M 2 igna-

ignarus, quinam essent, percunctatur, et quam ob causam in vincula conjecti. Illi, ceteris rebus expositis, de vinculis causam sese ignorare dixerunt; suspicari tamen, montanos illos, feros et barbaros homines, qui per se male animati essent in Mutezumam, Hispanorum amicitia et hospitio elatos, eo superbiae et arrogantiae processisse; quin etiam metuere sese dixerunt, ne eadem superbia et temeritate caeci vinctos interimerent: orare igitur Cortesium pro ipsius virtute et humanitate, ne se insontes per magnum sui Regis dedecus et contemtum a Barbaris hominibus necari permitteret; foreque confirmant, ut simul miseris et innocentibus pro animi sui magnitudine succurreret; simul magnum Regem dominum suum officio gratissimo demereretur, ereptis morti fidelibus clientibus, quos ipse propter multa longi temporis servitia perspectamque fidem caros haberet.

XII. Cortesius graviter se molesteque tulisse dixit, quod probi homines et nihil tale meriti injuria laborarent, cum ipsorum causa, tum maxime, quod ea contumelia in Mutezumam Regem redundaret, cujus ipse dignitati faveret, consultumque cuperet; quamvis ille huic animo suo haud quaquam pari voluntate responderet, ut nuper ex Teudillii praefecti ejus facto intelligi potuisset, qui a castris discedens proximos vicos cibariorum inanes deseri jussisset, nequa esset ipsis frumentandi facultas; nisi forte, quod magis crederet, dedecus illud injussu Mutezumae Teudillii temeritate fuisset admissum; sed utcumque res esset, tamen se pro sua in Mutezumam voluntate et observantia, siqua fuerit

rit illius demerendi facultas, nusquam officio defuturum. In magna igitur molestia, quam de ipsorum incommodo cepisset, occasionem tamen sibi non ingratam accidisse, suum animum in Mutezumam declarandi, ut omnes intelligant, Cortesium dignitati et auctoritati Mutezumae nullo loco defuturum: quominus autem ceteros comprehensos statim vinculis eximeret, ea ratione prohiberi, ne a quibus esset in suum oppidum amice et hospitaliter receptus, his pro beneficio contumeliam reddere videretur, si palam vim afferret, ipsorumque consiliis et conatibus obsisteret. Abirent ipsi duo, et Mutezumam de rebus omnibus, deque sua in eum voluntate certiorem facerent, ut quid fieri velit, et a se administrari, renuntiet libenter ejus voluntati obsecuturo, perfecturoque interea, nequid gravius in vinctos ab oppidanis statuatur. His dictis, laetos et gratias agentes cum viatico dimittit.

XIII. Postridie Barbari, ubi de ruptis vinculis et duorum fuga cognoverunt, vehementer commoti sunt, eo timore ne ab illis Mutezuma patrati facinoris factus certior, misso exercitu, in auctores vindicandum curaret; quocirca de ceteris vinctis occidendis consilium inire coeperunt, ut sublata custodiendi cura, liberius possent necessaria ad omnes casus comparare, quorum illud erat primum, ut dimissis ad amicos vicinosque legatis, eos de rebus omnibus et inita cum Hispanis amicitia docerent, utque Hispani sibi et amicis, siquid opus esset, adversus Mutezumam ejusque clientes, quos omnes facile contemnerent, suum auxilium liberaliter pollicerentur, ut hac injecta fiducia, male per se in Mute-

tezumam animatos ad defectionem perpellerent. De quo consilio cum ad Cortesium Barbari retulissent : de legatis ille se nihil impedire respondit , et quae de auxilio pollicitus fuisset , se liberaliter praestiturum ; vinctorum autem , quos insontes occidere iniquum esset , ipse sibi custodiam deposcit , atque ea cura liberatos , cetera , ut videretur , administrare jubet. Dimisso colloquio , Cortesius vinctos ad naves custodiendos deduci imperat. Barbari legatos dimittunt , quorum oratione et hortatu omnis illa maritima ora montanaque regio , quae , ut ipsi confirmabant , centum millia hominum armabat , ad libertatem recipiendam conspiravit , et cunctos exactores Mutezumae extra suos fines amandavit.

XIV. His rebus laetissimus Cortesius , quae ad Mutezumam debellandum magnam facultatem praebiturae videbantur , in curam conversus oppidum aedificandi, domorum areas futuris oppidanis partitur , loca publica designat templis , curiae , foro , navali , tribunali , macello , carceri , et item arci , quae statim munitiore loco aedificari caepta est , et domus quaedam constructae , quo navium onera deferrentur : et haec omnia parietibus formaceis construebantur , ut erat terra huic operi accommodata. Interea legati a Mutezuma adolescentes duo ipsius propinqui cum magno comitatu , quatuorque senioribus consiliariis affuerunt , munus afferentes plumeas vestes complures magno artificio confectas , aurea et argentea vasa faberrime caelata , auream galeam plenam aureo pulvere , qualis colligi ex fodinis consuevit , ut eo Cortesius morbo mederetur , quo se tentari , et cujus remedium praesentaneum pulverem aureum esse Teudil-

Digitized by Google

dillio praefecto Regis dixisset. Id autem Cortesius et vere dixerat propter habendi cupiditatem, qua maxime laborabat, quae nulla re magis est medicabilis, quam auro; et ingeniose, ut eo indicio, an essent auri fodinae in illis regionibus, cognosceret. Muneribus oblatis, adolescentes legationem exponunt, cujus exitus fuit: pergratum sibi fuisse officium clientum vinculis exsolutorum et omnium conservatorum a Cortesio praestitum, ejusque rei memoriam apud se non interituram esse confirmat: precari, ut ceteris solutis et liberatis inceptum beneficium absolvat, crimen et culpam eorum, a quibus exactores temere retenti et in vincula conjecti fuissent, se Cortesio condonare, illisque propter obsequia et officia ipsi praestita remittere. Cortesius, benigne audita legatione, liberaliterque pollicitus, Regulum ad se vocat, ac de voluntate Mutezumae ad se per legatos delata docet, ut injuriam exactorum illis remittat, dum scilicet Hispanorum amicos bello persequi metuit; perstet igitur in sententia, et amicos cohortetur, ut Mutezumae jugum excutiant, seque in libertatem vindicent sua et Hispanorum amicitia freti: illud autem rogare, ut sua voluntate liceat exactores, qui nulla sua culpa vincti fuerint, liberare, et voluntati Mutezumae et justis legatorum precibus morigerari. Regulus, se vero, respondit, hihil impedire, quominus Cortesius de hoc negotio ceterisque rebus suo arbitratu constituat, cujus ipse voluntati nullo loco non esset obsecuturus. Liberatis igitur custodiis legati cum bona gratia et munusculis dimittuntur.

XV. Erat non procul a Cempoala Tizapancinca, oppi-

Digitized by Google

oppidum natura munitum, cum arce saxo edito, quod fluvius alluebat, imposita. Huc Mutezuma, cui montanorum circumjectorum fides et mobilitas suspecta erat, firmum ex Culuanis, quo nomine Mexicani eorumque clientes appellantur, praesidium miserat, quod male animatos in officio contineret. Ea Culuanorum manus, cognita defectione, ad ipsos enim exactores pulsi undique confugiebant, Cempoalanos fines incursionibus infestare coepit. Ad eas injurias repellendas Cempoalae Regulus legatos ad Cortesium auxilium oratum cum misisset, ille nihil moratus copias Cempoalam inducit, adjunctoque Cempoalanorum et sociorum exercitu, Tizapancincam movet. His copiis prospectis, Culuani cum Cempoalanis finitimisque dumtaxat rem sibi futuram existimantes, obviam infestis signis progrediuntur; sed cum propius accessissent, equitum et Barbarorum hominum nova facie perterriti, effusa fuga in oppidum arcemque revertuntur. Equites nostri, citatis equis, fugientes consequuntur, eorumque quatuor cum Cortesio ad pedes desilientes, hostibus permixti, arcis portam strictis gladiis occuparunt, et exclusis Culuanis defenderunt, quoad Hispani ceteri pervenirent. Ita jam nullo repugnante, cum arce oppido quoque potiti sunt, quod oppidum ea conditione Cempoalanis tradidit Cortesius, ut milites praesidiarios armis dumtaxat exutos, liberos abire permitterent, ut eadem opera Mutezumam, cui retia tendebat, demereretur. Hoc enim vel dolo vel armis subacto, ceteros illarum regionum mortales debellandi negotium in expedito fore videbatur. Ea victoria, quae prima fuit de Culuanis, multum addidit Cortesii

et

Digitized by Google

et Hispanorum auctoritati et bellicae virtutis opinioni.

XVI. Ad naves et coeptum oppidum reversus Cortesius, caravelam, quam ipse ad Cubam reficiendi gratia reliquerat, paulo ante cum Hispanis hominibus septuaginta et equis novem appulsam offendit, quae res ipsi et sociis magnam attulit laetitiam, et animos addidit. Hic Cortesius, rebus omnibus, quae navibus vehebantur, expositis, quidquid auri et argenti vestisque partum erat, aestimari ac viritim inter omnes distribui praecipit, subducta tamen ex more quinta parte, quae Regio fisco jure et more vindicatur; quod ita factum est, hortante Cortesio et volentibus omnibus, ut in aestimanda fisci parte non avare, aut restricte, sed largiter ratio duceretur. Itaque pretiosissima quaeque sive materia, sive opere aestimarentur, mittenda Regi seponuntur, et in his duae rotae, una aurea, altera argentea, a Rege Mutezuma per Teudillium missae, torques aurei duo plurimis parvis smaragdis, et ducentis triginta duobus lapillis carbunculum imitantibus distinctis, multisque aureis tintinnabulis pendentibus, cassis aurea aureo rudi pulvere plena, praeterea multa aurea vasa, multae xylinae plumeaeque vestes, omnia mirabili artificio confecta. Haec duobus legatis Alfonso Fernando Portucarrero, et Francisco Montegio in Hispaniam ad Regem deportanda traduntur, et in navem imponuntur, simulque ex Barbaris viri quatuor et feminae duae ex multis, quos bello captos Cempoalani diis immolandos asservabant. Qui legati, acceptis a Cortesio cum rerum gestarum commentario mandatis et litteris ad Carolum Caesarem, epistolam quoque oppidanorum Verae Crucis publice ad eumdem Regem scriptam acceperunt cum

N alia

Digitized by Google

alia postulantium, tum maxime, ut Cortesii praefecturam ratam haberet, ac diplomate, ut temporum rerumque ratio posceret, confirmaret. Paulo igitur ante Kalendas Augusti legati navem solvunt, et commodiore navigatione usi, incolumes in Hispaniam ad Regem pervenerunt.

XVII. Erant in exercitu non pauci ex amicis et familiaribus Jacobi Velasquis, a quibus illa rerum administratio non probabatur, sinistrique sermones serebantur, praefecturam Cortesio, ut non necessaria nec usitata, sic injusta et contra officium fidemque excogitata ratione fuisse delatam, ut Jacobus Velasques, cujus potissimum opibus et auctoritate Cortesius cum milite et instructa classe missus fuisset, summoveretur, et quidquid terrarum marisque ea expeditione partum fuisset, ejus suscipiendae auctor et princeps omni praemio et gratia fraudaretur. Quo cognito, Cortesius rumoris auctores comprehendi, et in navem custodiendos imponi jubet; sed paulo post precibus amicorum victus, eosdem liberavit, nihil tamen venia et facilitate profecit. Illi enim nihilo magis ab obtrectatione, et sociis ad defectionem solicitandis temperabant; ita ut res ad secessionem spectare videretur. Hoc animadvertens Cortesius, ad quem omnia diligentia et indicio amicorum deferebantur, et pro periculi magnitudine commotus, eosdem obtrectatores in vincula conjecit; et his non modo convictis, sed etiam confessis, in quatuor, quos maxime omnium deliquisse comperit, animadvertit. Duobus igitur laqueo suspensis, totidem verberatis, terrorem ceteris incussit, et omnes in officio continuit.

XVIII. Cum autem statuisset per omnes difficulta-

tes

Digitized by Google

tes et pericula, a Teudillio Mutezumae praefecto aliisque Barbaris ostentata, Mexicum proficisci, et urbem Regum sedem et maximi Regni caput armis tentare, de navibus allidendis, aut supprimendis prudens et salutare consilium inivit, quo navigandi sublata facultate, omnem novandarum rerum, et ad insulas remeandi, vel quoquo modo bellum detrectandi occasionem sociis adimeret, et fortiter pugnandi necessitatem imponeret intelligentibus nullum esse ignaviae locum, sibique aut pereundum esse, aut viam ad salutem simul et imperium virtute et armis aperiendam: quod consilium cum magistris navium occulto communicat, et indicto silentio, quid fieri velit, imperat. Illi navigiis terebratis, et mare admittentibus, ad Cortesium et magnam circumjectorum militum frequentiam ex composito convenientes, naves, dixerunt, carie, quae *broma* dicitur, calentibus regionibus familiari, magnopere corrosas esse, tantumque maris admittere, ut factae sint inutiles navigando, et remedium, quo possint huic malo mederi, se prorsus ignorare: quod eo facilius audientibus est persuasum, quia naves jam tres menses ad anchoras in salo constiterant, atque id detrimentum quiescentibus navigiis maxime contrahi nemo ignorabat.

XIX. Ea de re exquirente Cortesio, variae sententiae a circumstantibus cum dicerentur, tandem Cortesius eam se maxime probare dixit: atque ita gubernatoribus imperavit, ut rebus expositis, et anchoris armamentisque detractis, naves deprimi paterentur, aut ventis et fluctibus ad saxa et scopulos allidendas relinquerent. Quo diligenter administrato, naves omnes perie-

N 2 runt,

runt, ceteris fere non sine dolore et timore quodam spectantibus, et Cortesii consilium, quod diu latere non potuit, et tunc demum cum nec mutari, nec impediri poterat, innotuit, tacitis judiciis condemnantibus, metuentibusque, nequo graviore casu naves frustra requirerentur, et irritis votis expeterentur. Cortesius sociorum animos oratione confirmat, eosque jubet non de perfugio navali, quod esset ignaviae, sed de victoria de imbellibus hominibus, et ditissimarum regionum imperio, ut fortes viros deceret, cogitare. Tum rebus, quae ad novi oppidi munitionem et administrationem pertinerent, constitutis, centum quinquaginta Hispanos cum praefecto Petro Hircio, et magnam operariorum Barbarorum turbam, et duos equos duoque aenea tormenta relinquens, cum ceteris Cempoalam contendit, quam urbem a nostris *Sevillam* nominari jussit. Hic Regulo consilium suum de Mexico adeundo proponit, rogatque, ut ipse et finitimi amici et foederati pro bonis et fidelibus sociis faciant, et Verae Crucis oppidanos commendatos habeant, officiisque amicorum prosequantur, vicissimque paria officia, atque etiam cumulatiora a se suisque sperare jubet.

XX. Regulus pro se et amicis liberaliter admodum respondit, omnes suas opes, auxilium militare, commeatus praeterea bajulosque, qui Barbaris pro jumentis erant, et calones defert; quin etiam obsides, ne posset de sua et sociorum fide dubitare, pollicetur. Accepit conditionem Cortesius, et obsides paucos, sed ex primoribus Cempoalae poscit, et mille praeterea homines, partim armatos, partim qui sarcinas commeatum-

tumque deportarent, et munera lixarum calonumque obirent; quibus omnibus libenter datis et acceptis, cum quadringentis Hispanis, quos insulani ex Cuba trecenti circiter sequebantur, ex Cempoala ad decimum septimum Kalendas Septembris proficiscitur; et triduo per fines ejus civitatis progressus, quarto die Sicuchimatlam pervenit, urbem Mutezumae ditionis, loco munitissimam, in montis ardui latere sitam, quo nisi una porta adiri non potest, idque gradatim. Incunctanter in eam urbem liberaliterque Cortesius cum suis receptus est ab oppidanis, sic enim a Mutezuma suis omnibus fuerat imperatum, ut Hispanos, quacumque iter eis ad se haberent, indulgenter tractarent. Deinde altissimum montem superavit, cujus fauces ex *Dei* nomine, quod intrantes invocarunt, cognominari placuit, ut ea voce solemus initium facientibus bene precari. Transitus enim illarum faucium initium esse videbatur interiora illarum regionum intrandi. Ad hujus montis radices Tevixuacana oppidum et complures vici sunt appositi, quo nostri descendentes, liberaliter sunt a Barbaris accepti. Tum per vastam et sterilem, eamdemque sitientem simul et frigore rigentem solitudinem triduo processum est; nec solum fame et siti, sed nimio etiam frigore, grandine scilicet imbreque praecipitante laboratum, sic ut insulanorum quidam, ut erant seminudi et frigoris insueti, algore perirent. Et erat ea regio soli subjecta citra aequinoctialem circulum non longius partibus decem et octo, quas partes Mathematici *gradus* appellant, in singulos septuagena millia passuum conferentes, id est, leucas Hispanas decenas septenas et semis; et quod admirationem

au-

Digitized by Google

auget, tunc sol supra verticem illorum, aut proxime versabatur: tanta vis est in terrarum, montium et convallium situ ad regionis temperiem, aut contrarias coeli qualitates: quo fit, ut sub ipso etiam aequinoctiali circulo editiores montes quidam nive perpetua obsideantur; ad quorum radices terrae vel urantur ardoribus, vel coelo utantur temperatiore, quali omnis fere plaga meridiana utitur, frigoribus nocturnis horarum nullo, aut parvo discrimine diurnos calores temperantibus, contra veterum mortalium persuasionem, qui eum tractum prorsus inhabitabilem esse prodiderunt, ac idcirco torridam zonam nominarunt, Posidonio doctissimo Mathematico magno concursu refragantes. Hic enim, quam dixi, rationem secutus, omnem torridam zonam, ut refert Cleomedes, maxime sub aequinoctiali circulo temperatam esse contendit. Nam solarium radiorum recta replicatio, quae maxima causa est ardoris ingenerandi, cum brevitate diei et perpetuo aequinoctio, vel paene aequinoctio compensatur; ita tamen, ut calor aliquanto magis invalescat, atque eo magis, si planities nuda sit, aut sabulosa.

XXI. Sed redeo ad nostrorum agmen, qui solitudinem, quam diximus, egressi, jugum alterum, sed non tam sublime, superarunt, quod propter lignorum strues ad sacellum in cacumine situm, quae mille amplius carros onerarent, repertas *Lignorum jugum* cognominarunt. Inde in Zacataniam descensum, praealtis montibus septam casisque frequentem convallem. Tum passuum ad octo millia progressi, Zaclotanam pervenerunt regiis aedibus insigne oppidum, magnificis, magnaque ratione et arti-
fi-

Digitized by Google

ficio ex quadrato et albicante lapide constructis, unde nomen ei *Castilblanco* a nostris inditum. Huic oppido et valli magna ex parte Olinteclus imperitabat. Hic nostros benigne libenterque ex voluntate scilicet Mutezumae, in cujus erat clientela, recepit, qui de imperio et opibus Mutezumae Cortesio percunctante memorans, universi propemodum terrarum orbis imperium Mutezumam tenere dixit, eique multos Principes parere, qui singuli multa millia hominum armarent; illudque in exaggeranda magnitudine Regni ejus adjecit, et loco summae laudis posuit, quod in ipsius finibus multa hominum millia quotannis diis immortalibus immolarentur.

XXII. Huc Reguli duo, clientes et ipsi Mutezumae, ex eadem valle ad Cortesium officii et salutandi gratia venerunt, et singulos torques aureos non magni pretii, et binas ancillas dono dederunt. Cum his et Olinteclo de via in Mexicum deliberanti Cortesio, omnes, ut Tascalam Tascalanosque fines, qui prope aderant, vitaret, suadebant, homines esse feros et barbaros, quorum fidei atque conſtantiae parum esset committendum, praesertim in eos, quos putarent animos gerere a Mutezuma non alienos. Cempoalani vero separatim rogati, sibi cum Tascalanis amicitiam intercedere dicebant mutuis officiis confirmatam, nec esse de perspecta ipsorum fide, si fidem dedissent, ut daturos sperarent, dubitandum, nec amicitiam et societatem contemnendam, quae plurimum esset habitura momenti ad Mutezumam in officio continendum. Qua probata sententia, ex Cempoalanis ipsis quatuor legatos de pace et amicitia concilianda Tascalam urbem, caput et sedem illius Reipubli-

bli-

Digitized by Google

blicae, mittit; qui legati dum exspectantur, per ripam adversi fluminis, qui vallem interfluit, villis undique paene continuatis frequentissimam, passuum octo millia progressus, in oppidum venit, cui Istamistlitanus alter memoratorum Regulorum imperitabat, editissimo loco situm, domorum quinque amplius millium ratione aedificatarum, cum arce duplice, muro fossaque munita, sic ut Hispaniae laudatissimam quamque firmitudine et pulchritudine exaequaret. Hic quoque a Regulo indulgenter habitus. Octavo die, quam in vallem descenderat, legatis nondum reversis, Tascalam versus movet, Cempoalanorum omnia tuta pollicentium consilium fidis monitis Istamistlitani praeferens, a quo magno comitatu usque ad vallis exitum deductus est. Is Cortesium, ne se Tascalanis committeret, omnium maxime dehortabatur, et suam opem, quo tutiore via ad Mutezumam per fines ejus perveniret, deferebat. Ab eo tamen Cortesius auxiliarem trecentorum hominum manum accepit; et agmine ad omnes casus composito, fines Tascalanos ingreditur, ipseque cum sex equitibus duorum millium passuum intervallo antecedebat.

XXIII. Confectis autem passuum ad sexdecim millibus, superato colle, quindecim homines gladiis peltisque armati, capita pennis decorantibus, quod more gentis est insigne militare, non procul conspecti. Hos sive timore fugientes, sive ut suis, qui non procul substiterant, de adventu nostrorum nuntiarent, properantes, equites vocibus et manibus pacem significantes revocare nitebantur; sed cum nihil proficerent, et citatis equis inveherentur, illi suorum fidem magnis clamoribus implo-

plorantes, forti tamen animo nostros adoriuntur, primoque impetu duos equos duobus vulneribus, dissectis cervicibus, obtruncarunt; nequis homines spernat, aut ligneos insito silice gladios contemnendos putet; sed instituto certamine, quatuor praeterea equites supervenere, quorum uno ad agmen, ut properaret, remisso, cum ceteris Cortesius quindecim illos pertinaciter repugnantes, antequam ceteri subsidio pervenirent, concidit: tum in accedentes Barbaros equites invecti, adequitando agmenque carpendo, et hostilem incursum celeritate vitando, quinquaginta circiter ex ipsis nulla sua jactura conciderunt. Sed nostrorum agmine prospecto, Barbari pedem referre domumque redire coeperunt, et paulo post cum duobus ex quatuor Cempoalanis, quos Cortesius legatos de pace miserat, alii quidam affuerunt a principibus Tascalanae civitatis purgandi gratia missi, qui nihil auctoritate publica factum esse dixerunt, sed quorumdam popularium temeritate; itaque rem civitati et principibus fuisse molestam, qui ab Hispanorum amicitia propter eorum bellicae virtutis opinionem non abhorrerent; et parati essent de duobus necatis equis satisfacere, et cum ipsis pacis et amicitiae foedus inire. Ad hanc fraude Barbarica simulatam legationem Cortesius liberaliter respondit, seque libenter cum principibus civitatis de re communi et amicitia concilianda collocuturum esse dixit. De duobus autem equis desinerent verba facere, quorum jactura nec sibi tam gravis esset, quam ipsi putarent, et facile posset majore numero, quem in dies exspectaret, sarciri. Haec autem dicebat, ut Barbaris laetitiam illati damni minueret, doloremque

O dis-

Digitized by Google

dissimulans, quem ex eo maximum ceperat, reputans animo maximam spem maximamque facultatem novi Orbis debellandi in equis esse sitam.

XXIV. Dimissis legatis, Cortesius paulum progressus, idoneo loco castra posuit die jam in noctem praecipite, quam noctem non sine doli suspicione, pedestribus et equestribus excubiis dispositis, solicitus traduxit. Postridie prima luce castra movit; orienteque sole, duos alteros legatos Cempoalanos obvios habuit, qui flentes et trepidantes, retentos se a Tascalanis, et in vincula conjectos fuisse dixerunt, vixque impias illorum manus, pacis mentionem ferre nequeuntium, solutis vinculis effugisse; nec ita multo post mediocris armatorum multitudo sese ostendit, magnoque ululatu nostros invadit, atque eminus sagittis et similibus telis certamen instituit. Non exciderat Cortesio Regum nostrorum institutum, qui ab initio belli Barbarici suis praefectis in mandatis dederant, ne bellum cum Barbaris, nisi indictum et prius oblata pace, gererent. Memor igitur Regiorum mandatorum, manus significatione et interpretum vocibus et attestatione pacem et amicitiam offerebat, utque ab incepto desisterent, hortabatur. Sed his rebus cum nihil proficeret, vim, quam ratione nequibat, vi repellere coactus, arma suos expedire, et in hostes invadere jubet. Accedentibus nostris, Barbari non effusa fuga, nec intermissa pugna, sed paulatim ordine servato cedere pergunt, donec insequentes nostros in locum insidiarum hominum centum amplius millibus obsessum praecipitarunt; qua circumfusa multitudine, cum undique nostri totum paene diem a Barbaris

ris

Digitized by Google

ris magna contentione oppugnarentur ; tamen non modo illorum impetum magno animo sustinuerunt , sed magnam etiam cladem ediderunt , quam laudem equites potissimum tredecim numero , et quadraginta sagittarii , et scloppetarii sex , praesidio sex bombardularum adjuti , retulerunt : et , quod opi divinae , et Christi , cujus agebatur causa , auxilio et beneficio , Cortesius in commentariis merito fert acceptum ; ex nostris tam longo et pertinace praelio pauci vulnerati fuerunt , desideratus nemo. Ceterum paulo ante solis occasum Barbari , re infecta , nec tamen prorsus desperata , discesserunt ; nostri de longa et difficili pugna fessi , ad Teocanicum vicum , et turrim , quae pro sacello Barbaris erat , castra munierunt.

XXV. Postridie Cortesius , ceteris castrorum praesidio relictis , cum equitatu et centum Hispanis , praeterea septingentis auxiliaribus egressus , quinque aut sex vicos incendit , antequam hostium manus convenire possent , et cum captivis ad quadringentis suos incolumes in castra reduxit. Tertio die Barbari , quorum numerus centum amplius quadraginta millium erat , non procul castris constitisse coelo albente visi sunt. Ab his nostrorum paucitate contemta , duo millia fortissimorum virorum ex omni copia delecta praemittuntur, qui Hispanos aut caperent , aut pertinaciter resistentes occiderent , indignum esse rati bellicae virtutis opinione , qua Tascalani censerentur , ut tantulae copiae a tanta multitudine oppugnarentur. Hos digressos et in castra properantes conspicatus Cortesius , arma suos capere et venientibus obviam ire jubet. Conserta pugna , utrinque

Digitized by Google

acerrime dimicatur ; sed Barbari nostrorum impetum diu ferre nequeuntes, in fugam vertuntur. Hoc animadverso, Barbarorum duces, quorum principem locum Xicotencatlus obtinebat, copias omnes celeriter inducunt, quae magno sublato clamore magnoque ululatu advolant, tantaque vi in nostros impetum faciunt, ut quidam etiam in castra, nostris sese recipientibus commisti, irrumperent, et intra munitiones fortissime dimicarent. Sed his propere de medio sublatis, nostri non modo Hispani, sed etiam auxilia ex vallo et pro castris, cum maxima telorum multitudine premerentur, tamen summa animi praesentia acerrime propugnarunt, donec post quatuor horas Barbari, multis suorum amissis, desperataque victoria, discesserunt, hoc maxime dolentes, quod tam longo certamine multis suorum amissis, ipsi tamen Hispanorum neminem occidissent.

XXVI. Quarto die Cortesius quarta vigilia castris egressus, cum eadem manu, sed in aliam, atque nudius tertius partem incumbens, agros populatur, et vicos amplius decem, quo in numero fuit unus domorum ad trium millium, diripit, et multis, qui armati restiterant, occissis, cum optima praeda, nullo accepto detrimento, circa meridiem, cum jam undique manus concurrerent, in castra revertit. Quinto legati cum plumeis munusculis, quae ipsis erant in pretio, et cibariis, pane et indigenis avibus, quae pavones nostros imitantur, in castra venerunt. Hi se a principibus civitatis missos esse dixerunt, veniam erratorum et pacem oratum, utque civitatem in Cortesii potestate fore, et illius magni Regis, a quo se missum esse praedicaret, im-

imperio parituram pollicerentur. Cortesius legatis liberaliter respondit, seque civitati errata condonare, et cum ea pacem et amicitiam libenter initurum confirmavit. Sexto quinquaginta honesti, et ipsi, ut habitus indicabat, cives affuerunt, cibaria item more amicorum officii gratia comportantes. Hi castrorum munitiones, et loci naturam, casasque, et frondea tentoria intentiore cura circumspicere coeperunt, quaedam etiam ex auxiliaribus proxime adjunctis curiosius inquirere; quo animadverso Teuctius Cempoalanus, vir magno usu rei militaris, Cortesium certiorem facit, et monet, etiam atque etiam videat, ne illi non officii, sed explorandi gratia in castra venerint. Hac injecta suspicione, Cortesius unum eorum, qui a ceteris discesserat, ad se deduci praecipit, et secretiore loco intentata morte, nisi vera responderet, injectoque terrore, de causa adventus, et quid in Hispanos Tascalani moliantur, exquirit. Ille timore perculsus confitetur consedisse post montes, qui erant in conspectu non procul castris, cum magno exercitu Xicotencatlum ducem eo consilio, ut quando res interdiu saepe tentata non successerat, proxima nocte belli fortunam experiretur, quo tempore nec equitum invasione et terribili aspectu, nec tormentorum strage, vel armorum gladiorumque splendore acies oculorum perstringente, animi hominum conterrerentur; ipsos vero a duce explorandi gratia missos, ut qua parte facilior aditus esset in castra, et qua ignis commodius in casas stramentis tectas conjici posset, considerarent.

XXVII. Hujus orationi cum quinque aut sex aliorum simili ratione extorta confessio conveniret, omnes com-

comprehenduntur, amputatisque dextris, ad suos redire Cortesius et renuntiare jubet, Hispanos omni tempore, die noctuque idem robur corporis et animi gerere; cum mallent, congrederentur, sensuri, nisi satis jam essent suis malis edocti, quid invicti Hispani nocturnis juxta et diurnis praeliis assueti virtute possint. Hujus diei quod reliquum fuit, in castris diligentius muniendis consumtum est. Noctis crepusculo hostilis exercitus bipartitus per duos valles descendere, ut propius idoneo ad rem aggrediendam loco considerent, e castris conspectus. Cortesius, ut hostium consilia praeriperet, instanti periculo festinatione occurrendum esse statuit, qui noctem, ut hostibus opportunam, sic suis rationibus inimicam hoc magis judicabat, quod verendum erat, ne tenebrae, quibus ut fortiter, sic ignave facta latent, Hispanos, qui gloria magnopere ducuntur, pigriores redderent ad fortiter dimicandum. Non igitur sibi exspectandum putavit, dum hostes noctu ad oppugnanda castra procederent, sed confestim cum equitatu castris erumpit, ut praelio Barbaros lacesseret, sperans posse injecto terrore vel disjectos fugari, vel ipsorum consilium impediri: nec eum spes concepta falsum habuit. Barbari enim casu exploratorum, et quod nostris, quos improviso invadere et opprimere cogitabant, sua consilia patefacta viderent, dejectis animis, sententia vacillabant: itaque ad aspectum et strepitum equorum, quem augebant appensa ex industria tintinnabula, conturbati; non exspectato nostrorum impetu, in fugam vertuntur, et per mahizii, Barbarici frumenti, densissimas et late patentes segetes dissipantur.

JO.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS HISPANORUM GESTIS
AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER QUINTUS.

I. AD hunc modum summotis hostibus, dies aliquot nostri sese castris non sine timore et solicitudine continuerunt, revolventes animo quam pauci in tot tantarumque et bello assuetarum nationum terras sine spe auxilii penetrassent. Obversabantur ante oculos quindecim illi Tascalani, qui gladiis tam fortiter equitibus nostris restitissent, et duobus illatis vulneribus, equos duos concidissent: quo documento intelligi posset, hostes nec armis defici, et corporis robore animique viribus valere, a quibus vel sine gladiis et sagittis, quibus abundarent, ingruentibus contis et lapidibus, ipsaque multitudine obrui posse viderentur. Ergo quidam taciti, alii vocibus liberioribus apud contubernales Cortesium incusabant, qui sua audacia et temeritate ipsos passim in magna pericula, in diesque majora, et quibus viribus humanis in tanta paucitate obsisti nequiret, praecipitare non desisteret: stultum esse in tanta ducis amentia et temeritate ipsos suae saluti non consulere, dum res sineret, nec longe a mari et oppido Vera Cruce, quod praesidio Hispanorum teneretur, recessissent.

II. His cognitis, Cortesius, quae partim ab amicis deferebantur, partim ipse suis auribus hauriebat, advoca-

Digitized by Google

cata Hispanorum concione, hujusmodi orationem habuit. „Quam difficile negotium, quantique periculi „susceperimus, commilitones, ego plane vobiscum in„telligo: nec miror quosdam vestrum rei magnitudine „deterreri, cum animo suo reputantes, quam pauci „contra quam multas gentes belli non insuetas arma „sumserimus, idque in terra hostili et Barbarica, lon„go intervallo a pacatis insulis, ab Hispania vero mul„torum mensium itinere remota, ut nulla spes relicta „sit nec subsidii obsessis et laborantibus, nec immi„nutis copiis supplementi; sed ne tutus quidem ad ma„re oramque maritimam, siqua necessitas certum pe„riculum vitare suadeat, receptus. Quas difficultates „cum saepe ipse animo revolverem, fateor me nonnum„quam, et quidem vehementer, ea cogitatione fuisse „commotum: sed contra reputanti multa mihi in men„tem venire solent, quae meum animum recreant et „adhortantur. Primum omnium honestas pietasque cau„sae. Christi enim causam agimus, cum idolorum cul„toribus contendimus, qui hoc ipso, quod pro Deo o„ptimo et maximo malos daemones colunt, inimici „Christi sunt: bellumque gerimus, ut ipsos vel perti„naciter repugnantes ulciscamur, vel dedititios in Chri„stianorum nostrique Regis ditionem et Christi fidem „redigamus. Deinde singularis virtus vestra, multis se„cundis praeliis factis, magnisque bellis tum ad paca„tas insulas, tum in hac continente terra confectis „perspecta, mihi animos addit, quam paucis quantae „copiae pares non fuerint, recordanti. Nam futurarum „rerum ex ante gestis commodissime licet conjecturam

„ca-

„ capere. Tum praemia nobis, si viceerimus, proposita „ ante oculos versantur. Multae sunt enim bellorum cau- „ sae; quidam pro aris et focis propugnant, ut se „ suaque defendant, vitam et libertatem bello necessa- „ rio tueantur. Aliis pro imperio et gloria certamen est, „ qui saepe ea laude contenti sunt, si victis hostibus, „ urbe una ejusque agro potiantur. Sunt qui praeda ma- „ xime ducantur, et unius paulo opulentioris urbis di- „ reptae agrique vastati spolia satis magnum suscepto- „ rum laborum et periculorum praemium esse putent. „ Nos ut susceptum bellum fortiter constanterque gera- „ mus, non una ex his causis, sed omnes simul adhor- „ tantur et urgent, quando eo res deducta est, ut no- „ bis aut vincendum sit aut mors oppetenda, aut cer- „ te turpissime serviendum. Nam tutiori receptui nullus „ est locus, praesertim navibus ob hanc ipsam rem, ne „ quis locus relinqueretur de fuga cogitandi, me aucto- „ re, depressis et allisis, non stulto aut temerario con- „ silio, sed prudentissimorum ducum exemplo. Ut enim „ fortibus et constantibus viris ubique cuncta fiunt ami- „ ca et expedita, sic ignavis et fugientibus, praesertim „ in longinqua regione, cuncta hostilia et interclusa. „ Pro vita igitur et libertate nobis propugnandum est, „ et bellum necessario, si salvi esse volumus, fortiter „ gerendum. Quod si cessare et in otio tuto esse lice- „ ret, tamen tot tantisque praemiis propositis, bellum „ esset piis et fortibus viris suscipiendum. Non enim „ unius civitatis imperium agitur, nec gloria de uno „ exercitu deleto vel fugato petitur; sed novus alter ter- „ rarum orbis laborum et periculorum victoriaeque prae-

„ mium nobis est propositus , et multarum magnarum-
„ que nationum armis subactarum gloria , non unius
„ urbis direptae praeda plurimis distribuenda ; sed mul-
„ torum Regnorum auro et argento ditissimorum opes
„ paucissimis partiendae. Illinc igitur salutis necessaria
„ ratione cogente , hinc maxima gloria et tot tantisque
„ praemiis adhortantibus , animo deficere , atque bellum
„ pium et gloriosum fructuosissimumque detrectate , pu-
„ silli dejectissimique animi est , et longissime abhorren-
„ tis a nostrae gentis consuetudine atque natura. Hispa-
„ ni enim gloria maxime ducuntur; eisdem pericula ma-
„ gna , quae alios debilitant , animos addunt , acriores-
„ que reddunt ad rem fortiter gerendam , et illud in-
„ situm est , ut honestam in bellis mortem turpitudini
„ atque etiam ignaviae suspicioni aequo animo praefe-
„ rant , cujus ingenii et consuetudinis nostra patrumque
„ memoria (nolo enim vetera exempla illustri fama per
„ orbem terrae celebrata memorare) multa et clara , quae
„ vos ipsi meminisse potestis , dederunt documenta. At
„ in hostili terra bellum gerimus , a sociis et amicis
„ longissimo locorum intervallo disjuncti. Multis igitur
„ rebus superiores hostibus sumus , et melior est nostra,
„ quam ipsorum conditio. Nos de tectis rebusque no-
„ stris , cum procul absint a periculo , nihil sumus so-
„ liciti , nec bona paterna in castris consumimus , cum
„ hostium opibus alamur. Nobis ignavis esse non li-
„ cet , quibus aut vincendum est , aut mors oppetenda,
„ honesta et gloriosa in acie , si fugerimus , turpissima
„ et miseranda , ad impias daemoniorum aras more pe-
„ cudum immolandis. Hostes autem detrimentis et ja-
„ ctu-

„ cturis conflictati , vastationes agrorum oppidorumque „ direptiones metuentes , procliviores ad pacem fiunt „ et deditionem faciendam ; ac eisdem in aciem eductis, „ effugii tutique receptus occasio magnum fit ad periculum fuga vitandum invitamentum. Haec omnia, commilitones, cum animis vestris etiam atque etiam considerate, ut belli detrectandi consilium, cui ne locus „ quidem relinquitur, vobis esse perniciosum; conatum, „ in quo etiam exstingui pulcherrimum foret, salutarem „ esse cognoscatis, et nihil, nisi de bello, omni abjecta „ cunctatione, gerendo, vobis esse cogitandum, et in id „ mente et animo totos insistere oportere intelligatis, „ quo via nobis primum ad salutem, deinde ad illustrissimam famam, tum ad maximas opes aperitur, et, „ quod apud pios, et reipublicae et Caroli Caesaris Regis nostri majestatis studiosos plurimum debet habere „ ponderis, ad religionem Christianam cum Hispanorum „ imperio longe lateque propagandam, maximis nationibus in ditionem redactis, quae, idolorum cultu et „ barbaris moribus per vos, ut ad insulas factum est, „ sublatis, paratiores fiant dociliores que, animo non ita „ repugnante, ad Christianam pietatem per evangelicam „ doctrinam discendam et amplectendam: quo nihil Christo gratius acceptiusque cum facere possimus, Christo „ Deo auctore et latenter adhortante, bellum hoc a nobis susceptum fuisse, fas est existimare. Christo autem auctore ac duce bellum gerentes, vires humanas „ quamlibet magnas extimescere, nec hostium multitudinem, vel innumeram, et bello assuetam contemnere, „ impium est et ignaviae profligatae. Vos igitur, com-

P 2 „ mi-

„ militones, non solum vestra virtute, qua pauci plu-
„ rimis Barbaris superiores estis, sed multo magis Chri-
„ sti auxilio fretos, bene sperare et hostes contemnere
„ jubeo, non ut temere et incaute, ne, quod facere
„ lege divina prohibemur, Deum tentare videamur, in
„ pericula per impiam imprudentiam ruamus; sed ut
„ pia praeclaraque facinora intrepido animo, et Chri-
„ sti Dei tacita jussa capessamus, cujus opem et favo-
„ rem jam multis in rebus sumus experti. Tam facile
„ namque amicos, qui nos commeatu et auxiliis spon-
„ te liberaliterque juvarent, invenisse; tam paucos de
„ tam multis saepe victoriam cum magna ipsorum ja-
„ ctura, nostro nullo, aut quam minimo detrimento re-
„ portasse, si nostris ipsi viribus et virtuti tribuamus,
„ nec Deo potius et ejus singulari auxilio acceptum fe-
„ ramus, ingratissimi profecto simus et arroganter im-
„ pii.“

III. Tali oratione Cortesius suorum animis confirmatis, et paucis diebus quieti datis, secunda vigilia cum equitatu et consueta manu castris in expeditionem egreditur. Sed vix dum passuum quatuor millia confecerat, cum ex equis quinque subito et latente morbo correpti conciderunt; ita ut sublevati, amplius progredi nequirent. Hos Cortesius nihil deterritus in castra pedetentim a dominis reduci, et agmen procedere imperat. Milites autem insperato malo conturbati, casum in omen vertentes, anxiis animis Cortesium rogare, et liberius etiam admonere coeperunt, suscepto itinere desisteret, non esse prudentiae, equitatu, qui robur esset copiarum, tantopere diminuto, et Deo mani-

nifestis signis dehortante, in terram hostilem penetrare, remque aggredi difficilem et periculi plenam; praesertim cum negotio in alterum diem dilato, nulla rei bene gerendae occasio deperiret. Cortesius, horum levitate, qui vanae superstitioni servirent, verbis severioribus castigata, agmen procedere jubet, et de auxilio Christi Dei, cujus et religionis propagandae negotium suscepissent, et oraculis auguria et malorum daemonum ludibria contemnere praecipiantur, bene sperare; confirmatisque militum animis, ire pergit, et vicum unum, deinde alterum capit diripitque, non sine caede, nec tamen incendit, nequa sui adventus ignibus significatio fieret, et Barbari, qui frequentissimi regionem eam incolebant, ad arma concurrerent.

IV. Coelo albente, Zimpancincum, quod oppidum, ut postea compertum est, domorum viginti millium erat, nihil hostile metuentibus oppidanis, invadit. Hi periculo nec opinato conturbati, inermes viri mulieresque et pueri, nudi et attoniti per vias promiscue discurrebant; quos ubi nihil propugnare Cortesius animadvertit, a caede suos et direptione temperare, et inermibus manus abstinere jubet: ad quem, orto jam sole, primores cives convenerunt, orantes, uti popularibus parceret, et oppidum in suam fidem et amicitiam reciperet; quippe omnes sic esse animatos, ut illi magno Hispaniae Regi, de cujus virtutibus et magnitudine praedicaret, et a quo se missum fuisse diceret, sese in clientelam et ditionem tradere non recusarent. Hos liberaliter oratione prosecutus Cortesius, utque in sententia manerent, cohortatus, urbem egreditur, quatuor amplius

plius oppidanorum millibus inermibus usque ad fontem urbi proximum deducentibus, ibique constitit parumper, dum corpora milites a labore et fame reficiunt, cibum oppidanis largiter suggerentibus. Hinc in castra, re tam bene et tam feliciter gesta, reversus Cortesius, eorum, qui remanserant, animos timore magno liberavit. Nam exspectatione malorum, quae casus equorum in castra relatorum portendere videbatur, nimis erant soliciti. Languentes igitur non modo recreavit, sed magna etiam laetitia et spe optimi successus complevit. Quo documento et multis aliis intelligere licet, hominum levitatem atque timorem auspiciis et ominibus auctoritatem fecisse. Nam quod superstitiosos deterret, et vana opinione injecta perturbat, cunctatioresque reddit ad rem gerendam, hoc viri fortes et graves contemto saepe res maximas felicissime gesserunt.

V. Per id tempus sex viri primarii cum ducentorum hominum comitatu auri drachmas mille et xylinarum vestium magnum numerum afferentes, in castra venerunt, legati de pace a Mutezuma missi, qui Cortesium Regis verbis rogaverunt, ut coepto itinere desisteret, difficili et laborioso, nec Mexicum ire pergeret, sterilem regionem, cibaria incolis ad vitam sustentandam angustissime suppeditantem, ut in ea necesse sit Hispanos commeatus inopia laborare; se vero nec Cortesii amicitiam respuere, sed appetere potius, nec quominus magni Regis, a quo missus esset, cliens et vectigalis fieret, recusare. Proinde jam nunc Cortesius tributum, quod ipse Mutezuma in annos Carolo Caesari penderet, cum legatis constitueret. Cortesius legatos libe-

beraliter oratione prosecutus, pro munere et delata Mutezumae voluntate gratias egit, ac eosdem, quoad bellum Tascalanorum confecisset, apud se ut remanerent, rogavit, quo posset animo ab ea cura vacuo, de Mutezumae legatione et tributo cogitare.

VI. Interea Tascalani reputantes animo se belli fortunam saepe frustra et cum magna sua, Hispanorum vero nulla jactura infeliciter tentasse, et multis detrimentis acceptis, multisque suorum amissis, ne unum quidem ex Hispanis occidere potuisse, dementiae ac temeritatis esse constituerunt bellum cum iis pertinaciter gerere, quibus pares esse non possent. Itaque legatos ad Cortesium mittunt primos civitatis, quorum principem locum Xicotencatlus, de quo supra demonstratum est, obtinebat, qui dicerent: Tascalanos in fidem et potestatem Regis Castellae se suaque omnia permittere, et paratos esse imperata facere, et Cortesium Hispanosque oppidis recipere, et commeatu rebusque omnibus juvare. Nec esse quod sibi Hispani succenserent, aut vitio verterent, quod in externos et sibi ignotos homines arma sumsissent, non inferendae injuriae gratia, sed ut res suas suamque libertatem tuerentur, nulli umquam Regi aut genti obtemperare assueti, quique ob eam causam multa incommoda aequo animo pertulissent; quippe apud ipsos nullam esse nec salis, nec xyli, rerum ad victum et vestimentum necessariarum copiam, neutro in Tascalanis finibus propter frigiditatem proveniente, et his rebus Mutezumae fines abundare, unde per commercium comportari possent; se tamen patienter nudos, et sine salis usu vitam agitare, ne cum Regibus Mexicanis, qui ce-

te-

Digitized by Google

teras circa nationes armis subegissent, pacem iniquis conditionibus et cum aliqua suae libertatis jactura facerent: quam igitur ob causam cum Mexicanis Regibus eorumque vicinis et circumjectis clientibus bellum perpetuum ac paene continenter gessissent, ob eamdem, ne cujus imperio parerent, venientibus Hispanis obstitisse; quibus omnia experti, ac diurni nocturnique Martis fortuna tentata, cum pares esse nequivissent, extremae dementiae fore judicasse, frustra, et cum certo periculo et jactura niti, et non potius fortioribus et augustioribus, et proxime ad deorum immortalitatem accedentibus hominibus non concedere. Proinde Cortesium, ut se in suam et Hispani Regis fidem recipiat, et in urbem procedat, et civitatis opibus, ut suis utatur, comprecari. Sic igitur locuti legati, Cortesius, accepta excusatione, et illud modo questus, quod Tascalani, missis de pace legatis, contra fidem datam Hispanos in itinere hostiliter fuissent aggressi, hortatusque, ut in fide et officio permanerent, in fidem civitatem recepit, et se propediem castra moturum, et Tascalam processurum esse dixit.

VII. Ceterum post digressos legatos, Cortesius suspectam habens illorum fidem, sex aut septem dies se suosque stativis continuit, donec principes civitatis frequentissimi in castra reversi, cunctis ab eo precibus contenderunt, ut in urbem procederet amicissimam, addictissimorumque clientum, qui post initum foedus et amicitiam, cuperent suam in Hispanos viros fortissimos voluntatem officiis omnibus declarare. Tum Cortesius, omni abjecta cunctatione, Tascalam, quae passuum vigin-

ginti quatuor millibus aberat, progreditur, et magna cum gratulatione receptus, ad templorum maximum, quod erat capacissimum et ad diversandum idoneum, cum Hispanis omnibus divertit. Est autem Tascala urbs magnitudine, aedificiis, et habitatorum frequentia cum maxima quaque totius Europae conferenda; sedes reipublicae, quae optimatum imperio administrabatur. Tascalani fines multis municipiis vicisque frequentes latissime patent; et, ut postea habito censu compertum est, habitatorum centum quinquaginta millibus incoluntur, adjuncta Huexocincana finitima et amica sociaque, sed exigua civitate, quae eadem forma reipublicae utebatur. Ager maxime frumentarius, ceterarum rerum sterilis.

VIII. Cum jam viginti amplius dies ad Tascalam Hispani egregia oppidanorum voluntate et liberalitate utentes, commorarentur, Mutezumae legati, qui castra sequebantur, Cortesium adeunt, hortanturque et orant, ut Tascala profectus, Chololłam urbem Regi amicam, quae inde unius diei itinere abesset, procederet, ut ex commodiore propioreque loco posset cum Mutezuma legatis et internuntiis per Regios fines ultro et citro mittendis de re communi constituere. Non respuit conditionem Cortesius, et diem profectioni constituit. Hoc cognito, Tascalani principes civitatis anxio et solicito animo ad Cortesium conveniunt, ipsumque de insidiis, quas Chololłani et Mutezuma Hispanis compararent, edocent; viam militarem interruptam ab eis esse, et novam, quae minime apta esset, equitibus apertam. Intra urbem vero vias et plateas inaedificatas, et coenacula

lapidibus, ut superne quoque incesserentur, repleta; quorum inimici animi argumentum esse, quod toto eo tempore, quo ad Tascalam Hispani commorati essent, nullus ad eos legatus a Chololanis, ut a ceteris finitimis populis, de pace missus esset, nullus ex proceribus vel officii gratia venisset: *Quin age*, inquiunt, *Chololam mitte, et jube primores ad te in colloquium venire, ut cum nemo ad imperatum venerit, quam alienos a vobis animos gerant, non possis dubitare.*

IX. Hoc probato consilio, Cortesius nuntios ex Tascalanis ipsis Chololam mittit rogatum, ut primi civitatis ad se venirent, ut cum his de re communi, et causa sui adventus, et mandatis, quae a suo Rege in ea loca proficiscens accepisset, colloqueretur. Missi sunt a Chololanis tres, sed ex popularibus, qui roganti Cortesio, cur principes non affuissent, valetudine impeditos fuisse responderunt, seque ab eis missos, ut de voluntate et postulatis ipsius cognoscerent. Cortesius rerum, de quibus colloqui vellet, magnitudinem non pati dixit, ut de ipsis cum popularibus ageretur, quarum rerum auditione vix digni essent proceres civitatis. Abirent igitur, et civitati suis verbis denuntiarent, ut eo triduo legati ex primis civibus ad se publice mitterentur, qui civitatem in fidem et potestatem Hispaniae Regis permitterent, et quae a se regio nomine imperarentur, obedienter facturam esse pollicerentur. Haec si fecissent, sibi cum eis gratiam et amicitiam fore; sin aliter, elapso triduo, se ferro et igni agros vastaturum, urbem oppugnaturum ac direpturum; ad summam, rebus omnibus Chololanos loco hostium habitu-

turum. Hanc denunciationem, licet litterarum expertibus et ejus linguae prorsus ignaris, Hispane tamen scriptam, et tabellionis manu testimonioque firmatam, caerimoniae ac solemnitatis et terroris causa misit; qua epistola et mandatis acceptis, Chorollani primos civitatis postero die legatos de pace et deditione mittunt, qui se de mora purgantes, non voluntate factum fuisse confirmarunt, ut primores statim vocati ad colloquium non venirent; sed timore Tascalanorum propter inveteratas simultates; nec dubitare, quin illi pro ipsorum odio et iniquitate sinistram aliquam suspicionem Cortesio de Chorollanis injecissent, quae omnia falsa esse cogniturum, si, quod magnopere rogarent, in suam urbem procedere tanti putaret.

X. Receptis in fidem Chorollanis, Cortesius in ipsorum urbem sese propediem profecturum esse confirmavit: a qua sententia Tascalani Cortesium periculis et insidiis denunciandis deducere nequeuntes, se tamen pro inita amicitia et clientela Hispanis in periculo non defuturos polliciti, celeriter armatorum centum millia coëgerunt, et cum his copiis praefectos nostrorum agmen subsequi, et praesidio esse jusserunt, nequidquam dehortante Cortesio, et praesidium minime necessarium esse confirmante. Profectus igitur Cortesius octo circiter passuum millibus, ante Chorollam castra ponit, Tascalani quoque separatim, ut venerant, consederunt; quorum ducibus convocatis, aegre ab eis impetravit, ut domum inde cum ceteris redirent, relicta dumtaxat quinque millium armatorum manu.

XI. Postridie mane Tascalanis dimissis, Chorollam

Digitized by Google

contendit. Accedentibus nostris Senatus primariique cives et sacerdotes solemni cantu, praeterea magna turba cum tubis et tympanis obviam progressi, eos in aedes totius Hispani agminis capaces deduxerunt: auxiliis in propinquo hospitia distributa, et omnibus cibaria gratuito, sed parum largiter suggesta. Obversabantur nostris ante oculos Tascalanorum monita, crescebatque insidiarum injecta suspicio, animadvertentibus, omnia illorum orationi respondere: nam viam militarem fossis transversis interruptam offenderant, et in urbe viae quaedam inaedificatae, et lapidibus plena coenacula cernebantur. Intentis igitur animis nostri omnia circumspicere, perpetuas vigilias agere, quid oppidani molirentur, solicite ac diligenter observare. Accedebat suspicionis causis, quod in dies cibaria restrictius mittebantur, minusque magistratus et proceres ad ipsos ventitabant, quae omnia non obscura signa esse videbantur alienati animi. His curis et solicitudinibus anxius Cortesius, tertio die certiora de insidiis oppidanorum cognovit ancillae indicio unius ex viginti, quas ad Potonchanam Barbaros nostris muneri dedisse supra demonstravimus, qua interprete cum Hieronymo Aguilario in colloquiis Barbarorum utebatur. Hanc primaria quaedam ex Chollollanis matronis, seu benevolentia ex consuetudine contracta, sive humanitate ducta, monuerat, ut suae saluti consuleret, et se urbe decedentem sequeretur, ne cum Hispanis interiret, de quibus concidendis initum esset ab oppidanis consilium, et ob eam rem non procul abesse magnas Culuanorum copias ad confinia coactas, ut conantibus Chollollanis auxilio properarent; atque

Digitized by Google

que eam esse causam, cur mulieres puerique urbe excedere juberentur.

XII. His rebus ad se delatis, Cortesius unum ex obambulantibus oppidanis ad se vocari, et in aedium interiora deduci jubet; mortemque minatus, si rem, quam ipse aliunde didicisset, celaret; de insidiarum consilio et conspiratione percunctatur. Confitetur ille omnia, Cholollanos a Rege Mutezuma solicitatos, in necem Hispanorum conspirasse, nec procul abesse Regis magnas copias, quae oppidanis conantibus, et Hispanos imparatos adorientibus, auxilio advolent; et omnem insidiarum rationem exponit. Cortesius, communicato ex more cum suorum primariis consilio, postridie mane cunctos in armis et ad signum scloppeto dandum intentos esse jubet. Tum magistratus et principes civitatis ad se vocat, qui ad Cortesii querimoniam perfidiam arguentis, cum consilium non diffiterentur, quod ei divinitus enuntiatum fuisse putabant, vinciendos eos et custodiendos iis tradit, quos aedibus sarcinisque praesidio relinquebat; ipse conscenso equo signum dari jubet, quo accepto, Hispani simulque auxilia, ut erat imperatum, magno impetu in armatos cives, qui frequentes intra et ante fores aedium convenerant, irruunt; hisque concisis, alios, qui sumtis armis vias obsederant, adorti, quatuor amplius millium hominum stragem ediderunt, ac ceteros urbe cedere fugereque coëgerunt; quod eo facilius factu fuit, quoniam illi repentino periculo conturbati, sine duce et imperio ferebantur. Postremo locis quibusdam munitioribus, quae Barbari occupaverant, et inde nostros lacessebant, incensis, a caede

de et direptione post horam tumultus circiter quartam, jubente Cortesio, destiterunt.

XIII. Cortesius in aedes, quae pro castris erant, reversus, principes et magistratus vinctos vehementer accusat, severioribusque verbis fraudem et perfidiam exprobrat, qui post deditionem fidemque datam insidias tetendissent, suoque scelere et amentia populares eo malorum deduxissent. Illi imprudentiam excusant, seque a Mutezuma inductos et deceptos fuisse confirmant; et veniam suppliciter orantes, se, hac impetrata, praeteritam culpam magnitudine officiorum deleturos esse pollicentur, et superstites cives ad fidem revocaturos, et in officio contenturos. Proinde aliquem ipsorum liberaret, cujus ductu et auctoritate populares cum suis rebus omnibus in urbem revocentur, pollicenturque, civitatem imperata fideliter in posterum et obedienter esse facturam. Cortesius satis poenarum sumtum, satisque profectum esse ratus, tum ad exemplum, tum ad Barbaros deterrendos et in officio continendos haud amplius saeviendum putavit. Duos igitur ex his, ut postulabatur, liberavit, quorum opera et diligentia factum est, ut, cunctis redeuntibus, urbs postero die mulieribus puerisque et omnis ordinis hominibus, quasi nullo accepto detrimento, repleretur. Tum ceteros, qui in vinculis erant, hortatus, ut memores periculi et accepti beneficii, in data fide et officio permanerent, liberos abire, et in posterum digna suis factis atque consiliis exspectare jussit: quam illi fidem hoc sibi diligentius servandam esse constituerunt, quod Hispanos suo Deo carissimos esse sibi persuaserant, et ab eo de rebus arca-

ca-

Digitized by Google

canis et hostium consiliis ex capsula gubernatoria, qua stilus ferreus magnete attritus continetur, oraculis editis edoceri. Hanc enim Cortesius inspicere, ejusque rationem ad terrestria etiam itinera per ignotas regiones, Barbaris demirantibus, accommodare solebat. Quibus ipse de rebus cum in congressu familiari sermo ad Valdolitum, ubi Carolus Caesar morabatur, incidisset, Cortesium eumdem verba facientem, libenter audivi, qui de paratis insidiis et strage edita et primoribus in vincula conjectis cum memorasset, illud adjecit, horum quemdam adolescentem ex iis, qui ad se legati de deditione Tascalam venerant, dum se purgaret, et se umquam insidiarum consilium ab aliis initum probasse negaret, a se petivisse, quo minus de sua innocentia dubitare posset, ut capsulam ea de re sciscitari, atque inde oraculum petere ne gravaretur.

XIV. Ad hunc modum pacata Chololla, in pristinam gratiam et societatem cum Tascalanis ea civitas, Cortesio auctore, redivit, quam Mutezuma Rex largitionibus a Tascalanis alienaverat, et ad suam amicitiam traduxerat. Est autem urbs Chololla in planitie sita, domorum intra moenia ad viginti millium, et totidem extra in suburbio: forma reipublicae his erat status optimatum: vestitus, ut Tascalanis, Maurorum similis; nam superior vestis *Albornotium* Africum imitatur, nisi quod binis foraminibus diducta est, qua brachia scilicet exserantur. Gens ipsa religionibus admodum dedita est, cujus rei gratia templa sunt cum singulis turribus super quadringenta, quae turres urbem reddunt aspectu pulcherrimam. Ager frumentarius et irriguus magna ex par-

parte, partim etiam incultus; et, si pecora adessent, pascuus, quod perpaucis accidit in illis regionibus propter hominum frequentiam, quae tanta erat, ut cum toti fere agri ad frumenta Barbarica colerentur, vix tamen multitudini sufficerent.

XV. His ad Chololiam gestis, Cortesius legatos Mutezumae, qui rebus omnibus interfuerant, ad se vocat, et cum ipsis vehementer de injuriis Regis expostulat, qui, cum saepe legatos ad se de pace misisset, amicitiam et foedus inivisset, tamen violata fide, quod Reges minime omnium deceret, in suam et Hispanorum perniciem cum Chololianis conspirasset, manus ad confinia misisset, quibus illi freti, imparatos et securos adorirentur; quod cum ita sit, et ab officio et data fide Mutezuma discessisset, sibi etiam invito quidem, sed necessario et injuriis impulso novum consilium esse capiendum, ut ad quem salutandum et amice conveniendum sine ullo maleficio pervenire cogitaverat, hujus nunc fines populabundus invadat, infestisque signis contendat. Ad ea legati, sibi vero, qui jam pridem ad castra commorarentur, nihil esse de his rebus, quod pro certo affirmare possent, compertum; nec tamen dubitare, quin omnia essent a Chololianis culpam deprecandi causa conficta, falsoque in Mutezumam quasi auctorem conferrentur. Precari ergo, ne quid de sua priore sententia et voluntate in Regem mutaret, dum certiora de illius facto et consilio cognosceret, et ipsorum aliquem Mexicum ire pateretur, qui Mutezumam de rebus omnibus certiorem faceret, ut eo respondente, quod justum aequumque sit, de re communi commodius

sta-

Digitized by Google

statuatur. Annuit legatorum postulatis Cortesius, et unum eorum Mexicum, quod inde aberat passuum ad octoginta millia, ad Regem proficisci sinit, qui magna usus celeritate, sexto die cum altero legato et mandatis ad Cortesium redivit, muneraque attulit aureos catinos decem, xylinas vestes mille quingentas; praeterea panis, pavonum, venationis vim magnam, et item potionis, quae pro vino Barbaris est. Mandata Regis erant hujusmodi: „Chalollanorum insidiosa consilia sibi num„quam placuisse; instructae fraudis se non modo au„ctorem, ut illi falso jactarent, sed ne conscium qui„dem fuisse. Quod autem manus in suis finibus coa„ctae ad confinia processissent, id factum fuisse injus„su suo, Acacingo et Zacana Provinciis suis subsi„dium ex foedere, ut postulabatur, vicinis Chalollanis „in timore et periculo, siquid opus esset, submitten„tibus. Ita se nec ab officio, nec a fide discessisse; se„que pollicetur suam in Hispanos numquam mutatam, „sed propensam voluntatem majoribus in dies docu„mentis declaraturum, sive ad se venirent, sive, quod „magis propter sterilitatem regionis ex eorum usu esset, „in Provinciis feracioribus subsisterent.“

XVI. Accepit Cortesius non invitus purgantis se Regis excusationem, et legatos liberaliter affatus, se tamen a sententia Mexicum perveniendi, et Mutezumam, ut a suo Rege in mandatis accepisset, conveniendi deduci posse negavit. Hoc sermone celeriter relato, Mutezuma per suos respondit: Pergeret porro Cortesius ire, quando ea sententia sederet animo: simulque suis mandavit, ut Hispanos per suos fines deducerent, et omnibus officiis prosequerentur. Erant duae omnino viae

 Me-

Digitized by Google

Mexicum ferentes, altera per fines Mutezumae, sed fluminibus et abruptis locis impedita, per quam Mexicani nostros deducere cogitabant; altera asperior inter duos altissimos nivososque montes, sed cetera expeditior et brevior, et insidiis minus opportuna: quam ob causam eam praetulit Cortesius, ab Hispanis quibusdam notatam. Nam cum montium alter, qui celsior erat, ingentem fumi molem in sublime cum mortalium admiratione jaculari non desisteret, ejus miraculi causam cognoscendi cupido Cortesii animum incessit, et ob eam rem Hispanorum quosdam, datis ducibus itineris, montem conscendere, ejusque naturam considerare, et omnia diligenter explorare jubet. Sed illi paulo altius cum subivissent, cinere ac nive intolerandisque frigoribus impediti, in cacumen evadere nequeuntes, incepto destiterunt: redeuntes autem, et omnia circumspicientes, viam illam commodiorem, de qua dixi, monstrantibus et commendantibus Barbaris ducibus itineris, notaverunt, et Cortesio renuntiarunt. De qua rogati Mexicani, commodiorem eam esse confessi sunt; se tamen dixerunt illam alteram praeferendam putasse, quae per fines Mutezumae duceret, quo promtioribus commeatibus uterentur, et essent omnia paratiora, et magis in expedito ad agmen alendum et deducendum, nemine interpellante, aut negotium facessente. Nam illam alteram per fines Huexocingi bonam partem ducere, quae civitas alienum animum a Mutezuma gereret: ceterum utra via mallet, ingrederetur, se officio non defuturos, daturosque operam, ut commeatus illuc ex finibus Mutezumae comportarentur.

XVII. Hanc igitur commodiorem viam Cortesius ingre-

gre-

Digitized by Google

greditur, ut simul insidias, si quid forte, ut suspicio erat, paratum esset, vitaret; montiumque, de quibus memoratum est, faucibus, unde in paludes et Mexicum, ceterasque impositas paludibus urbes prospectus erat, superatis, in praetorio consedit ad radices montium in finibus Mutezumae nuper aedificato, omnium copiarum capace, etiam Barbarorum, quorum numerus erat ad quinque millium, atque ibi cibaria cunctis abunde a Mexicanis suppeditata; multique ignes contra frigoris injuriam propter nivosorum montium propinquitatem infestantis facti; et erat ea regio in ipsa zona torrida viginti citra circulum aequinoctialem partibus sita. Huc legati a Mutezuma obvii fuere Cortesio, quorum qui principem locum obtinebat, Mutezumae propinquus esse dicebatur. Is Regis munus, quod nummorum aureorum trium millium, et amplius erat, Cortesio cum tradidisset, eadem paene oratione, qua superiores, usus est, verbisque Regis Cortesium hortatur, ne Mexicum progrederetur: et ille eadem necessitatis et amicitiae simulatione usus, tum hos legatos dimisit, tum alios, quos postea cum eisdem mandatis non procul Mexico habuit obvios. Horum princeps erat Cacamacinus Mutezumae propinquus, qui cum ex lectica ad pedes descendisset, praeibant ex Barbaris, qui quacumque incederet, viam lapidibus, atque etiam paleis purgarent. Rex enim vehementer sibi ab Hispanis metuebat; sed eis palam obsistere verebatur, sperans, rem sine armis non iniquis conditionibus, ut aequum erat, confici posse.

XVIII. Ubi ad paludem ventum est, urbs parva sese ostendit, intra ipsam aedificata, multis turribus deco-

Digitized by Google

rantibus. Tum ipsa palus intrari coepta, per viam ex lapidibus calce duratis manufactam, pedibus latam circiter decem, qua passuum tria millia progressis, urbs occurrit aspectu pulcherrima, ipsa quoque intra aquam fundata, domorum ad duum millium. Hinc cibo sumto, per similem viam passuum millibus quatuor confectis, in terram continentem reverterunt, et praeter paludem octo passuum millia progressi, Istapalam urbem pervenerunt. Huc accedenti Mutezumae frater, qui ei urbi imperitabat, et multi praeterea proceres obviam progressi, aurum, quod esset quatuor millium ducatorum, praeterea vestes xylinas, et aliquot ancillas dono dederunt. Est autem Istapala partim in terra continente, partim in salsa palude sita, domorum ad quatuor millium, quarum regia magnifice magnoque artificio ex quadrato lapide constructa, multis conclavibus et cubiculis inferne et superne, multisque coenaculis erat conspicua; praeterea aquae dulcis piscinis, et amoenissimis frugiferarum arborum et suave olentium herbarum hortis decora. Ab hac urbe Mexicum, in media fere palude situm, octo passuum millibus abest, quo via ducit, manu item ex lapidibus constructa, ratione iis, de quibus supra diximus, simili; nisi quod haec duplo latius patet; ad cujus initium viae tres urbes adjacent paludem attingentes, multis quamque templis et turribus decorantibus. Harum maximum vectigal ex sale est, qui ex aqua palustri conficitur. Ea via Mexicum contendentibus arx duobus ab urbe passuum millibus occurrit, quae hanc ipsam viam, et alteram, quae ex altera continentis parte ducens cum hac ibidem se conjun-

Digitized by Google

jungit, amplectitur, firmissimo ambiente muro, et duabus turribus munita, totidemque portis pervia. Ad hanc arcem mille circiter primores cives eodem ornatu obviam nostris prodierunt, qui sigillatim accedentes, et suam quisque dextram, qua terram contigerat, exosculantes patria caerimonia Cortesium salutabant.

XIX. Ad urbis introitum interrupta lapidea via, pons ligneus excipiebat, longis latisque trabibus confectus, quibus subducendis, cum usus est, pons interscindebatur, cui multi similes erant intra urbem munitionis gratia locis opportunis aedificati. Ad hunc pontem Rex ipse Mutezuma cum ducentorum procerum comitatu obviam Cortesio processit, quorum ceteri duobus ordinibus per viam, quae latissima, rectissima, longissimaque passuum amplius mille, et magnificis aedificiis ornata erat, dextra laevaque incedebant, sic ut parietes paene contingerent. Rex ipse medius duobus viris principibus, quorum alter frater ejus erat, brachia ejusdem sustentantibus ibat, solus calceatus, nam omnes alii nudis pedibus veniebant. Accedente Mutezuma, Cortesius ex equo ad pedes descendit, et aperto capite, ut more Hispano in amicorum consalutatione fit, amplexandi gratia procedit. Ceterum a duobus illis principibus, qui latera Regis claudebant, ne ipsum tangeret, prohibitus est. Rex autem et iidem duo principes memorata caerimonia suam quisque manum, qua terram contigisset, exosculantes, Cortesium salutarunt. Ille, mutua salute reddita, torquem aspectu speciosum ex vitreis gemmis adamantes et margaritas ementientibus, quem ejus rei gratia induerat, sibi detractum Regi ad col-

Digitized by Google

collum injecit. Deinde proceres ordine Cortesium sigillatim adibant, ac eadem caerimonia cum salutassent, ad suum quisque locum redibant.

XX. Tum Rex, fratre Cortesium comitari, et brachium patria caerimonia sustinere jusso, ipse cum altero comite rediens, intervallo brevi antecedebat. Nec longe processerant, cum Mutezumae torques duo, ut imperaverat, afferuntur ex signis rubris gammaros imitantibus, quorum erat ossea ex conchiliis materia. Ex singulis autem torquibus octoni gammari aurei faberrime et ipsi facti pendebant, longitudine semipedali. His Mutezuma ad Cortesium conversus, ipsum collo injectis remuneravit. Posteaquam in aedes spatiosas et pulcherrimas, hospitio nostris magnifice comparatas, perventum est, ceteris ad hospitia divertentibus, Cortesium Rex ex manu prehendens, in amplum conclave deducit, ibique sede regaliter strata sedentem, parumper sese opperiri jubens, digreditur, et paulo post cum aureis et argenteis vasis pretiosisque vestibus revertit; et eo munere tributo, in altera simili sede cum assedisset, in hanc sententiam locutus est.

XXI. „Publica persuasio in his regionibus jam olim „invaluit, quam nos a patribus, ipsi a majoribus per „manus deinceps traditam acceperunt, idque in nostris „quoque depictis monumentis continetur, nos, qui has „terras incolimus, a prima origine non esse indigenas, „sed ex advenis procreatos, qui ex longinquis terris, „duce Rege, in cujus imperio erant, antiquitus advecti, „ad has regiones consederint. Illum autem Regem necessariis causis ductum, ceteris remanere, et se non mul-

„to

„ to post exspectare jussis, in patriam cum paucis redi-
„ visse, eumdem in haec ipsa loca post multos annos
„ revertisse, cum jam illi, ductis uxoribus indigenis,
„ filios procreassent, et alium sibi Regem praefecissent;
„ itaque ab eis non fuisse receptum: qua repulsa et
„ contemtu moestum illum et iratum discessisse, abeun-
„ temque velut vaticinio pronuntiasse, venturum ali-
„ quando ex sua progenie, qui ipsorum posteros in
„ suam ditionem et imperium redigeret, et ad justi-
„ tiam, quam in se tunc ipsi contemnerent, vel invi-
„ tos compelleret. Ita cum ab eo tempore fuerimus in
„ hac exspectatione, nunc ita nobis persuasimus, ma-
„ gnum istum Hispaniae Regem, a quo te missum esse
„ dicis, genus ab illo nostro ducere; atque eo magis,
„ quod eumdem jam pridem nostri notitiam habuisse
„ confirmas, et illum nostrum ab eisdem partibus, un-
„ de vos advecti estis, id est, ab ortu solis profectum,
„ in has mundi plagas devenisse, simul nobis est a ma-
„ joribus traditum. Tu igitur puta, in tuam te patriam,
„ et Regnum illius magni Regis, cujus ipse praefectus
„ es, pervenisse. Nec dubites, tuo jure nomine illius
„ quidquid visum fuerit, imperare. Polliceor enim me,
„ et quicumque mortales meae ditionis sunt, imperata
„ tua obedienter esse facturos. Animos igitur uti domi
„ vestrae relaxate, et corpora ab itineris bellorumque
„ laboribus reficite. Nam quanta bella et quanto animo
„ quamque feliciter a vobis gesta sint, posteaquam has
„ terras attigistis, exploratum habemus. Quamquam il-
„ lud non ignoro, quosdam, qui me male oderunt,
„ apud te male de me fuisse locutos, praesertim eos,
„ qui

„ qui vestro adventu et hospitio sublati, a mea fide et
„ imperio nequiter defecerunt. Erit autem prudentiae et
„ gravitatis tuae, ut rebus ipsis magis, quam iniquorum
„ et perfidorum calumniis, fidem adhibeas, et quae vi-
„ deris, veriora putes, quam quae ex ficto sermone
„ malevolorum acceperis, quos apud te jactasse scio, me
„ superbe, avare ac crudeliter imperare, et eam ex opi-
„ bus arrogantiam sumsisse, ut me non dubitem diis
„ immortalibus annumerare, et pares ipsis honores et
„ cultum postulare: hinc spiritibus sumtis, quod in ma-
„ gno imperio aedes inhabitem aureas et argenteas, o-
„ mnia deorum fana superbia et magnificentia supe-
„ rantes. Ego vero, quemadmodum ipse reperies, sic
„ meis impero, ut et ipsorum ingenium postulat, et
„ consuetudo fert harum mundi regionum. Nec sum
„ tam barbarus et stupidus, ut osseus et carneus homo,
„ morbis et aegritudinibus multifariam obnoxius, quam
„ procul absim a praestantia et immortalitate deorum,
„ non intelligam. De tectorum autem aediumque ma-
„ teria, num auro et argento, an caemento et lapidi-
„ bus constent, ipse tuis oculis cernis. Quamquam auri
„ et argenti caelati nonnihil a patre et majoribus mihi
„ relictum esse, non eo inficias, quo ipso tibi, cum
„ libuerit, uti licebit ut tuo."

XXII. Ad haec Cortesius, quae visa sunt, respondit; sed ea maxime, quibus opinionem augeret Mutezumae, Regem Hispaniae progeniem esse illius vetusti Regis, qui reversurus in posteritate publice credebatur, ut Mutezuma memoraverat. Talia collocuti cum fuissent, in alias aedes Mutezuma demigravit, unde copiis o-

Digitized by Google

omnibus abunde omnia necessaria suppeditabat; sed Hispanos magnifice ac indulgenter habebat. Atque ad hunc quidem modum urbs maxima magnique Regni caput, sine praelio, sine vulnere, in Hispanorum, si habendi cupiditati temperare scirent, potestatem pervenerat. De cujus urbis situ, magnitudine et opulentia res ipsa hortatur, ut paucis memoremus.

XXIII. Mexicum igitur, quae urbs *Temistitlana* quoque nominatur, in occidua meridianaque plaga citra orbem aequinoctialem decima octava parte sita est in palude salsa; ejus regionis, quae altissimis montibus undique continetur, planitiem passuum trecenta circiter millia in orbem patentem duae paludes obtinent continuatis monticulis inter se diremtae, quarum altera dulcis est aquae, altera salsae, sed eaedem parvo freto committuntur, qua commeantibus naviculis, qui urbes in utraque sitas incolunt, commercia exercent inter se. Ceterum dulcis, quae jugibus rivis superne manantibus alitur, in salsam latius patentem influit, quam subjecta terra nitrosa et salsa sic inficit, ut aquae maritimae simillimam reddat, et sali conficiendo peridoneam. In salsa igitur palude Temistitlana condita est, ut in Adriatico mari Venetiae, eodemque modo duplices vias habet, terreas et aqueas, sed multo rectiores et latiores; praesertim terreas, quae transversis aqueis interscissae ligneis pontibus committuntur, tam latis quibusdam, ut equites deni invehi simul possint: quaedam etiam viae partim terreae sunt, partim aqueae, itaque tota fere urbs pedibus et naviculis pervadi potest. Urbem amplitudine duas simul magnas urbes Hispaniae Hispalim et Cordubam exaequare, Cortesius ipse in commentariis affir-

S mat,

mat; quidam huic magnitudini nonnihil addunt. Quatuor viis ei, de qua supra demonstravimus, similibus Mexicum est aditus, quibus plerique mortales commercii causa undique ventitare non desistunt. Habet complura rerum venalium fora, sed unum capacissimum Salmanticensi Hispaniae latissimo duplo majus. Hoc hominum incredibilis multitudo quotidiana consuetudine frequentat; merces separatim generatimque exponuntur. Macellum piscibus et omnis generis carnibus abundat, quae quidem in eis regionibus proveniunt, sed ex nobis notis, cervis, leporibus, cuniculis; item ex avium genere, gallipavonibus, anseribus, perdicibus, anatibus, coturnicibus, turturibus, columbis, psittacis, et minutioribus aviculis. Nec deerant aquilae, accipitres, tinnunculi. Praeterea ex herbis et oleribus nasturtium hortense et aquaticum, acetosa, borrago, carduus. Ad haec prunae, item cerasa, mel, atque saccharum. Erat praeterea venalis materia partim rudis, partim elaborata, vasa aurea et argentea faberrime confecta, et item aerea. Fictilia vero plurimorum colorum cum optimis nostri orbis conferenda. Vestes autem vel xylinae, vel plumeae, quantum vix credi potest. Ad summam nihil in eis regionibus ad usum hominum vel gignitur, vel humano ingenio et artificio conficitur, cujus non esset magna copia in eo mercatu venalis. Ceterum in commerciis magna ex parte res ipsas permutabant. Nummus eis nullus erat utique signati metalli, nisi quod interdum nuces quaedam amygdalis similes nummi vicem explebant. Sed nec ad pondus merces vendebant, mensuris dumtaxat utebantur.

XXIV. Ceterum nulla re magis Mexicum, quam tem-

Digitized by Google

templis decorabatur frequentibus, turritis et magnifice constructis. Templis erant contigua sacerdotum et religiosorum hominum coenobia, qui res ad deorum cultum pertinentes tractabant. His corpora cum feminis miscere, capillum vel tondere, vel pectere nefas erat. Atrati incedebant. A cibis quibusdam certis anni temporibus abstinebant. Cum his honoratorum civium stirpis maximi filii a septennio usque ad matrimonii tempus morum causa cultu eodem educabantur. Sed templum maximum ut amplitudine, sic opere, materia et dignitate cetera superabat. Muro altissimo septum erat, quadraginta turribus, quae proceribus erant pro sepulcris, distincto. Spatium occupabat, quod quingentarum domorum castello satis esset. Coenobium ipsum amplis porticibus et coenaculis, et item multis conclavibus et cubiculis erat distinctum. Deorum, quos Barbari colebant, imagines ex omnibus frugum seminibus molitis, et immolatorum hominum sanguine commistis, conficiebantur statura humana aliquanto proceriores. Ad has rem divinam facientes victimas humanas quotidiana fere consuetudine, ut diis omnium gratissimas, immolabant; quarum exsectis pectoribus eruta corda diis offerebant, ac de sanguine de cordibus effluente facies imaginum perungebant. Horum signorum magnus erat in templo maximo numerus; quo ingressus Cortesius, eorum, qui Barbaris in maximo honore erant, imagines e sedibus suis deturbari et per scalas praecipitari jussit: sed Mutezuma, qui cum multis principibus aderat, rogare eum ac liberius obtestari coepit, ut temperantius ageret, neve committeret, ut diis patriis

S 2 vio-

violandis popularium animos offenderet odiumque in se concitaret metuentium, ut esset necesse, ne dii, siquam injuriam cives inferri sibi paterentur, irati, quas fruges tempestivasque pluvias tribuere consuevissent, denegarent, agros siccitatibus tempestatibusque vastarent, et civitas fame deperiret.

XXV. Contra ea Cortesius, resipiscere eos aliquando jubet, et Deum verum agnoscere, in cujus magna ignoratione versarentur, qui unus esset, optimus, maximus, sempiternus, cunctorum bonorum auctor; unus coelum et terram ac omnia, quae his continentur, condidisset; unus omnia suo nutu regeret ac administraret: quos autem ipsi colerent, opera esse hominum manufacta, et ex rebus immundis foetidisque conflata. Itaque stultum esse mutas imagines deos esse existimare, et qui sensus essent expertes, his bona, vel mala accepta referre. Unum illum Deum esse colendum, non victimarum sanguine, praesertim humanarum (quod esset impium et nefarium) sed virtute et pietate ac innocentia, quibus rebus facile possent cuncta bona ab eodem impetrare. Hac oratione victus Mutezuma: „Nos, inquit, ut ante dixi, non indigenae sumus harum regionum; sed advenae ex longinquis finibus advecti, et fortasse veram religionem dedidicimus, et in errore versamur. Vos igitur, quos veram religionem retinere, ac Deum prudentius colere probabile est, quid ei gratius, et quid optimum factu sit, considerabitis et statuetis; nos a vobis edocti, sacrorum ritum, et vestram colendi Deum consuetudinem aemulari non gravabimur.“ Sacellis igitur, quae humano sanguine ma-

madebant, purgatis, Cortesius Christi ac Virginis Matris imagines reponere, et per eas verum Deum Mutezumam, qui rebus his omnibus cum Cortesio interfuit, ceterosque Barbaros venerari jussit, ac ne victimas humanas amplius immolarent, ut impium et nefarium sacrificium vetuit interdixitque, cui praecepto Barbari non gravate obtemperarunt.

XXVI. In hanc urbem regiam principes ac proceres, quorum erat magnus numerus, ex omni Regno confluebant, et anni bonam partem morabantur; cujus rei causa multae domus erant amplae, ratione ac magnifice aedificatae, quae urbem plurimum decorabant; sed duae Regis magnitudine, opere et magnificentia praestabant, hortis, piscinis, aviariis, leonum et tygrium et aliarum ferarum vivariis amoenae. Itaque non solum ceteris aedibus praestabant, sed erant ejusmodi, ut nulla sit in Hispania, quae cum earum alterutra conferri queat. Multa praeterea extra urbem praetoria regaliter constructa erant cum hortis amoenissimis, quo Mutezuma nonnumquam animi causa secedebat. Proceres, de quibus demonstratum est, quotidiana consuetudine sexcenti amplius assidendi et custodiae gratia in regiam bene mane conveniebant, nec ante noctem nec ipsi nec ipsorum comites discedebant, quorum numerus erat trium circiter millium, quae multitudo omnis regiis impensis alebatur. Prandenti et coenanti Mutezumae, cibaria ex omni genere herbarum, sive olerum, avium, piscium, et terrestrium animalium, et fructus ad eas regiones provenientes ex culina in magnum triclinium quadringenti adolescentes fictilibus deferebant de-

deponebantque : nam aureis et argenteis vasis, ne saepius reponerentur , et munditiae causa , non utebatur; fictilia semel allata numquam amplius referebantur. Mutezuma triclinium ingressus, oculis fercula lustrabat, et quae magis placebant , jubebat notari. His ministri, ne frigescerent, igniculos subjiciebant, quibus in mensam allatis , ipse solus vescebatur. Pro mensa erat pulvinus ex corio versicolore ; pro toro quadrupes sedicula monoxyla , quae a terra parum exstabat. Eodem tempore proceribus separatim accumbentibus fercula eadem apponebantur. Hi regiam non nisi nudis pedibus intrabant ; cum Regem adibant evocati , capite oculisque demissis et inclinato corpore accedebant. Colloquentis Regis faciem intueri criminosum erat , ne majestatem Regiam contemnere viderentur , qui siquando per urbem (quod raro faciebat) vagabatur, populares omnes, quacumque praeteriret, oculos ob eamdem causam, demissis corporibus , avertebant.

JO.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE

DE REBUS HISPANORUM GESTIS

AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER SEXTUS.

I. SEXTO die, quam Mexicum intraverat Cortesius, consilium cepit cogendi Mutezumam, ut apud se in eisdem capacissimis aedibus habitaret, quo minus libere cum suis colloqueretur, neve communicatis consiliis, abstractus a suis, sententiam mutaret, et aliquid sinistri in Hispanos moliretur. Sed ne per timorem, aut injuriam id facere videretur, causam intulit, quod ipso auctore Hispani quidam ad Nautellam superioribus diebus fuissent interfecti. Nam post Cortesii a maritima regione, et Veracruce oppido novo discessum, cui centum quinquaginta Hispanos cum Petro Hircio praefecto, ut supra demonstratum est, praesidio reliquerat, Qualpopoca Nautellanorum Princeps legationem ad Hircium mittit: „Cupere sese cum Hispanis socie-„tatem et amicitiam inire, ipsorumque Regi in fidem „et clientelam se suaque permittere, atque ejus rei gra-„tia in novam coloniam proficisci; timore tamen im-„pediri, nequid incommodi caperet in itinere ab iis, „qui regiones interjectas incolerent: proinde rogare, ut „ad se quatuor aut quinque Hispanos mitteret, quo-„rum praesidio et auctoritate nominis munitus, iter con-„ficeret.“ Hircius, audita legatione, nihil doli subesse ra-

ratus (nam multi non absimili ratione ultro in fidem Hispanorum pervenerant) quatuor Hispanos cum legatis proficisci jubet, quos Nautellam progressos Qualpopoca interficiendos curavit; sed ita, ut injussu suo caedes facta videretur. At duobus necatis, alteri duo, vulneribus acceptis, per avios montes evaserunt; a quibus Hircius certior factus, indignitate rei, ut par erat, commotus, ex confinibus et amicis Barbaris ad decem millium armatorum manum coëgit, et hanc cum Hispanis quinquaginta et equitibus duobus totidemque tormentis aeneis, Nautellam, infestis signis, inducit oppugnatque, et multis mortalibus concisis, vi capit cum septem omnino Hispanorum jactura; sed multi Barbarorum fuga ad salutem contenderunt, quorum fuit Princeps ipse Qualpopoca, quem non sua sponte interficiendorum Hispanorum consilium cepisse, sed Mutezumae jussu, cujus erat in clientela, ex captivis Hircius cognovit; nam ei per nuntios Mutezuma mandaverat, ut coacto exercitu, per occasionem digressi absentisque Cortesii novam Hispanorum coloniam praesidiumque delendum curaret; deinde poenas sumeret de iis, qui amicitia Hispanorum freti ab ipso Mutezuma ejusque ditione defecissent. Haec ad Chlollam Cortesius ex Hircii litteris cognoverat, quae ad Mexicum animo revolvens, hinc honestae necessariaeque causae speciem, quam suis conatibus praetenderet, sumi posse existimavit.

II. Cum igitur ad Mutezumam quotidiana prope consuetudine Cortesius venisset, instituto de rebus aliis sermone, in mentionem delapsus est Hispanorum ad Nautellam peremtorum, deque gravi injuria, cujus ipse Mu-

Mutezuma auctor fuisse ferretur, cum eo expostulavit. Mutezuma id suo injussu factum esse affirmante, Cortesius eum jubet, si sibi Regique suo purgatus esse vellet, qui de rebus omnibus docendus esset, sceleris auctores ad se vocare, ut initi consilii patratique sceleris rationem redderent. Mutezuma nihil cunctatus, veluti crimen falso in se conferri docturus, legatos in Nautellam destinat, hisque, tradito suo sigillo, mandat, ut Qualpopocam et ceteros, quos ejus consilii principes fuisse compererint, ad se volentes, invitosve deducendos curent, subsidio, si opus erit, vicinorum clientum invocato. Cortesius, collaudata Mutezumae diligentia, illud quoque ad suum officium, qui de rebus omnibus suo Regi rationem esset redditurus, pertinere dixit; ut interim ipse Mutezuma apud se easdem aedes habitaret, idque ut non gravate faceret, rogare, nihil ibidem de sua pristina libertate, nihil de dignitate imperioque desideraturus. Mutezuma, cognita Cortesii voluntate, timore ductus, paruit, dissimulatoque dolore, in aedes Hispanorumque castra sine tumultu migravit, ibique libera custodia tenebatur, nec fuit quidquam de majestate, nec de mensarum magnificentia ministrandique caerimonia diminutum, nec aditus ad eum cuiquam negabatur; quin etiam cum libebat, in amoenos hortos animi causa intra extraque urbem cum suorum ad trium vel quatuor millium, qui magna ex parte nobiles erant, comitatu, et quinque aut sex Hispanis excedebat.

III. Viginti quinque circiter diebus interjectis, Qualpopoca, qui lectica vehebatur, et filius, praeterea quindecim viri nobiles, qui consilii de quatuor Hispanis

Digitized by Google

occidendis participes fuerant, Mexicum adducti sunt, et Cortesio traditi; inter quos quaestionem Cortesius cum exercuisset, omnes crimen confessi sunt; sed Mutezumam, ut jussi fuerant, omni culpa liberabant. Ceterum rei capitalis condemnati, cum subjecto igne urerentur, omnes una voce in Mutezumam, a quo jussi fuissent, culpam contulerunt; cujus rei causa Cortesius conturbato et trepidanti Regi ferreas compedes injecit, quas tamen eodem die detraxit, eumque consolatus est, confirmans, id quod palam in procerum, qui Regem adibant, colloquiis praedicabat, Regem Hispaniae nihil Mutezumae de imperio detracturum; sed eo contentum fore, ut Mutezuma aequis conditionibus ipsius cliens et vectigalis esset. Multum diuque Mutezumae de nostrorum nec opinato in eas terras adventu deque sua fortuna cogitanti, qui modo Rex maximus cum fuisset, nunc in longinquorum hominum et alienigenarum potestatem pervenisset, multum opinio confirmatur, deorum id esse consilium et necessitatem fatalem, quae viam aperiret antiqui Regis vaticinio, de quo magna inter ipsos et vetus a majoribus per manus tradita esset opinio et exspectatio, posteros illius Regis aliquando ad avitum imperium recipiendum, ipsis nec opinantibus, affuturos, et eos esse Hispanos, qui ex longinquis regionibus, unde illi exspectabantur, essent advecti. Itaque voluntati deorum obsistere nefas esse constituit; et evocatis propinquarum civitatum suae ditionis principibus, et his ac ceteris, qui ad Mexicum aderant, in concilium coactis, Cortesio quoque et nonnullis Hispanis adhibitis, hujusmodi orationem habuit.

„No-

IV. „Notum vobis est, fratres, clientes et amici, „vestros patres majoresque, et vos ipsos patris mei et „majorum meorum meoque imperio olim ad hoc tem„pus paruisse; quod officium ut est a vobis fideliter „et amanter praestitum, sic iidem vos amice a nobis „et perhumaniter tractati fuistis. Ut igitur inter nos „justitiam mutuis officiis coluimus, sic jus est et fas, „ne in alios simus injuriosi, neve deorum manifestae „voluntati resistamus, quorum nutu Regna et Princi„patus ab aliis detracti, traduntur aliis, et fatali qua„dam necessitate mutantur. Constante fama et omnium „sermone, ut nostis, celebratum est, id quod nos a „patribus nostris, et illi a suis, et ceteri deinceps a „majoribus per manus traditum acceperunt, vetustos „mortales, unde nos originem ducimus, non fuisse „horum locorum indigenas, sed advenas, qui ex ulti„mis terris ab ortu solis, ubi prae nimia multitudine „habitare commode non poterant, in has terras adve„cti fuerint ductore Rege, qui novas sedes redun„danti multitudini ut quaereret, eos ex patria dedu„xisset; cumque ad has regiones consedissent, Regem „illum, majoribus nostris se non multo post exspecta„re jussis, in patriam revertisse, ut Regno avito et „posteritati consuleret: sed diutius quam putaverat, mo„ratus, huc cum revertisset, a suis non fuisse rece„ptum, qui jam per connubia et affinitates amicitiam „et societatem cum indigenis coiverant, et alios sibi „Principes praefecerant. Itaque contemtum atque reje„ctum in patriam revertisse; discedentem autem velut „vaticinio praedixisse, futurum aliquando, ut ex sua

„ stirpe Rex aliquis exsisteret, qui suas injurias persequeretur, et Regnum a nobis vel invitis reciperet. „ Hanc ego veterem historiam et vaticinium saepe animo revolvi, ex quo novus hic hospes novusque miles in has terras ab ortu solis delatus est; omniaque „ animo circumspiciens, in eam opinionem veni, et „ mihi persuasi, Regem Hispaniae, a quo praefectus „ hic Cortesius cum manu militari missus fuit, eum „ Regem esse, quem noster ille vetustus ex suis posteris exstiturum vaticinatus est, qui has terras in suam „ potestatem redigeret, et injuriam ipsi a majoribus nostris illatam, in nobis, si parere recusaremus, ulcisceretur: quae persuasio hoc mihi magis confirmatur, „ quod, ut ductor hic idem Hispanorum praedicat, „ exstat adhuc apud Hispanos ipsorumque Reges memoria gentisque nostrae notitia. Itaque diis auctoribus atque juvantibus Hispanum militem huc advectum esse certum habeo, ut jus repetat vetusti Regis, nec id vobis dubium esse debet. Est igitur officii nostri ac pietatis, deorum voluntati non obsistere; et item justitiae, de injuriis majorum nostrorum „ satisfacere. Quare vos hortor et jubeo, ut Hispaniae „ Regis imperata obedienter faciatis, ejusque fidem mecum sequamini, atque illi tributa, quae mihi tribuere consuevistis, conferatis. Nam ego vectigalis ejus „ cliensque fieri non recuso. Sic igitur faciamus, et illius vices gerenti huic ipsius praefecto et duci Cortesio dicto audientes simus, et quae imperaverit, faciamus. “

V. Haec Mutezuma lacrymantibus oculis cum dixis-

xisset, Principes dolore et lacrymis impediti, diu se intra silentium continuerunt, ipsis quoque Hispanis, qui aderant, fortunam Regis non siccis oculis miserantibus. Dolore tandem fletuque suppresso, pauca Principes responderunt: „Sese in potestate Mutezumae Regis esse, „quidquid vellet, nihil recusaturis imperaret." Haec omnia, ut dicta et acta sunt, tabellio, qui aderat, excepit, et scripturam, ut erat imperatum a Cortesio, instrumentumque ex more confecit. His rebus laetus, et majoribus spiritibus sumtis, Cortesius paucis diebus interjectis Mutezumam alloquitur, proponitque, Carolo suo Regi ad opera quaedam maximi sumtus, quae facienda curaret, magna vi auri opus esse: propterea rogare, ut ad eos proceres, qui nuper suam voluntatem liberaliter detulissent, nuntios ex suis cum mandatis mitteret, adjunctis etiam nonnullis Hispanis, qui ab illis postularent, ut suam quisque partem auri ad Carolum Hispaniae Regem mittendi conferre ne gravarentur, et ipse Mutezuma, quod visum esset, tribueret, ut omnes Carolo tempore commodarent, simulque voluntatem, quam verbis liberaliter detulissent, re quoque declararent. Annuit postulatis Mutezuma, nuntiisque cum Hispanis quibusdam suo Cortesiique nomine quoquoversus dimissis, nemo procerum fuit, quin certum auri et argenti pondus, partim puri, partim incredibili artificio caelati, prout Mutezuma praescripserat, liberaliter conferret; cujus auri puri fusi et in massam redacti quinta pars, quae ad fiscum pertinebat, triginta duorum millium, et quadringentarum amplius drachmarum fuit, cui Cortesius caelatum aurum adjecit ponderis drachmarum

Digitized by Google

rum centum millium, sed cujus opus et mirabile artificium materiam longe superabat. Argenti autem puri summa fuit quadringentarum librarum, quae *marchae* novo vocabulo monetariorum more vocantur, octonarum unciarum. Drachma vero octava unciae pars est. Multas praeterea vestes xylinas plumeasque mirabilis operis adjecit Mutezuma, quae muneri simul Carolo Caesari mitterentur.

VI. Dum haec ad novum Orbem Mexicumque geruntur, Jacobus Velasques, de quo supra memoravimus, ad Cubam insulam nihil aliud, quam de Cortesii injuriis persequendis commentabatur, molestissime ferens, eum, violata fide et contemta societate, non ad se, ut convenerat, sed ad Carolum Regem rerum a se feliciter gestarum rationem cum muneribus misisse. Cum igitur Cortesium bello persequi, atque omni ope suis rationibus consulere statuisset; coacta classe Hispanorumque manu, huic Pamphilum Narvaëzium praefecit, eique mandavit, ut Cortesium, quacumque ratione posset, vel caperet, vel occideret, eoque de medio sublato, omnia, quae per eum parta essent, occuparet, et bello cum Barbaris gerendo ipsius Jacobi vicem praeesset, ac omnia pro re nata proque sua prudentia administraret. Hoc ubi fuit in Hispaniolam insulam perlatum, ex quo conventu insulae circumjectae ab Hispanis occupatae jura petunt, Lucas Vascus Aillonus, de numero judicum, legatus ad eumdem Jacobum Velasquem mittitur, qui ei denuntiaret, et pro conventus jure et auctoritate juberet, ut ab incepto susceptoque consilio desisteret, quippe regiis rationibus inutili, et Hi-

Digitized by Google

Hispanis omnibus in eas regiones delatis pernicioso, quodque aperte ad civiles dissensiones spectaret. Sed cum diu legatus denuntiationibus ac dehortationibus nihil profecisset, statuit, classem, jam ab extrema Cubae parte et Sancti Antonii promontorio discedentem, sequi, si posset auctoritate sua tantis malis occurrere, seque in pacificationem interponere.

VII. Igitur sexto mense, quam Mexicum Cortesius intraverat, Mutezumae a suis clientibus, qui maritimam oram incolebant, Cortesioque denuntiatur, decem et octo navium classem in alto ante portum, Sancti Joannis cognominatum, fuisse prospectam. Quo cognito, Cortesius duos Hispanos diversos ad eumdem portum properare, et, rebus omnibus exploratis, ad se quamprimum redire jubet, et tertium item cognoscendi causa ad Veramcrucem novum oppidum mittit; quartum cum litteris ad Joannem Velascum praefectum suum, quem cum Hispanis centum quinquaginta paulo ante a se dimiserat, novae urbis ad portum Guazacalcum idoneo loco condendae gratia: quibus eum litteris de classis allato nuntio certiorem facit, et quo loco litteras accepisset, consistere, et alteras suas exspectare jubet. Sed jam quindecim dies effluxerant, nec dum quisquam dimissorum Hispanorum reverterat, cum rursus Mutezumae a suis renuntiatur, classem jam in portum esse compulsam, et homines ad octingentos, equos octoginta cum aeneis tormentis duodecim in terram expositos: quae omnia in charta more patrio depicta nuntii deferebant. Ex his Cortesius simul intellexit, Hispanos a se dimissos, et alium, quem ad oram maritimam speculatorem di-

digrediens reliquerat, a classis praefecto retineri.

VIII. Pamphilus, ubi terram attigit, navibus in portum Sancti Joannis compulsis, principes atque praefectos orae maritimae in colloquium vocavit, qui cum non gravate ad ipsum convenissent, eorum animos blandis alloquiis et optima spe injecta delinire et conciliare coepit; se in eas terras non hostili, sed amicissimo animo cum manu militari pervenisse, a Carolo humanissimo et justissimo Hispaniae Rege missum, ut eas gentes nihil de se male meritas et insontes ab injuriis prohiberet, et in libertatem ab ea servitute vindicaret, quam eis Cortesius imponere moliretur atque coepisset, homo scelestus, qui sui Regis injussu ipsoque invito eas regiones cum latronum cohorte nuper invasisset: se igitur latronum et injuriarum vindicem adesse, quae in eos mortales citra ipsorum culpam a Cortesio fuissent illatae: proinde hortari, ut recuperandae libertatis tam amplam occasionem ne dimitterent, seque duce et auctore uterentur: facile fore ab ea Hispanorum multitudine cum equitatu, quam ipse devexisset, eoque belli apparatu tantillam manum, quae Cortesium sequeretur, delere, si temere forsitan restitisset; modo ne ipsi suorum malorum et amissae libertatis auctorem fovendum per summam imprudentiam et coecitatem putarent. Nam Cortesio de medio sublato, et illa manu vel deleta, vel ad sanitatem redeunte, et in suam potestatem redacta, sibi protinus ex Caroli Caesaris mandatis domum esse redeundum.

IX. His et talibus verbis Barbari facile in studium rerum novarum inducuntur. Hoc animadverso, Lucas Va-

Digitized by Google

Vascus, de quo supra demonstratum est, Pamphilum rogare primum, deinde liberius etiam obtestari coepit, et pro potestate et jure magistratus denuntiare atque jubere, ut incepto Hispanis pernicioso desisteret, neve committeret, ut mutuis Hispanorum dissensionibus causam communem perditum iret in magnam Regis et Hispanae nationis jacturam et contumeliam, cujus sceleris ratio severe ab ipso esset reposcenda. Sed Pamphilus, legari dehortationes ac monita usque adeo contemsit, ut eum comprehensum custodiae daret, et tum ipsum, tum officialem et tabellionem, quos secum duxerat, in duas naves impositos, in Hispaniolam insulam, unde venerant, reducendos mandaret. Deinde in Veramcrucem, novam Hispanorum coloniam, tres suorum, quorum unus erat sacerdos, cum litteris et mandatis ad notos et amicos misit, ut eos ac ceteros oppidanos praemiis et pollicitationibus solicitarent, ut a Cortesio homine improbo et perfidioso desciscerent, suamque et Jacobi Velasquis amicitiam et fidem sequerentur, et Carolo Caesari suum officium praestarent, cui perfidi et fallaces odio essent, et cujus auctoritate et mandatis Jacobus Velasques niteretur, a quo ipse cum manu militari, cui Cortesius minime par esse posset, missus esset, ut sublata Cortesii tyrannide, imperii ab eo parti procurator esset, ac reliqui belli administrator. Sed hi nuntii capti ab oppidanis cum epistolis Mexicum ad Cortesium missi sunt.

X. Interea Cortesius, cum nihil dum certi et explorati allatum essset, praeter id, quod clientes Mutezumae, de quibus diximus, pertulerant, Monachum, qui

sua castra sequebatur, ad praefectum classis cum litteris mittendum statuit; quarum litterarum haec fuit summa: „Delatum se in eas regiones cum manu militari, „ multa praelia secunda fecisse; multas civitates et prin„cipatus in suam potestatem et Caroli Caesaris ditio„nem redegisse; auri et argenti ad eumdem Carolum „ mittendi vim magnam et gemmarum vestiumque ma„gnum numerum congessisse, et penes se ad Mexicum „ habere, urbem amplissimam et maximi Regni caput, „ quam occupasset, et Mutezumam ejus ac earum mun„di partium potentissimum Regem cepisse, tenereque „ in sua potestate: ac de his omnibus Carolum certio„rem fecisse. Proinde a classis illiusque manus praefe„cto petere, ut qui homines, et unde advecti sint, „ exponat; si ex subjectis Caroli Caesaris imperio, num „ ab eo missi venerint, et cujus causa; ut, siqua re „ indigeant, ab ipso subleventur; sin externi in alienas „ et in Caroli Hispaniarum Regis ditionem redactas pro„vincias venerint hostili animo, protinus facessant; nisi „ velint suas Hispanorum et amicorum indigenarum vi„res et arma experiri."

XI. In eamdem fere sententiam magistratus Veraecrucis, qui ad Mexicum aderant, epistolam alteram conscripserunt, et utraque cum mandatis accepta, Monachus properare jussus proficiscitur. Ceterum quinto die a Monachi discessu Hispani viginti ex Veraecrucis oppidanis Cortesio praesto fuerunt cum tribus aliis Hispanis, quorum, ut ante dixi, unus erat Sacerdos, qui a Pamphilo cum litteris ad notos et amicos mandatisque Veramcrucem solicitandi gratia missi fuerant, et ab oppida-

Digitized by Google

danis comprehensi. Ex his Cortesius exploratius cuncta cognovit, ut classe advecta manus equitum esset octoginta, peditum octingentorum, et ex his scloppetarios esse octoginta, sagittarios viginti; praeterea aeneorum tormentorum magnum numerum convectum, et his omnibus Pamphilum Narvaëzium praefectum esse, a Jacobo Velasque missum, ut Cortesium opprimeret; ejusque socios, nisi dicto audientes essent, conciderct. Quibus rebus cognitis, Cortesius epistolam ad Pamphilum in hanc sententiam scribit: „ Ex Sacerdote, cui has ad te litte-„ ras dedi, ejusque sociis, manum istam militarem clas-„ se in has oras advectam Hispanorum esse libenter „ cognovi: nam propter retentos meos nuntios, ne gen-„ tis esset externae, metueram, quae Hispanis vellet ne-„ gotium facessere, et pios nostros conatus impedire. „ Id quoque pro vetere nostra conjunctione pergratum „ fuit intelligere, te istius cohortis esse praefectum. „ Miror tamen, quid causae fuerit, cur ad me nullas „ litteras dares, amicum primum, deinde reipublicae „ regiisque rationibus in hac longinqua mundi plaga „ non inutiliter servientem, quibus me de tuo adventu „ et veniendi causa certiorem faceres. Sed mitto littera-„ rum officium, quod praetermitti poterat aliqua fortas-„ sis oblivione; illud queror, quod habet apertam et „ voluntariam contumeliam, te in Veramcrucem, oppi-„ dum a me Hispanorum perfugio et praesidio contra „ vim Barbarorum conditum, misisse ex tuis diversos „ cum epistolis et mandatis, qui meos amicos et so-„ cios, quibus oppidum custodiendum et muniendum „ mandaveram, ad defectionem solicitarent: Barbaros in-

„digenas a me pacatos in me concitarent ; qui ad
„has regiones Caroli Regis nostri auspiciis res multas
„feliciter gessi ; multas urbes atque provincias imperio
„ejus adjeci ; et in his Mexicum maximi Regni caput
„et arcem. Neque vero solum regiam hanc urbem;
„sed Regem etiam potentissimum cepi , habeoque in
„mea potestate, cum auri et argenti vi maxima gem-
„marumque et pretiosarum vestium magno numero,
„quorum bonam partem Carolo Caesari mittendam se-
„posui , et cuncta in aedibus, quas arci similes Hispa-
„ni cohabitamus , diligenter custodiuntur ; unde si dis-
„cedere coactus fuero , periculum est, ne coeptus ma-
„gni magnique progressus ad nihilum recidant, et Rege
„asserto , maxima urbs et opulentissima cum ingente
„gaza , maximumque Regnum amittatur. Quo te ma-
„gis precor , ut injustis et inutilibus conatibus absti-
„neas , qui si Caroli Caesaris voluntate cum imperio
„missus es , tuum fuerit non seditiose agere, sed apud
„Veraecrucis Magistratus Senatumque, et nos, qui hanc
„orbis partem imperio Caroli Caesaris multo labore et
„sanguine partam adjecimus, de Regis voluntate man-
„datisque docere, ut communicatis consiliis, quod opti-
„mum factu sit, constituamus. Mihi enim bellorum-
„que sociis certum est a Regis nostri voluntate non
„discedere , quatenus quidem reipublicae et communis
„salutis ratio , ejusdemque Regis dignitas et imperium
„postulare videatur.“

XII. Quo die Sacerdos cum hac epistola profectus est, eodem oppidanorum Veraecrucis litteris certior factus est Cortesius, Barbaros omnes ejus orae maritimae ad

ad Pamphilum defecisse, tempori scilicet servientes, et illius oratione pollicitisque permotos, qui se vindicem eorum libertatis adesse praedicaret; in primisque Cempoallanos, qui suam urbem, Veraecruci vicinam, ad Pamphilum et cohortem recipiendum compararent; se vero oppidum, quod tueri non possent, deserere statuisse, et in montes ad amicum Regulum confugere, ut tutiore loco Cortesii litteras, et quid eos facere vellet, exspectarent. His nuntiis commotus Cortesius, quomodo tantis malis occurreret cum animo suo deliberans, omnibus consiliis praeferendum putavit, ut ipse in oram maritimam proficisceretur, ut simul sua praesentia Barbaros in officio contineret, simul ex propinquo per nuntios et litteras, aut etiam per colloquium cum Pamphilo de rebus communibus transigeret, siqua ratio iniri posset vitandi civiles contentiones et communi saluti consulendi. Hoc igitur probato consilio, Mutezumam alloquitur, sibi esse in animo in oram maritimam ad eos, qui classe advecti essent, proficisci, quos praedones et scelestos homines esse suspicaretur, ut eos ab injuriis et maleficio prohiberet: rogare, ut in fide Caroli Caesaris suaque amicitia persisteret; Hispanos, quos ad urbem et arcem relinqueret, commendatos haberet, et rebus omnibus juvaret; vicissimque officii tempore necessario Carolo sibique praestiti digna praemia a Carolo eodem exspectaret. Mutezuma liberaliter pollicetur, nec solum ad Mexicanum praesidium suam voluntatem et liberalitatem defert, sed etiam ad oram maritimam, siquid opus fuerit, subsidia magna bello gerendo promittit, simulque ex suis viros magnae auctori-

ritatis attribuit, qui Cortesium per suos fines deducerent, et omnia necessaria ei comitatuique suggererent.

XIII. Cortesius autem Petrum Alvaradum cum reliqua manu, quae ad Mexicum aderat, praesidio relinquit, qui arcem aqua et commeatibus bene instructam, Regemque Mutezumam custodiret; ipse cum Hispanis septuaginta proficiscitur. Ad Chololłam progressus, Joannem Velascum obvium habuit cum centum quinquaginta Hispanorum manu, quos ad Guazacalcum portum urbis condendae causa missos fuisse supra demonstravimus. Horum paucis afflictae valetudinis Mexicum ire, et reliquis se sequi jussis, pergit ire. Tridui viam progresso Monachus, quem cum litteris ad Pamphilum miserat, fit obvius, epistolamque a Pamphilo reddit, cujus erat summa: „Venisse se auctoritate regia missum, ut eam provinciam loco et nomine Jacobi Velasquis obtineret: proinde jubere, ut ad se quam primum veniret, uti provinciam traderet, et voluntati Regisque jussis obtemperaret; urbem a se designatam esse, Magistratus item et Senatores creatos, ut omnia publico consilio administrarentur." Ex eodem Monacho Cortesius de Barbarorum defectione certiora cognovit, utque Mutezuma per suum praesidem, qui orae maritimae praeerat, cum Pamphilo datis et acceptis muneribus foedus et amicitiam inivisset. Illud praeterea Monachus renuntiavit, Pamphilum, cum ipse et Barbari comites adessent, equitatus peditatusque copias ostentandi gratia in aciem eduxisse, et multis aeneis tormentis, bombos tum a terra, tum a navibus edidisse. Postremo Monachum inflatis verbis

ita

ita compellasse : „ Quomodo vestra tantilla manus , si ; „ temere imperium nostrum recusaverit , poterit has co- „ pias et hunc belli apparatum sustinere?“

XIV. Ceterum Cortesius , nihil nec difficultatibus nec minacibus denuntiationibus retardatus , ire pergit. Jamque a Cempoalla , quam Pamphilus copiis omnibus occupaverat , via non amplius bidui aberat , cum Sacerdos , cui litteras ad Pamphilum dederat , obvius fuit cum altero Sacerdote et Andrea Durio , qui a Pamphilo legati haec mandata retulerunt : „ Pergeret Cortesius „ ad se Pamphilum ire , et ex voluntate Regis Provin- „ ciam sibi ut duci et praesidi traderet , eaque dece- „ dens , domum rediret : quae si facere animum indu- „ ceret , naves se illi et commeatus omniaque necessaria „ suggesturum , quo libere cum amicis et suis rebus o- „ mnibus domum rediret ; sin autem jussa facere recu- „ saret , se illum loco hostis habiturum , belloque per- „ secuturum inductis copiis , quibus par esse non pos- „ set , prasertim ad suam Hispanorum manum Barbaro- „ rum , cum quibus foedus fecisset , auxiliis adjunctis.“ Adjecerunt etiam Sacerdotes , eas pacis conditiones Jacobum Velasquem dixisse , deque eis sibi utrique cum Pamphilo mandasse. Ad ea Cortesius pauca respondit, seque negavit Provinciam , quam ipse multis suis laboribus et periculis in Regis Hispaniae ditionem redegisset , cuiquam injussu Regis ejusdem , et diplomate litterisve non prospectis , traditurum. Postremo tamen ei cum legatis convenit , ut Cortesius et Pamphilus colloquerentur , denosque ad colloquium adducerent. Huic convento in scriptum redacto Cortesius subscripsit , et item

item Pamphilus, cum ad eum fuisset perlatum. Ceterum Pamphilus, ut est in Cortesii *commentariis*, non agebat bona fide, qui duobus suorum promtissimis negotium dederat, ut cum esset in locum colloquii perventum, Cortesium adorirentur, consertoque inter omnes praelio, hunc unum peterent, et concidendum curarent; nec enim dubitabat, quin Cortesio de medio sublato, res esset in expedito. Qua fraude per indicem cognita, Cortesius de colloquio recusavit per litteras ad Pamphilum et interpretes colloquii missas, quibus eis dolum et perfidiam exprobrabat, simulque denuntiabat, ut se de voluntate Regis, siquid in mandatis accepisset, edoceret; interea nihil conaretur, nec se ad ea loca pro duce aut praefecto gereret, gravi poena constituta et ipsi et ceteris convectis Hispanis, nisi imperatis ac denuntiatis paruissent, praestituto etiam die, quo sibi eos praesto esse juberet, ut quid fieri vellet, praesentibus imperaret.

XV. Desperata igitur pacificatione in tanta rerum iniquitate, audaci consilio rem fortunae praeliique discrimini committere constituit, hoc scilicet confidentius, quod templi, in quo Pamphilus totaque cohors ad Cempoallam diversabatur, partes omnes et turres atque recessus ipse ipsiusque milites cognitos et exploratos habebant, et quem sibi locum Pamphilus delegisset, non ignorabant. Ut autem res jure et judiciali ordine geri videretur, Gonzalum Sandovalem virum strenuum, qui praetoris erat administer, cum militibus octoginta antecedere jubet, et quid fieri vellet, ostendit; ipse, ut auxilio esset, cum centum septuaginta brevissimo inter-

ter-

tervallo subsequitur : de cujus adventu Pamphilus cum Barbarorum indicio, quo die Cortesius Cempoallam pervenit, cognovisset, cum equitibus octoginta et peditibus quingentis obviam ei proficiscitur, eoque processit, unde Cortesius aberat passuum ad quatuor millia ; sed cum nihil hostile reperisset, deceptum se ratus falso Barbarorum indicio, Cempoallam revertit.

XVI. Cortesius prima insequentis noctis vigilia silentio movet, speculatoribus antecedentibus, qui cum in duos Pamphili exploratores incidissent, uno fuga elapso, alterum ceperunt, ex quo Cortesius de rebus omnibus, quae ad conficiendum negotium pertinebant, certiora et exploratiora cognovit. Ergo ne a praecurrente speculatore adversarii certiores facti sese ad pugnam et obsistendum compararent, quam maxima potuit celeritate usus, Cempoallam media circiter nocte pervenit, et templum, id est, Pamphili castra, improvisus intravit, quamquam explorator horae dimidiatae spatio ipsum anteverterat, et jam omnes sese pugnae comparabant. Quamquam igitur turris aditus, qua se Pamphilus cum hominibus quinquaginta continebat, decem et novem tormentis aeneis erat munitus, tamen Sandovalis cum sua manu, nullo accepto detrimento, turrim conscendit, et Cortesio, qui turris portulam obsidebat, ceteros, qui subsidio veniebant, repellente, Pamphilum et praesidium oppugnabat, et eum comprehendere nitebatur : sed illi propugnantes, intra conclave sese continebant, donec injecto igne et fumo, exire, seque Sandovali dedere coacti sunt : ita spatio unius horae Pamphilus cum primoribus amicorum, eruto etiam inter

X pu-

Digitized by Google

pugnam oculo, in Cortesii potestatem pervenit sine ulla utriusque partis jactura, praeterquam duorum hominum, qui telo bombardulae perierunt, et ceteri omnes non inviti in Cortesii fidem sese permiserunt.

XVII. Interea Mexicani, conspiratione facta, Hispanos, quos cum Petro Alvarado ad urbem praesidio relictos fuisse demonstravi, magno impetu oppugnare coeperunt. Conspirandi causa fuit intolerabilis injuria in primos civitatis per summam temeritatem et avaritiam ab Hispanis ipsis illata. Nam paulo post Cortesii discessum dies incidit, quem civitas festum anniversarium agere magna cum gratulatione solebat. Hunc Mexicani cum more majorum celebrare vellent (hoc enim officium praetermittere nefas esse putabant) a Petro Alvarado, ut id voluntate ipsius eis facere liceret, poposcerunt; quo impetrato, proceres in templum maximum frequentissimi convenerunt, ac ludis magnoque tympanorum strepitu et tubarum tibiarumque cantu noctem transegerunt. Postremo ornatu pretiosissimo, auro, argento, margaritisque fulgentes, in numerosam saltationem convertuntur. Quo tempore Petrus Alvaradus et nonnulli alii ex nostris in templum spectandi gratia cum processissent, nefaria cupiditate subeunte animos, ludentes spoliare constituunt: itaque Hispanis nonnullis templi januas, ne quis effugeret, obsidere jussis, Alvaradus ipse cum ceteris Barbaros nihil tale suspicantes inter saltationem invadit; et multis interfectis, qui properantes renirendo morabantur, rebus omnibus, quibus avari animi solicitantur, spoliaverunt, et urbem luctu et planctu repleverunt. Tantusque moeror et indignatio civium

vium animos invasit, ut tali servituti et indignitati mortem etiam praeferendam putarent: itaque conspirantibus animis ad arma concurrunt, magnoque impetu Hispanos atque aedes, in quibus castra habebant, oppugnare incipiunt; commeatibus prohibent, quatuor caravelas, de quibus demonstratum est, ne qua navigandi per paludem occasio esset, incendunt; cuniculos agunt, ignem injiciunt, et modis omnibus nocere conantur, diuque sine praelio diem nullum intermittunt, missilibus telis saxisque rem pertinaciter continenterque gerentes, dum fessis pro nimia multitudine integri succederent; donec Mutezuma, hortantibus Hispanis, ex coenaculo sese ostendit, suisque, ut pugna desisterent, si se salvum vellent, denuntiavit imperavitque; sed cum praelio abstinerent, obsidionem tamen urgere non desistebant, nec quemquam arce pedem efferre patiebantur.

XVIII. Capto Pamphilo, Cortesius Petro Alvarado sociisque Mexicum de rebus a se gestis per Hispanum militem nuntiavit; quo propere remisso, ipse quoque de motu Mexicanorum suorumque periculo cognovit. Hoc nuntio commotus Cortesius, omnibus consiliis praeferendum putavit, ut Mexicum auxilio suis properaret: sed quoniam majorem copiarum partem, tum aliarum rerum, tum commeatuum causa, qui jam peranguste ad Cempoallam suppetebant, a se dimiserat, ad praefectos earum nuntios et litteras mittit, ut primo quoque tempore, qua cuique proximum esset, Tascalam, quo ipse proficisceretur, convenirent. Quod cum esset diligenter administratum, et ipse cum equitatu et reliquis Tascalam pervenisset, copiarum habito censu, re-

perit Hispanos pedites quingentos et equites septuaginta, cum quibus Mexicum magnis itineribus ire pergit, nemine ex Mutezumae clientibus obviam, ut facere solebant, prodeunte, donec Tescuquum ventum est, oppidum ad paludem situm, ubi de suorum salute laetissimus cognovit : sed ut certiora cognosceret, unum ex suis per paludem Mexicum mittere paranti Hispanus alter cymba advectus praesto fuit, a Petro Alvarado missus, qui de rebus omnibus certiora et exploratiora nuntiavit. Adfuit etiam simul Mutezumae legatus, qui Mexicani motus culpam omnem in vulgus concitatum conferret, nihil se auctore factum esse, ac ne sciente quidem, qui furentibus etiam, quantum licuerit, obstitisset : pergeret porro Mexicum ire, se et civitatem in Cortesii et Hispanorum potestate fore.

XIX. Meliore igitur spe concepta Cortesius movet, et agmine composito, Mexicum eo die, qui Joannis Baptistae festus agitur, intrat, nemine obsistente aut iter remorante, et cum magna laetitia et gratulatione excipitur a suis, recepta scilicet spe salutis, quam penitus amiserant. Ad templum igitur maximum, quod arci erat paene contiguum, nova manus cum divertisset, quod reliquum fuit ejus diei et noctem proximam magna omnes cum laetitia traduxerunt, nihil jam hostile metuentes : nam civitatem praesidii supplemento penitus esse pacatam existimabant. Itaque postridie Cortesius Hispanum tabellarium cum litteris Veramcrucem proficisci jubet, ut oppidanos de suo in Mexicum adventu certiores faceret, et pacata esse omnia nuntiaret; sed is tabellarius cum paulum a suis discessisset, furentium

tium Mexicanorum multitudini fit obviam, acceptisque vulneribus, in arcem recurrit, clamans, pontibus sublatis, omnem civitatem in armis esse, infestaque signa inferre denuntians; quae dum loquitur, infinita Barbarorum multitudo cum fremitu et horribili ululatu cunctis ex partibus in nostros impetum facit; et cum Barbari tum ex solo viarum, tum ex coenaculis arcubus fundisque rem gererent, tanta vis telorum in arcem emittebatur, ut lapidibus et sagittis pluere videretur; cumque Hispani, facta eruptione duabus partibus, fortiter propugnarent, parum tamen proficiebant, magna pertinacia oppidanis praeliantibus. Ita cum undique acriter oppugnaretur, multis vulneratis, quorum fuit ipse Cortesius, in arcem sese recipere coacti sunt; quae et ipsa cunctis ex partibus igne ac ferro oppugnabatur, quarum partium una injectus ignis magnum incendium fudit, et arcis bonam partem absumsit; cui malo non aliter occurri potuit, quam parietis partem demoliendo, qui sua ruina serpentem ignem exstinxit; et nisi opposita aenea tormenta et sagittarii scloppetariique frequentes obstitissent, ea parte Barbari in arcem irrupissent. Itaque ad noctem continenter propugnando, aegre is dies sustentatus est; et insequentis noctis bona pars curandis vulneribus (octoginta enim Hispani vulnus acceperant) et iis, quae ignis corruperat et patefecerat, reficiendis insomnis traducta.

XX. Postridie cum illuxisset, Barbari majore quam pridie ululatu majoreque impetu oppugnationem repetunt; in quos cum nostri tredecim tormentis, *falconetis* vocatis, tela paene continenter jactarent, nullumque te-

telum ob infinitam hostium multitudinem frustra caderet, et strenue rem nostris jaculatoribus, sagittariis sclopetariisque gerentibus, magna strages ederetur; protinus totidem in occisorum locum alii succedebant: quorum ut audaciam Cortesius nostrique minuerent, eruptione facta, magno impetu in Barbaros irruunt, eosque propellunt, donec ad pontes ventum est, quorum quosdam occupavere nostri, et domos aliquot incenderunt. Sed cum frequentissimi caderent, tamen prae multitudine nullus eorum desiderari videbatur; et cum illi per horas fessis integri succederent, Hispani propter paucitatem continenter depugnabant: itaque sub noctem de pugna fessi, in arcem sese receperunt, nullo tamen suorum desiderato, vulneratis circiter sexaginta. Sed quia nostri per vias praeliantes, superne maxime lapidibus ex fenestris et coenaculis vulnerabantur; tria bellica instrumenta, quae veteres *vineas* nominabant, fabricare instituunt, quibus tecti milites praeliarentur, et fabri parietes suffoderent ad coenacula, unde superne lacessebantur, demolienda. In quo opere fabricando nostri occupati, cum se intra arcem continerent, eam oppugnare Barbari non desistebant, ita ut aegre nostri sustentarent.

XXI. Tunc Mutezuma, qui adhuc cum filio et proceribus quibusdam in custodia tenebatur, admonitus a nostris, in coenaculum, unde in oppugnantes prospectus erat, se produci poscit, ut suos ab oppugnatione et seditione dehortaretur, ac desistere juberet: quo cum processisset, suos alloqui paranti vulnus capite infligitur, lapide a furentibus injecto, quo tertio post die

die mortem obivit, extraque arcem elatus est a duobus primariis civibus ex iis, qui arce cum ipso continebantur, ut de casu ipsius oppidanos docerent. Vineis fabricatis, vicenos jaculatores in singulas imponunt, fabros cum ferreis instrumentis adjungunt, quibus, et quatuor aeneis tormentis antecedentibus, multisque sagittariis et peltatis ambientibus, Tascalanorum tria millia, qui Cortesium ex ora maritima redeuntem secuti fuerant, et reliquae copiae subsequebantur. Ubi ad pontem destinatumque locum ventum est, vineas aedibus, ex quarum coenaculis lacessebantur, ut parietes suffoderentur, admoverunt, et scalas applicaverunt; sed tanta erat Barbarorum multitudo, qui pontem tuebantur, et missilibus telis depugnabant, tanta vis et magnitudo lapidum, qui ex coenaculis dejiciebatur, ut obsisti non posset, vineaeque disjicerentur. Itaque cum ad meridiem magna contentione depugnassent, uno Hispano desiderato, et multis vulneratis, re infecta, in arcem sese receperunt.

XXII. Hoc successu elati, magnisque spiritibus sumtis, Barbari templum occupaverunt, et turrim, quae arci imminebat, quingentis ex nobilitate armatis hominibus compleverunt. Ii crebros lapides jactare in nostros non desistebant, magnumque detrimentum inferebant. Hanc turrim Hispani iterum et tertio expugnare frustra tentarunt; erat enim altissima, in gradum supra centesimum exsurgens, et a custodibus magna vi lapidum et hastis simul acutissimo silice cuspidatis, acerrime defendebatur, quibus nostros arduo ascensu subeuntes repellebant ac praecipitabant. Hoc animadverso, Cortesius

sius nec dubitans arcem, nisi turri recepta custodibusque deturbatis, retineri non posse, ipse negotium suscipit, ac dispositis qui turris aditum obsiderent, et auxilio Barbaris venientes repellerent, ceteris se sequi jussis, ipse cum primis et promtioribus antecedit, scutum brachio alligatum praeferens, nam sinistra manu prima eruptione vulnus acceperat; tantoque animo acriter propugnantes invadunt, tantaque pertinacia oppugnationem urgent, ut eorum impetum Barbari sustinere non possent: itaque in summam turrim cum evasissent, magna edita strage defensores plerosque occiderunt, alios in circumjecta turri coenacula periculoso saltu sese dejicere coēgerunt, qui fortiter propugnantes, in tertiam horam certamen produxere; sed omnes tandem ad unum concisi sunt, nonnullis etiam in terram praecipitatis. Recepta turri, Cortesius, ne saepius esset talibus periculis occurrendum, eamdem ceterasque turres, quibus templum illud muniebatur, injecto igne demolitus est, aut certe sic labefactavit, ut ad praesidium recipiendum pugnandumque redderet inutiles.

XXIII. Insequentis noctis prima vigilia Cortesius erumpens cum Hispanorum parte, per viam, quam hostes obsidebant, procedit, hisque propulsis, domos supra ducentas incendit; tum per aliam revertens, magnum etiam domorum numerum igni corrupit; multaque coenacula arci proxima subruit, unde Barbari nostris magnum incommodum inferebant. His incommodis acceptis, Barbari animo deficere videbantur. Cortesius successu elatus, quod reliquum fuit noctis, vineas pridie disjectas reficere jubet, primaque luce, ut victoria

ria uteretur, per eamdem viam, qua nostri fuerant cum vineis ante diem tertium rejecti, copias inducit, nam ceteris interruptis, hanc unam viam integram Barbari usque ad continentem reliquerant, quamquam erat octo aqueis intervallis totidemque pontibus concisa. Hanc viam Barbari armatis hominibus compleverant, et per domos atque coenacula frequentes dextra laevaque cum lapidibus disposuerant, pontes transversos crudis lateribus lutoque inaedificaverant, quominus obsidentes ac propugnantes tormentorum telis, aut sagittis laederentur. Cum igitur undique nostri inferne ac superne lapidibus telisque et aliis lacesserentur, et Barbari acriter ac pertinaciter depugnarent, hi tamen nostrorum impetum ferre nequiverunt, nec obsistere, quominus nostri, ipsis rejectis, turres, domos, coenacula injecto igne dejicerent ac diruerent: itaque magna edita strage, quatuor pontes, dejectis custodibus, occuparunt, et aquea intervalla lateribus eisdem et luto ac lapidibus materiaque ex combustis domibus, ut ablatis etiam pontibus transiri posset, compleverunt, nec prius in arcem reversum est, quam pontes valido praesidio firmarent.

XXIV. Postridie mane Cortesius copias eodem reducit; et quamquam erat ingens Barbarorum multitudo, qui reliquos quatuor pontes inaedificatos, et, ut de aliis diximus, obstructos custodiebant; hos tamen magno impetu facto adorti, disjectis aggeribus et propugnaculis, fregerunt ac depulerunt, sic, ut pontibus omnibus receptis, expedita via ad continentem usque pateret. Dum his gerendis, et pontium intervallis complendis Cortesius est occupatus, Hispani, qui ad arcem

Digitized by Google

praesidio remanserant, ad eum mittunt, rediret in arcem, quo duces oppidanorum colloquium de pace postulantes convenissent. Propere igitur cum duobus dumtaxat equitibus reversus, cum ducibus colloquitur; quorum orationis exitus fuit: „Si oblitterata priorum malorum memoria, Cortesius errata oppidanis condonaret, eos a praelio et oppugnatione destituros, et civitatem in ejus potestatem fore." Qua conditione accepta, Cortesius liberaliter pollicetur, ascitoque Mexicanorum sacerdotum principe, qui ad arcem custodiebatur, per hunc foedus percutitur, et pacis conditiones firmantur; quod dolone factum fuerit, ut Cortesius a praelio abduceretur, et Hispani tantisper pugnam remitterent, dum necessaria comparantur; an id non civitatis, sed paucorum consilium fuerit, non satis constat. Vix tamen colloquio dimisso, Cortesius in arcem cibi sumendi causa secesserat, cum ei a suis nuntiatur, Barbaros, redintegrata pugna, quatuor pontes, quos eodem die amiserant, Hispanis nonnullis concisis, recepisse: quo nuntio vehementer ille commotus, qui jam sibi rem confectam existimaverat, conscenso equo, cum nonnullis equitibus advolat, et praelio redintegrato, pontes rursus, dejectis hostibus, recipit. Sed tanta erat hostium multitudo, qui tum a terra, tum ex naviculis telis lapidibusque praeliabantur, ut nostri obsistere non possent, nec impedire, quominus illi pontes rescinderent; sic, ut Cortesius cum equitibus ulterius progressus aegre potuerit in urbem reverti.

XXV. Itaque quatuor prioribus pontibus retentis praesidioque firmatis, spe amissa rei bene gerendae, sese in

in arcem receperunt, ut profectione et fuga comparata, priusquam concisa pluribus pontibus via exitus omnino intercluderetur, proxima nocte urbe discederent, quam retinendi in tanta infinitae hostium multitudinis conspiratione et pertinacia nulla jam nec spes, nec facultas erat, praesertim commeatu, qui fuerat in arcem congestus, jam paene consumto. Pons igitur ligneus properanter aedificatur, quem homines quadraginta comportarent; aurum et gemmae viritim Hispanis distribuuntur; quae pars fisco dicata fuerat, in equam imponitur, ejusque cura certis hominibus datur; et multa pretiosa veste aliisque rebus, quae deferri non potuerant, relictis, silentio proficiscuntur. Cum ventum est ad loca pontium, quos oppidani detraxerant, primum intervallum ponte deportato conjungunt transeuntque, nemine obsistente, aut iter remorante, nisi quod vigiles magno clamore suos ad arma vocabant; quibus clamoribus exciti Barbari frequentissimi advolant, et undique circumjecti nostros ex naviculis et ex terra, antequam ad secundum intervallum pervenirent, lacessebant. Cortesius cum equitibus quinque et centum peditibus cetera pontium intervalla natantes transmittunt, et ad continentem perveniunt, unde Cortesius, ceteris insistere jussis, ipse cum paucis ad suos revertitur, qui tantopere premebantur a Barbaris, ut auro, quod equa ferebatur, amisso, multi caderent tum ex auxiliaribus Tascalanis, tum etiam ex Hispanis. Collectis igitur qui stragi superfuerant, Cortesius ceteros antecedere jubet, ipse cum equitibus quatuor et peditibus Hispanis ad viginti cogit agmen, atque ita cum hostibus, qui a ter-

Digitized by Google

go et a lateribus ex aqua depugnabant, praeliantes, et subinde in eos infestis armis recurrentes, procedunt, donec in terram continentem egressi, Tlacopam urbem, quae in proximo erat, pervenerunt. Sed paulisper commorati, ab oppidanis metuentes, digrediuntur, et collem, qui non procul aberat, subeuntes, templum et turrim in eo sitam occuparunt, nec a pugna eo toto die cessatum est, Barbaris undique concurrentibus, et templum ac turrim oppugnantibus et obsidentibus, donec nox superveniens praelium diremit, et hostes discesserunt. Hic habito censu, ex Hispanis centum quinquaginta desiderati sunt, equi et equae quadraginta sex; ex auxiliaribus Tascalanis duo amplius millia, et cum his filius et filia Regis Mutezumae, et quidam viri principes, qui cum illo custodiebantur; nam hi quoque simul interfecti sunt cum Hispanis, a quibus vincti deducebantur.

XXVI. Ineunte tertia vigilia, nostri, qui omnem spem in celeritate ponebant, multis ignibus ad speciem relictis, silentio castra movent, viae atque locorum ignari; sed ducem itineris unum ex Tascalanis sequentes, qui se Tascalam eos recta, nisi fuissent interclusi, deducturum pollicebatur, quo sibi contendendum quasi ad fidum perfugium constituerant: sed non diu potuit latere discessus, erant enim in propinquo hostium exploratores, quorum clamoribus exciti Barbari, frequentes ex vicinis oppidis advolant, qui magno cum ululatu circumfusi, tela et lapides in agmen conjiciebant. Quod Cortesius ita composuit, ut integris circumjectis, saucios in medium collocaret, et equites opportunis lo-

cis

cis disponeret: sed tanta erat Barbarorum multitudo, quae agmen undique carpebat, atque iter morabatur, ut ea parte noctis totoque die aegre potuerint passuum duodecim millia conficere; sed nocte appetente, locum opportunum castris in colle cum turri conspicati nostri, huc sese receperunt, et Barbaris dilapsis, quieverunt. Tertio die in oppidum pervenerunt, quod ab oppidanis desertum offenderunt, ubi, quod ejus diei supererat, et posterus dies consumtus est, ut corpora curarent, seque et equos a labore ingente, gravique fame reficerent; quamquam nulla cibaria praeter mahizium suppetebant: quo frumento fame depulsa, ex eodem partim elixo, partim tosto, viaticum deportarunt. Proximum et sequentem diem non sine labore et periculo transegerunt. Hostes enim ex circumjectis oppidis concurrebant, et undique conjectis lapidibus agmen oppugnare non desistebant; quo die Cortesius capite duo vulnera accepit, quatuor praeterea vel quinque Hispani sunt vulnerati, et unus equus interfectus cum magno nostrorum dolore, qui maximam spem in equis positam habebant; sed eam molestiam nonnihil carnium esu molliverunt, quas in extrema fame, quam mahizio dumtaxat, eoque parce suppetente, herbisque dies aliquot sustentaverant, ita cupide devorarunt, ut ne corio quidem parcerent.

XXVII. Nec enim solum paucitate nostri, sed multis etiam incommodis premebantur, fame, labore et lassitudine, quam lassitudinem plurimum augebat sauciorum cura, quos partim equites pone impositos, partim Barbari Tascalani, vel amici Hispani dorso deportabant: ita-

itaque onus insuetum et equos et homines inutiles ad pugnam defatigatione reddebat. Cui malo Cortesius ut mederetur, sequente nocte fulcimenta lignea aptari jussit, quibus saucii nitentes paulatim incederent: quae res magno usui fuit in posterum diem, qui dies fuit omnium gravissimus. Nam cum inde moventes passuum ad sex millia e regione Tacubae urbis paludi impositae processissent, ingens hostium multitudo, quae campos undique complebat, sese ostendit, qui conserto praelio stataria pugna nostris immisti se ita gerebant, ut hunc diem Hispani sibi postremum advenisse existimarent; nec ideo tamen animo defecerunt, sed ut in extrema spe salutis viri fortes solent, praesertim Hispani, quorum animi maximis in periculis augescunt, ipsam naturam studio conatuque vincebant. Itaque multos hostium ex promtissimis et primariis occiderunt, Barbaris nihilo magis pugnam remittentibus, quorum cum multi caderent, nemo tamen prae multitudine desiderari videbatur, donec unus, ad quem imperii summa delata fuerat, occubuit. Hoc enim cadente, more scilicet patrio a pugna destiterunt, et ita nostri ope divina servati sunt. Constat enim, tantis periculis nec hominis consilio, nec viribus humanis a tanta et tam male accepta paucitate obsisti potuisse. Tandem octavo die, quam a Mexico discesserant, Gaulipanam Tascalanae ditionis oppidum ad sextum Idus Julii pervenerunt.

XXVIII. In hoc oppido primum nostri sese colligunt confirmantque, et fatigata multis incommodis, vulneribusque confecta corpora reficere coeperunt, egregia oppidanorum voluntate utentes, quamquam cibariorum

pars

pars non nisi auri permutatione contingebat. Huc ex Tascala principes civitatis ad Cortesium consolandi pollicendique gratia publice convenerunt, et triduo requietis causa interjecto, in urbem agmen deduxerunt. Hic liberaliter et indulgenter habiti, vires et animum ex laboribus, vulneribus et rerum desperatione Hispani magis receperunt; sed ita ut eorum bona pars Cortesium a bello dehortarentur, et sese in Veramcrucem, ne forte Barbarorum conspiratione circumventi perirent, recipere censerent, donec auxilia a pacatis insulis accerserentur: quorum consilium Cortesius, ut ignavum simul et periculosum gravioribus verbis accusavit. Itaque coacta concione, hujusmodi orationem habuit.

XXIX. „Multis in locis magnisque periculis vestram, commilitones, virtutem atque constantiam laetissimus perspexeram, vosque magna semper, sed maxime cum honestate gloriam spectare libenter animadverteram: quibus sic animatis praeclaras saepe victorias fueram gratulatus, cum magnis exercitibus parva manu fusis, secundissima praelia cum admiratione omnium fecissetis. Nunc meum animum magnus quidam moeror occupavit considerantis, quorumdam vestrum mentes adeo in diversum esse mutatas, ut per summam inconstantiam et caecitatem ea statuere videantur, quae nec viros fortes decent, et sunt non modo dedecoris, sed etiam periculi plenissima, ad turpem et perniciosam fugam spectantes. Quid enim aliud est, maximis et pulcherrimis coeptis desistentes, in maritimas latebras et novae coloniae munitiones sese recipere, quam magna professos atque conatos,

„re

„ re infecta, turpiter non solum, sed etiam periculose
„ profugere? Neque vero ignoro fugere non semper esse
„ turpe, nonnumquam etiam laudari, ut siquis neces-
„ sitate coactus, instanti certoque periculo se suosque
„ subtrahat, et commodiori tempori reservet; ita po-
„ scente reipublicae ratione: at timore perterritos, nul-
„ laque tali necessitate adhortante, temere se fugae man-
„ dare, semper habitum est turpissimum, nonnullisque
„ etiam perniciem attulit. Discessimus nos ipsi nuper
„ Mexico raptim et properanter, ita ut profectio illa fu-
„ gae similis fuisse videatur: sed in illius periculi et qua-
„ si tempestatis recordatione illud nobis esse debet ma-
„ gnopere solatio, quod discessus et receptus ille nihil
„ habuit turpitudinis, nihil quod jure nobis objici queat,
„ si aequos judices sortiamur. Cessimus enim tempori
„ ac necessitati, cui nemo sanus obsistere solet, nemo
„ sine sua pernicie repugnavit, cum frumentatione et
„ pabulatione premeremur. Cessimus hostium infinitae
„ multitudini suo loco ex aqua et terra locisque su-
„ perioribus pertinaciter acriterque depugnantium; qui-
„ bus propter nostram paucitatem iniquitatemque loci
„ pares esse non poteramus; sed ita cessimus, ut in illa
„ rerum iniquitate, cum discedentes, totoque itinere un-
„ dique lacesseremur, nihil tamen commisimus, quod
„ nobis Hispanoque nomine indignum esse videretur.
„ Itaque multis laboribus exhaustis, magnisque pericu-
„ lis strenue functi, paucis nostrorum amissis, in Ta-
„ scalanorum amicam regionem pervenimus, a quibus
„ amicissime excepti sumus, omnibusque rebus liberali-
„ ter sublevati, sic ut non solum praesentibus nostris

„ ma-

„ malis mederentur, sed optima etiam spe animos nostros, nisi prorsus vecordes sumus, recrearunt, omnes „ suas vires et facultates ad ulciscendos et debellandos „ communes hostes deferentes. Ergone, qui in foeda „ tempestate, dum jactaremur, fortem animum praestitimus, in portu tranquillo trepidabimus; ac opulentae et amicissimae civitatis studium divinitus injectum, „ et redeuntis aspirantisque fortunae favorem ingrate per „ summam vecordiam aspernabimur? Et Christi Dei „ manifestae voluntati refragabimur; quem Ecclesiae „ suae, cujus in has ultimas terras longinquamque Barbariam, ubi daemonia pro Deo coluntur, dilatandae „ nos administros esse voluit, his non ita multum occultis rationibus prospicere fas est existimare? Nam „ quod Mexico mirabili quadam et incredibili ratione „ initio potiti sumus, et postea oppidanorum conspiratione et armis Mexico dejecti, et magnis laboribus „ et periculis jactati, rursusque tot malis divinitus erepti; eodem mihi pertinere videtur, ne partis victoriis insolenter efferamur, neve nostrae virtuti magnopere tribuamus, sed opi divinae cuncta accepta feramus; eaque freti, dum nostrum officium Christianis „ Principibus Christique Vicario praestamus, vim omnem „ barbaricam contemnamus, cujus divinae molitionis ac „ voluntatis clara documenta cum multis in rebus aliis „ animadvertere licet, tum maxime et apertissime in „ Tascalanorum egregia in nos fide et propensa voluntate, qui non solum praesentem nostram rerum omnium inopiam durissimo nostro tempore sublevarunt, „ sed omnem suam opem detulerunt deferuntque, ut

„ dixi, ad injurias persequendas, et Mexicanos in di-
„ tionem redigendos; quam occasionem dimittere, non
„ solum esset extremae tum dementiae, tum etiam igna-
„ viae, nobisque perniciosum, sed impium etiam atque
„ nefarium. Quod cum ita sit, quidam tamen vestrum,
„ ut video, eo caecitatis processerunt, ut manere opor-
„ teat, an nos in coloniam recipere, deliberandum pu-
„ tent, quasi res consilii sit, nec illud necessarium, si
„ salvi esse volumus, ut Tascalanorum societate, ope
„ auxiliisque utentes, bellum in Mexicanos renovemus.
„ Anno superiore, cum ab ora maritima profecti viam
„ Mexicum haberemus, rerum a nobis gestarum et se-
„ cundorum praeliorum fama freti, non dubitabamus in-
„ teriora Barbarorum regna penetrare, et tam pauci nu-
„ mero nullam Barbarorum multitudinem extimesceba-
„ mus: itaque Tascalanos, magnam et bellicosam civi-
„ tatem, qui sese primi in itinere nobis objecerunt,
„ uno dumtaxat praelio secundo facto, non tam armis,
„ quam bellicae virtutis opinione debellavimus. Erat e-
„ nim iis persuasum, Hispanos non solum invicti robo-
„ ris esse, sed proxime etiam accedere ad deorum im-
„ mortalitatem: quo factum est, ut non modo in di-
„ tionem et clientelam Regis nostri haud gravate veni-
„ rent, sed etiam cupide nostram amicitiam et societa-
„ tem ambirent, eo praesidio ab injuriis et maleficio
„ suorum hostium, praesertim Culuanorum, tutos fore
„ confidentes; nec dubitaverunt Mexicum ire pergentes
„ palam auxilio militari, et rebus omnibus juvare; et
„ nuper eadem causa ducti, ac eodem spectantes, nos
„ in calamitate tegendos et confirmandos esse putave-
„ runt,

„ runt , quo munitiores essent ad vim et bellum Me-
„ xicanorum , quos novis injuriis nostra causa lacessis-
„ sent , defendendum. Hos igitur Tascalanos , si tali
„ tempore et in hac rerum exspectatione ingrate ac ti-
„ mide turpi fuga desereremus, quo animo in nos fore
„ existimatis , aut quid eos facturos esse putatis? Ego
„ vero nihil dubito , quin despecta nostra tum paucita-
„ te , tum etiam ignavia , iraeque simul indulgentes,
„ ceteris Barbaris in societatem , quod facile esset , tali
„ vestro tempore ascitis , acriter in nos perterritos et
„ fugientes impetum facerent , ut simul ingratos ulcisce-
„ rentur , simul Mexicanorum iratos in se animos leni-
„ rent , quorum gratiam et amicitiam facile possent no-
„ bis deletis redimere : nam Mexicanos insperata de no-
„ bis victoria insolenter efferri , ac , ut fert natura , ma-
„ gnos spiritus sumsisse non ignorant : nec dubitare pos-
„ sunt , quin se illi , novis injuriis lacessiti , bello sint a-
„ criter persecuturi , si eos viderint Hispanorum auxilio
„ destitutos. Resipiscite igitur, commilitones, animosque
„ recipite , et causam vestram fortunamque cognoscite ,
„ Nam Deus , qui vos in magnis periculis servavit , i-
„ dem ad rem optime gerendam non modo magnas et
„ insperatas facultates , sed etiam pie ac fortiter agendi
„ necessitatem imponit ; abjectoque omni timore et cun-
„ ctatione , non jam de turpi et pernicioso receptu , ac
„ potius fuga , sed de pio salutiferoque bello , atque ad-
„ itum ad ingentes opes , magna imperia magnamque
„ gloriam , aperiente cogitate. “

XXX. Hac audita oratione , mentes omnium ma-
gnopere conversae sunt , magnaque alacritas innata , et

Digitized by Google

belli gerendi cupido. Viribus igitur receptis, et animis confirmatis, bellum in Mexicanos sociosque et clientes renovare parant, Tascalanis suam voluntatem atque opes et auxilia iterum atque iterum liberaliter deferentibus, qui hostes ulcisci, et ipsorum sanguine fratribus et amicis nuper cum Hispanis ad Mexicum concisis parentare cupiebant. Sed primum omnium Tepeacanam invadere placet; haec enim civitas socia erat et amica Culuanorum, ex eaque Hispanos ex Veracruce Mexicum viam habentes, superioribus diebus interfectos esse constabat. Ergo viginti diebus ad Tascalam quietis et vulnerum causa consumtis, auxilia ex Tascala et Cholollo et Guaxiango, pacatis et amicis civitatibus, contrahuntur, quibus sibi Cortesius adjunctis, bello indicto more feciali, Tepeacanam, superbe Hispanorum imperium detrectantem, aggreditur, et hostes pertinaciter et acriter repugnantes, paucis tamen diebus, sine ulla Hispanorum jactura debellavit, eorumque multos ad exemplum futurae in pervicaces severitatis in servitutem abstraxit.

XXXI. Ad hujus belli et nostrorum victoriae successusque famam multa oppida Principesque legatos de pace et clientela ad Cortesium miserunt, quorum fuit is, qui Guacachullae imperitabat, quod oppidum est ad fauces montium, qua est aditus in provinciam Mexicanam. Ad has fauces obsidendas, et Hispanorum transitum, si hac transire conarentur, impediendum, armatorum Culuanorum, quod nomen Mexicanorum Regum clientibus est commune, triginta millia convenerant a Rege missa, qui vicinos agros populosque injuriis et ma-

maleficio vexare non desistebant. Horum praefecti ad Guacachullam, invito Principe, sed dolorem temporis causa dissimulante, diversabantur. Is Princeps legatos ad Cortesium mittit, qui eum de adventu et injuriis Culuanorum, quibus ipse obsistere non posset, docerent; se tamen, si cum exercitu Cortesius accederet, libenter suum officium praestiturum, nec rei bene gerendae occasionem defore, sublatis praefectis, qui oppido suo continerentur, quos circumvenire et concidere sibi non esset difficile, si exercitus adsit in propinquo, cujus praesidio, caede facta, tutus esse possit adversus Mexicanarum copiarum concursum et impetum, quae statim essent ad praefectorum ultionem advolaturae. Cortesius, audita legatione, collaudatoque Regulo, liberaliter pollicetur, nullaque interposita mora, praefecto Hispano tredecim equites et pedites nostrae gentis ducentos: praeterea triginta millia ex Barbaris auxiliaribus attribuit, et has copias cum legatis Guacachullam deducere jubet, et, consilio cum Regulo et legatis communicato, bellum administrare. Sed Guaxicingum, quae provincia finitima est Guacachullae, cum processissent, nescio quo indicio ad Hispanos delatum est, Guacachullanos et Guaxicinganos in Hispanorum malum cum Culuanis conspirasse, ut per fidem fictamque legationem abstracti nostri et circumventi, occiderentur. Quo nuntio commotus qui copias ducebat, legatos Guacachullanos et Guaxicinganorum Principes comprehendi jubet, et copiis ad Chulullam reductis, inde vinctos ad Cortesium mittit cum litteris, quibus eum de suspicione certiorem facit, et quid fieri velit, exquirit. Cortesius vinctos di-

li-

ligenter percunctatus, vanam fuiſſe ſuſpicionem ſibi perſuaſit; itaque ſolvi eos, et bono animo eſſe jubet, ſeque cum ipſis proficiſci, et per ſe bellum adminiſtrare velle dixit, ſtatimque profectus, Chulullam urbem, quae triginta paſſuum millia inde aberat, eodem die pervenit.

XXXII. Poſtridie Guaxicingum oppidum copias induxit, ibique re cum legatis Guacachullanis conſtituta, de quarta noctis inſequentis vigilia Guacachullam movet; jamque oppido circa meridiem, hoſtibus nec opinantibus, appropinquabat, quorum ſpeculatores undique fuerant a Guacachullanis intercepti, cum oppidani accedentis exercitus auxilio freti, impetum in Culuanos frequentiſſimi faciunt, multiſque conciſis et captis, domus, quas duces praefectique habitabant, obſident oppugnantque, acerrime illis propugnantibus, donec Hiſpani ſupervenientes irruperunt. Tunc vero praefecti omnes ab oppidanis interemti ſunt, fruſtra renitente Corteſio, qui ſervari eos malebat, ut de ſtatu Mexicanarum rerum ex ipſis cognoſceret. Ceterum noſtris oppidum intrantibus, Culuanorum, qui ad oppidum aderant, bona pars ſeſe fuga corripuit, et in caſtra Culuanorum, quae in propinquo et oppido imminente colle poſita erant, ſeſe recepit, a quibus illi facti certiores, advolant. Horum adventu cognito, Corteſius, ceteris ſe ſubſequi juſſis, eruptionem cum equitibus facit; qui magno impetu hoſtes adorti, non modo reprimunt, ſed fuſos fugienteſque et collem ſubeuntes inſectantur, quorum multi haſtis confoſſi ſunt, pars aeſtu et labore confecti, exanimes ceciderunt; complures auxiliarium

Bar-

Digitized by Google

Barbarorum, qui frequentiſſime convenerant, et viribus integris rem gerebant, armis perierunt. Itaque brevi temporis spatio hoſtiles copiae fuſae fugataeque, et bona ex parte deletae sunt, et castra direpta. Hac victoria laeti nostri, Guacachullam reverterunt, ibique triduum cum Reguli et oppidanorum egregia voluntate et liberalitate quieti dederunt.

XXXIII. Ex Guacachulla Corteſius, innumera Barbarorum amicorum armata multitudine aſſectante, Iſcuzanam progreditur, Mexicanae ditionis urbem, quae inde aberat duodecim circiter millia paſſuum. Hanc ab imbelli turba deſertam praeſidium ad sex millium armatorum obtinebat; sed hi quoque ne primum quidem nostrorum impetum ſustinentes, ſese fugae mandarunt, in qua fuga multi, nostris inſectantibus, perierunt, quidam capti, et in urbem retracti, quorum Corteſius duos ex primoribus dimiſſos et liberaliter habitos, ad ſuos proficiſci jubet, hortarique, ut cum liberis et uxoribus domum redirent, et perſancte ſuis verbis polliceri, id ſine ipſorum periculo damnoque futurum. Itaque brevi tempore oppidani fere ſuperſtites redierunt, praeter Regulum ipſum, qui, ut erat Regiae familiae Mutezumae propinquus, Mexicum ſese recepit. Huc quoque a principibus nonnullis et finitimis civitatibus legati ad Corteſium de pace miſſi, per quos obedienter ſeſe imperata facturos pollicerentur.

XXXIV. His ſucceſſibus confirmatus Corteſius, in ſpem Mexici recipiendi magis magiſque veniebat. Sed cum intelligeret propter circumjectam paludem id ſine navibus difficillimum fore, tredecim ſpeculatoria navigia,

gia, quae Liburnae quoque nominantur (noſtri *bergantinos* vocant) ad Taſcalam aedificanda mandavit, ut levigata et aptata materia poſſet a bajulis ad paludis oram comportari, ut ibi coagmentata navigia deducerentur. Praeterea in Hiſpaniolam inſulam conquiſitores cum quatuor navigiis et pecunia mittit, qui equos, catapultas, ſcloppeta, et cetera belli inſtrumenta, tormentariumque pulverem, et altera quatuor navigia coëmerent, et Hiſpanorum hominum delectum haberent. Quae omnia ut expeditius et majore cum auctoritate fierent, ad conventum illum ſcribit, et de rebus omnibus certiorem facit, et quanti communis ſalutis et Hiſpanae reipublicae ad imperium et dignitatem interſit ſibi hominum et armorum auxilia primo quoque tempore ſummitti, docet; petitque, ut ad rem conficiendam et expediendam, ſuam auctoritatem interponat. Quae omnia diligenter a Corteſii familiaribus et judicibus conventus ex ejus mandatis et litteris adminiſtrata fuerunt.

XXXV. Interea Corteſius Taſcalam reverſus, navigiorum opus urgebat, Taſcalanis, cum quibus conſilia communicaverat, officium liberaliſſime praeſtantibus. Rebus igitur conſtitutis, Corteſius Hiſpanorum cenſum habuit, repertique ſunt equites quadraginta, pedites quingenti quinquaginta, quorum erant jaculatores, ſagittarii, ſcloppetariique octoginta. His Taſcalani viginti ſuorum millia, quantum auxilii Corteſio in praeſens ſatis eſſe viſum eſt, addiderunt. Cum his copiis Corteſius profectus, per Tezmolucam, Huaxiocingium, et fauces montium, qua in Culuanos, id eſt, Mexicanos fines, tranſitus eſt, Tezcucum contendit, et quaternis caſtris pri-

Digitized by Google

pridie Kalendarum Januarii pervenit, qui fuit annus Christi nati millesimus quingentesimus vigesimus primus. Est autem Tezcucum Culuacanae regionis opulentissimum oppidum, paludi appositum, a Mexico viginti quatuor millium passuum intervallo, cui Quancacucinus imperitabat. Is accedenti Cortesio quatuor legatos de pace misit obviam, imperata sese obedienter facturum, et in oppidum agmen recepturum: tantum deprecari, ut Cortesius suos ab injuria et maleficio prohiberet.

XXXVI. Cortesius Quancacucinum et civitatem in deditionem sese certis conditionibus recipere dixit. Quibus acceptis, legati, ut Hispanis hospitia pararent, antecedunt; nostri, itinere non intermisso, circa meridiem in urbem pervenerunt, et ad amplissimas aedes, duploque majoris multitudinis capaces deducti, diverterunt. Interea Quancacucinus cumque eo primarii cives discessum comparant, ut Mexicum se suaque naviculis reciperent; quod cum esset a nostris jam vesperi ex locis superioribus et coenaculis animadversum, Cortesius discessum fugamque prohibere diligenter conatus est; tamen impedire non potuit, superveniente nocte, quin plerique partim ad naviculas cum Principe confugerent, partim se in montes circumjectasque silvas abderent. Neque vero solum Tezcucum, sed tria etiam ei paene contigua oppida Coautichanam, Guaxutam, et Autengum, nostris praetereuntibus, oppidani deseruerant. Horum tamen Principes die tertio ad Cortesium convenerunt, qui flentes et pacem orantes, sese in potestatem permiserunt, tantumque terrorem nostri Barbaris incussere, ut nulla manus fuerit, quae venientibus sese op-

ponere, vel ad Tezcucum, ubi stativa Cortesius habebat, lacessere animum induceret, et erat non procul magna Culuanorum armata multitudo.

XXXVII. Post diem septimum Cortesius, castris ad aedes, quas demonstravimus, diligenter munitis, ducentorum Hispanorum manum, quorum erant equites decem et octo, et jaculatores quadraginta cum auxiliariorum Barbarorum ad quatuor millibus, educit, et paludem obeundo Istapalapam contendit, decem millium domorum urbem, in ora intraque paludem, octo a Mexico, a Tezcuco viginti quatuor millium intervallo sitam, cui Mutezuma vivente Qualiutimocus frater imperitabat, a quo nostri Mexico dejecti fuerant, quique a popularibus in demortui Regis locum fuerat suffectus. Nostrorum adventus Istapalapani per speculatores certiores facti, partim per terram, partim naviculis per paludem in accedentes infestis signis ad passuum octo millia prodeunt, et undique conserto praelio nostros lacessebant; sed ita ut non stataria pugna dimicarent, sed pugnantes paulatim retrocederent; donec in urbem ventum est, in quam nostri hostibus commisti cum irrupissent, Barbari in domos intra paludem sitas se suaque recipiebant; sed nostri fugientes insectati, plus sex millium hominum stragem ediderunt, auxiliaribus Barbaris nulli sexui parcentibus nec aetati; sed hanc Istapalapani jacturam ea spe solabantur, fore, ut brevi omnis illa manus hostilis aquis interclusa opprimeretur. Nam duae paludes, dulcis et salsa, de quibus supra demonstratum est, trium circiter millium passuum intervallo distabant, inter se septo editiore disclusae, ne altera

in

Digitized by Google

in alteram delaberetur, quod septum Barbari tribus passuum ante Istapalapam millibus insidiose ad nuntium adventantium nostrorum interruperant; id factum, et aquam ex salsa in dulcem paludem defluentem, Cortesius transiens animadverterat, dolum tamen non intellexerat.

XXXVIII. Ceterum urbe capta, et bona parte direpta, jam obscura nocte nihil dum de discessu cogitanti interrupti septi subito et quasi divinitus in mentem venit, suspicioque doli atque periculi animum subivit. Itaque nulla interposita mora, receptui canere jubet, agmenque rapit, qui cum citato gradu sese recipere maturaret, tamen suspectam aquam tam alte rapideque fluentem offenderunt, ut ex aqua vix ab humeris et capite exstantes fluentum trajicere, seminantesque potuerint, nonnullis etiam Tascalanorum desideratis, et spoliis fere omnibus, quae reportabant, amissis; qui si ad Istapalapam pernoctavissent, vel tres amplius horas fuissent commorati, nemini dubium fuit, quin cunctis fuisset miserabiliter pereundum, obsidentibus aquis, exitumque pernegantibus. Certe ubi illuxit, libratas undique et continuatas utriusque paludis aquas constitisse, animadversum est, et in salsa frequentissime naviculae cum armatis hominibus conspectae, quae ut occasionem exspectatam perire non paterentur, convenerant.

XXXIX. His rebus gestis, Cortesius Tescucum, postridie quam exierat, in stativa copias incolumes reduxit, quo legationes frequentes confluebant, partim de pace et deditione a propinquis civitatibus, partim a novis clientibus auxilium postulatum adversus Mexica-

Aa 2 nos,

nos, qui missis exercitibus, a se deficientes mortales ulcisci conabantur. Quibus legationibus Cortesius benigne auditis, liberaliter pollicebatur, et laborantibus amicis tum per se, tum per Gonzalum Sandovalum praefectum subsidium ferebat, nec ullo loco officio deerat; rebusque feliciter cedentibus, totum eum tractum, qui a Veracruce ad Tescucum pertinet, quod maxime concupierat, pacatum quietumque reddidit, ut tuto Hispani possent ultro et citro commeare; nec desistebat oppida paludi circumjecta inductis copiis oppugnare, et modis omnibus male habere, ut Mexicanorum vires extenuaret, si posset eos terrore injecto sine armis, salvaque urbe, ad pristinas pacis conditiones, quod cunctis rationibus studebat, revocare.

XL. Ubi de navigiorum aptata materia Tescucum est nuntiatum, Cortesius Sandovalum cum equitibus quindecim et ducentis gentis nostrae peditibus Tascalam proficisci jubet, ut navigiorum materiam clavosque ferreos, qui fuerant a Veracruce ex afflictis navibus delati, deportantibus esset praesidio. Erat in itinere castellum in Tescuci finibus, cujus oppidani, quo tempore nostri a Mexicanis intra urbem obsidebantur, pedites Hispanos quadraginta quinque et quinque equites ex Veracruce Mexicum viam habentes interceperant. Nam cum illi ignari Mexicani tumultus et defectionis nihil hostile metuentes eo processissent, inciderunt in locum difficilem et impeditum, sic, ut equites ad pedes descendere praeoptarent. Itaque Barbari, qui locum obsederant, ex insidiis evolantes, securos et implicatos adorti, partim occiderunt, partim cepere vivos, et Tescucum

cum deduxere, ubi diis immolati miserabiliter perierunt; quarum rerum multa vestigia nostri superioribus diebus notaverant, cum Tescucum recepissent, dispersum et fanorum turribus illitum sanguinem, et equorum quinque pelles artificiose, pilis non detractis, et pendentibus ferratis soleis concinnatas, quae pelles erant in templo pro donariis appensae, in memoriam gloriosae victoriae de Hispanis partae.

XLI. Haec tristissima spectacula nostris calamitatum, quas ad Mexicum et Temistitanam et in fuga perpessi fuerant, memoriam refricuerunt; nec illud quidam nostrorum, qui Sandovalum sequebantur, sine magno dolore et miseratione legerant, quod ad vicum quemdam in dealbato pariete ab equite quodam nobili ex numero captorum carbone fuerat inscriptum: *Hic fuit in vinculis infelix Joannes Justus*. Id oppidum Cortesius Sandovalo, ut ex itinere hostiliter invaderet, et oppidanorum sanguine, interceptis et necatis Hispanis, parentaret, discedenti mandaverat; sed Barbari sceleris conscientia conterriti, nostris appropinquantibus, oppidum deseruerunt, seque fugae mandarunt, quos nostri maxime equites consectati, multos occiderunt. Praeterea puerorum et mulierum bonam partem ceperunt, et in servitutem abstraxerunt; qua ultione contentus Sandovalus, ceteros, qui fuga evaserant, edicto revocavit, et in pristinum statum restituit. Hinc iter unius diei progressus, in oppidum Tascalanae ditionis primum proximumque finibus Culuanis obviam fit navigiorum materiam deportantibus. Hi autem erant bajulorum octo millia sine praesidio et fabris.

Re-

Digitized by Google

XLII. Rebus igitur constitutis, postridie agmen, quod octo passuum millia in longitudinem patebat, compositum hoc ordine procedere pergit: a fronte Hispani pedites centum et equites octo antecedebant, cumque his et ex utroque latere Tascalanorum decem millia, quibus Teuteclatus, et Teutipillus ex principibus civitatis praeerant: a tergo totidem Hispani pedites equitesque agmen claudebant, et item altera decem Tascalanorum millia, quae latera quoque cingebant; quorum praefectus erat Chichimatletus, ipse quoque ex principibus civitatis: pro jumentis autem sarcinariis duo millia bajulorum erant, qui commeatus deportabant. Hoc igitur ordine tribus diebus processerunt; quarto autem longissimo perpetuoque agmine Tescucum intrantes, sex horas consumserunt. Navigiorum materia Tescucum, ut demonstratum est, comportata, cum Tascalani triduum quieti dedissent, Cortesius, his sibi adjunctis, in expeditionem proficisci constituit, et urbes paludi impositas Mexicanorumque clientes vexare, tum ut hostibus terrorem incuteret, tum ut ex captivis de Regis Mexicanorumque consilio certiora cognosceret. Ceteros igitur cum Gonzalo Sandovalo praefecto, qui castris navigiisque praesidio essent, et opus curarent urgerentque, ad Tescucum relinquens, ipse cum equitibus viginti quinque et Hispanis militibus trecentis, praeterea quinquaginta jaculatoribus et sex parvis tormentis proficiscens, Tascalanos se sequi jubet, quorum erat numerus triginta millium; consilium tamen cum nemine communicavit, ne per exploratores Mexicum perferretur. Vix dum passuum sexdecim millia processe-

se-

serant, cum hostium armatorum magnus numerus sese ostendit: sed in hos equites, cumque his Tascalanorum velocissimi procurrentes, eos in fugam conjecerunt, et fugientes insectati, bonam partem conciderunt. Tum expugnata Xaltoca, per Guaticlanam, Tenaicam, et Zapuzalam magna oppida paludi apposita, habitatorum inania, metuque deserta, Tacubam senis castris pervenerunt, passuum a Mexico octo millibus distantem. Hanc urbem oppidani cum tueri statuissent, multis disjunctis fossis, quominus equites libere discurrerent, munierant, accedentesque nostros in armis exspectabant, nec tamen ipsorum impetum sustinere valuerunt: itaque multis suorum desideratis, urbe cedere coacti sunt, in quam nostri jam die in noctem praecipite successerunt. Cumque ea nocte sine injuria et maleficio quievissent, ubi dies illuxit, Tascalani non invito Cortesio urbem diripere ac populari urereque coeperunt, tam late fuso incendio, ut vix unis aedibus parceretur, in quibus Hispani castra posuerant, totius agminis capacibus. Populandi causa fuit, ut ea civitas princeps poenas persolveret, quae Hispanos et Tascalanos, cum Mexico dejecti e regione Tacubae praetergrederentur, maxime vexaverat.

XLIII. Ceterum Tacubani post fugam, magno Mexicanorum adscito numero, pugnandi et ulciscendi gratia reverterunt, et prope Tacubam consederunt, unde nostros parvis praeliis lacessebant, et frequenter cum Tascalanis viritim aut parvo numero pro veteribus simultatibus decertabant. Cum hostes trans pontem, qua via palustris interscissa committebatur, eo sublato consti-

stitissent, Cortesius, suis quiescere jussis, appropinquat, manuque significat; tum utrinque facto silentio, hostes hortatur, uti resipiscant aliquando, suaeque saluti consulant, neve committant, ut sua temeritate pereant, et se colloqui velle dixit: proinde si quis vir Princeps adesset, ad colloquium vocaretur. Ad ea responsum est a Barbara turba: loqueretur; nam eos omnes, qui aderant, viros esse Principes. Cumque, tacente Cortesio, se contemni interpretarentur, magna ipsum verborum contumelia telisque lacessere pergunt. Sex diebus ad Tacubam moratus Cortesius, quorum nullus sine praelio tumultuario transivit, cum nullam de pace legationem a Mexicanis mitti animadverteret, agmen Tescucum reducit, hostibus, qui ex palustribus oppidis excurrebant, agmen subinde carpentibus, atque iter demorantibus, et molestiam, magis quam detrimentum exhibentibus, nec id tamen impune, ab equitibus enim nonnumquam recurrentibus cum non parva sua jactura rejiciebantur: itaque incolumes nostri Tescucum reducti sunt, et a sociis cum magna omnium gratulatione recepti, unde Tascalani collaudati a Cortesio, acceptaque missione, laeti cum hostium spoliis domum reverterunt.

XLIV. Interea Mexicanorum Rex Quatimocus, iniquo animo ferens Chialcenses, Guaxocinganos, Guachachiulanos, suos clientes, ad Hispanos defecisse, magnum exercitum, qui eas civitates bello vexaret, mittit. Quo nuntio perlato, illi cum se ad bellum defendendum comparassent, legatos ad Cortesium Hispanorum subsidium oratum mittunt. Cortesius Gonsalo Sandovalo trecentos nostrae gentis milites et viginti equites

ets attribuit, cumque his Chialcum, quo sociarum civitatum manus convenerant, proficisci jubet, et quid fieri vellet, ostendit. Sandovalus, Chialcum inducta manu, consilioque cum sociis communicato, castrisque conjunctis, in hostes movet, qui ad Guastepecam consederant, et inde Chialcensem agrum incursionibus populabantur: sed hostes cum de nostrorum adventu cognovissent, magno numero venientibus occurrunt, praelioque in itinere conserto, acriter utrinque dimicatum est. Nec tamen Culuani nostrorum impetum, praesertim equitum, diu ferre potuerunt: itaque in fugam conjecti, multis suorum amissis, Gualtepecam sese receperunt, unde postridie facta eruptione, cum nostris rursus decertare non dubitaverunt; sed ne tum quidem ipsorum impetum sustinere valentes, oppidum deseruerunt, fugaque ad salutem contenderunt.

XLV. Hoc successu elatus Ovandus, Accapichtlanam rapit agmen, castellum natura munitum, loco editissimo, et equitibus inaccesso positum, itemque multorum hominum praesidio firmatum: quibus rebus freti custodes, nostros contemnebant, magnaque confidentia telis jaciendis saxisque evolvendis acriter propugnabant. Ceterum indignati pedites Hispani, quod Culuani suum modo conspectum ferre possent, clivum magna vi conscendere nituntur, simulque socii eorum virtutem imitantes, in hostes intrepidi feruntur; itaque magna edita strage, multos etiam in circumfluentem amnem praecipites dederunt. His rebus gestis, Sandovalus, confirmatis amicis, et si quid opus esset, liberaliter pollicitus, Tescucum nulla interposita mora redire contendit.

Paucis diebus interjectis, Chialcenses rursus subsidium oratum mittunt contra eosdem Culuanos rursus bellum renovantes, iterumque Sandovalus cum Hispanorum pari manu remittitur. Sed antequam perveniret, praelium factum erat, pulsique Culuani, quorum multi ceciderunt, multi capti, et in his quadraginta viri primarii Mexicani, qui Sandovalo, ut ad Cortesium deducerentur, traditi fuerunt. Ex his Cortesius duos timore cunctantes precibus et pollicitis adduxit, ut suam de pace legationem Mexicum ad Regem perferrent, cumque ipsius verbis adhortarentur, ut omissa pertinacia, in fidem et clientelam Regis Hispanorum suamque amicitiam rediret, malletque Hispanorum benevolentiam et societatem in otio cum suis magnis commodis, quam vim et iram experiri, eosque cogere, ut quod precibus impetrare nequirent, id bello et armis cum pernicie Mexicanorum extorquerent. Atque haec quidem legatis mandavit, eademque scripsit in epistola, quam ipsis petentibus ad Regem dedit, nec lecturum, nec intellecturum, sed ut res plus haberet fidei et auctoritatis.

XLVI. His legatis dimissis, Cortesius, qui paludem ambire, oppidaque palustria Mexicanorum socia et stipendiaria, timoris incutiendi causa, dum navigia coagmentantur, tentare constituerat; copias partitur, et Gonzalum Sandovalum peditibus Hispanis trecentis et equitibus viginti praeficit, qui castris et navigiis ad Tescucum praesidio esset, et opus urgeret; ipse cum reliqua manu, quae fuit totidem peditum et equitum triginta, adjunctis auxiliaribus copiis viginti circiter millium

lium armatorum, Tescuco proficiscitur; biduoque per Chialcenses fines progressus, ejus civitatis principes sui consilii certiores fecit; quo tempore quadraginta praeterea hominum armata millia, quae ab amicis et sociis auxilio mittebantur, in castra pervenerunt, seque nostris adjunxerunt. Cum jam Culuanis finibus Cortesius appropinquaret, magnus hostium exercitus ipsius adventum non procul exspectare nuntiatur: itaque agmen ad omnes casus compositum inter duos altissimos montes ducit, quod agmen decem equitibus claudentibus, ipse cum reliquis viginti antecedebat. Cum dies processisset, e regione castelli ventum est, quod situm in praecipite et altissima rupe, armatorum praesidio custodiebatur. Hoc ut temere et ambitiose, sic nequidquam tentatum est: custodes enim telis jaciendis et saxis evolvendis acriter propugnantes, nostris subeuntibus atque repentibus magnum detrimentum inferebant. Itaque Cortesius, duobus Hispanis amissis, et viginti amplius vulneratis, receptui canere jubet, reque infecta discedit. Ceterum equites in hostes, qui in locis campestribus constiterant, invecti, eos in fugam conjecerunt, et fugientes insectati, magnum eorum numerum occiderunt. A quibus equitibus sese recipientibus cum nuntiatum esset, rupem alteram huic similem cum magna hominum multitudine, sed minus praeruptam, non procul fuisse conspectam, eo Cortesius agmen, cum jam advesperasceret, procedere et prope rupem considere jubet; quibus ad dolorem, quem magnum omnes ex irrito conatu ceperunt, illud quoque malum accessit, quod eo toto die nocteque sequente homines et equi aqua prorsus caruerunt.

Digitized by Google

XLVII. Ubi dies posterus illuxit, Cortesius, sumto clypeo, et praefectis quibusdam se sequi jussis, ut rupis locique naturam, et qualis in circuitu ascensus esset, consideraret, pedes procedit. Equi enim ad quatuor passuum millia aquandi causa castris excesserant. Euntem ceterae copiae injussae subsequuntur. Considerantibus locus arduus et ascensu difficilis visus est; sed duo colliculi animadversi, quo facilior erat aditus; quibus occupatis, magna facultas esset castellum munitioremque locum oppugnandi. Eos colliculos armati complures obtinebant; sed qui, nostris accedentibus, vel sibi metuentes, vel castellum commodius et tutius defendi posse, si manus conjungerentur, rati, ea loca deseruerant, et se ceteris aggregaverunt. Tum nostris in colliculos desertos succedentibus, et Cortesio cum ceteris copiis clivum conscendere incipiente, praelium conseritur, celeriterque nostrorum pars summum jugum tenuit. Itaque Barbari, cum undique sagittis scloppetorumque telis oppugnarentur, rebus suis diffidentes, arma projicere, manus tendere, ac deditionem significare, et mortem deprecari coeperunt; quos pro sua consuetudine et instituto Cortesius consolatus, humaniter tractavit, in deditionemque recepit. Ab his de Cortesii humanitate et mansuetudine certiores facti qui se ad alteram rupem strenue defenderant, ipsi quoque, missa legatione, se in potestatem Cortesio permiserunt, et in Regis Hispaniae clientelam dicaverunt.

XLVIII. Hinc sauciis Tescucum remissis, per Guastepecam, Lautepecam, ac Glutepecam oppida, nemine iter demorante (nam fere oppidani ad agminis accessum oppida deserentes profugiebant) Cahunabacam ven-

Digitized by Google

ventum est, urbem loco et fossis altissimis et praeruptis munitissimam, et quae armatorum magno numero tenebatur. Hi nostros accedentes telis et lapidibus intrepide lacessebant; erat enim aditus omni ex parte difficillimus, et pontes, quibus fossae committebantur, sublati. Ceterum ex Tascala quidam, dum omnes aditus diligenter rimatur, locum nactus difficilem et periculosum, sed a pugnantibus aversum, non dubitavit ei se committere. Hunc transgressum quinque Hispani secuti sunt. Oppidanorum quidam, Tascalano repente conspecto, ab Hispanis oppidum teneri rati, fugere coeperunt; deinde cum pauci illi Hispani ceteris oppidanis, qui cum nostris interjecta fossa eminus pugnabant, sese a tergo ostenderent, illi quoque vim majorem adesse rati, oppidum deseruerunt, fugaque in montes sese receperunt, nostro peditatu succedente, ferroque et igne cuncta devastante. Hac accepta calamitate, Princeps ejus oppidi primariis civibus stipatus Cortesium adivit, supplicibusque verbis pacem petivit, seque et civitatem in potestatem et Regis Hispaniae clientelam venire dixit.

XLIX. Hinc passuum millibus viginti quatuor per sitientem solitudinem confectis, prope Suchimilicum labore et siti confecti pervenerunt, urbem opulentam, in palude dulcis aquae quatuordecim circiter millia passuum ab urbe Temistitlana sitam. Hanc nostri ut oppugnarent, viam coementitiam ingressi, in vallum transversum inciderunt, quem magnus armatorum numerus custodiebat; sed hi jaculatorum nostrorum telis acriter oppugnati, vallum deseruerunt, seque ad interiora reci-

cipere coeperunt. Hispani, ut cedentes insectarentur, partim per aquam, partim scisso vallo progrediuntur, brevique tempore repulsis oppidanis, pontem urbis maximum occupaverunt. Illi, conscensis naviculis, praesens periculum evitarunt, et per aquosas vias nostros obliquis telis ad solis occasum oppugnare non destiterunt, spem subinde pacis et deditionis nostris, quo remissius agerent, obtestantes, ac eludere conantes, ut spatium intercederet, quo auxilia Mexicanorum (hos enim certiores fecerant) pervenirent. Quae copiae dum exspectabantur, oppidani in continentem egressi, per coementitiam viam, qua nostri in oppidum irruperant, regressi, nostros, qui urbem tenebant, oppugnare parant. Sed Cortesius accedentes conspicatus, cum equitatu invectus, eosdem fudit, et fugientes ad continentem usque, multis illatis vulneribus, insectatus est; quamquam eorum nonnulli tanto animo repugnabant, ut non dubitarent cum gladiis et clypeis contra equites consistere, et cominus praeliari. Magna igitur contentione eo die paene ad solis occasum continenter pugnatum est, ita ut equi jam labori non sufficerent; certe is, qui Cortesium vehebat, nimio labore fatigatus, sese abjecit humique prostravit, non sine Cortesii ipsius, qui cupidius hostem insectando longius a suis discesserat, magno periculo; sed laboranti, seque hasta a regredientibus oppidanis defendenti, Tascalanus unus, et unus item Hispanus ejus familiaris, qui brevi intervallo sequebantur, saluti fuerunt. Horum enim auxilio restitit invadentibus; eisdemque repulsis, equum erexit, antequam reliquus equitatus perveniret. Pulsis ho-

hostibus, jam die in noctem praecipite, nostri pugnando defessi, duobus Hispanis, qui praedae cupiditate ab aliis secesserant, desideratis, in urbem sese receperunt; nec ante dispositis excubiis se quieti dederunt, quam pontis fossam lapidibus et lateribus crudis complerent, ut equites ultro citroque possent commeare.

L. Postridie mane ingens armatorum multitudo, a Mexicano Rege missa, per terram sese ostendit, cujus duces atque praefecti captivos enses Hispanorum ad Mexicum interfectorum strictos dextris ostentabant, eisdemque Hispanos sese interfecturos minacibus verbis jactabant, Mexicum subinde magna voce, et Temistitlanam ingeminantes; et paulo post classis duorum amplius millium canoarum, quae hominum supra duodecim millia vehebat, affuit. Cortesius, qui spem victoriae in equis maxime posuerat, cum equitibus viginti uno, et Tascalanis quingentis (nam huic genti propter virtutem et velocitatem ex auxiliaribus maxime fidebat) erumpit, ac tripartitos in campestres copias inducit; quorum impetum hostes sustinere nequeuntes, in impendentes montes sese abdiderunt. Cortesius, quingentis circiter confossis, ad suos in urbem circa meridiem revertit, qui cum ceteris hostibus interim difficili et ancipite pugna dimicantes, eos oppido depulerant, multos interfecerant, armisque exuerant, et gladios nonnullos Hispanicos libenter recuperaverant.

LI. Postridie Cortesius, oppido incenso, Cajoacanam progreditur, quam desertam offendit. Hoc oppidum in ora paludis situm, passuum a Sumilco octo millibus, a Temistitlana Mexicoque et Culuacana sex, et to-

Digitized by Google

totidem fere ab Uchilubusco et Istapalapa, et aliis oppidis palustribus abest; quamobrem is locus castris nostris opportunus Cortesio est visus ad Temistitlanae et Mexici obsidionem et oppugnationem, quam animo gerebat, urgendam. Ut igitur aditus ad Mexicum exploraret, et locorum naturam perspiceret, hinc cum equitibus quinque et peditibus Hispanis ducentis digressus, per viam coementitiam, quae Mexicum ducit, tamdiu processit, donec eis vallum transversum occurrit, quod magna Barbarorum multitudo custodiebat, consertoque praelio, acriter utrinque pugnatum est; sed multis acceptis et illatis vulneribus, hostes sagittariorum et scloppetariorum nostrorum impetum ferre nequiverunt, multisque suorum amissis, vallum deseruerunt. Ex eo loco Cortesius viam hanc Mexicum ferre animadvertit, eamdemque, et illam alteram, quae ab Istapalapa Mexicum ducit, armatis hominibus, paludem vero canois, quae militem sustulerant, oppletas conspexit; et locis omnibus consideratis, et regionum natura prospecta exploratataque, in castra revertit, nec amplius biduo moratus (nam Tescucum navigiorum causa properabat) castra movet; et per Tacubam, Coaticam, Gilotepecam, Culuamque progressus, Barbaris subinde ex oppidis palustribus excurrentibus, et telis lacessentibus, iterque demorantibus, agmen Tescucum, orbe peracto, reduxit.

JO.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
DE REBUS HISPANORUM GESTIS
AD NOVUM ORBEM MEXICUMQUE

LIBER SEPTIMUS.

I. INTEREA dum liburnae coagmentantur et perficiuntur, quod opus jam erat paene ad finem perductum, fossa quoque ducta est ab eo loco ad paludem alta duodecim pedibus, totidemque lata, qua liburnae in paludem, quae passuum inde duobus millibus aberat, deducerentur. In hac fossa per humilem et aquosum locum ducenda, Barbarorum ad octo millia ex Tescucanis et Culuacanis, eorumque clientibus dies quinquaginta consumserunt; cujus latera, ne aquis exedentibus corruerent, intexta materia loricata erant, ut, aquis ex palude derivatis et cum ipsa libratis, tuto et commode navigia in paludem compellerentur. His rebus confectis, et navigiis in fossam deductis, Cortesius copias recenset, quarum numerus, nova manu ex pacatis insulis advecta, non mediocriter auctus erat; censuque habito, reperti sunt equites octoginta sex, pedites octingenti amplius, quorum centum et octo jaculatores erant, sagittarii scloppetariique, ceteri longioribus gladiis, quas *espadas* nostri vocant, et peltis armati; praeterea tormenta ferrea majora tria, minora aenea quindecim; hastati nulli censi sunt, nec hastis nostri pedites in illis regionibus utebantur; credo, ut expe-

Digitized by Google

ditius cum male armatis depugnarent , caesimque et punctim ferirent , simulque scutis lapides telaque vitarent, quae scuta cum hastis longioribus et validioribus, quae utramque manum requirunt, non satis cohaerent; et illud fortasse cavebant, ne cum eaedem hastae, quas nostri *picas* appellant, ad equitum impetum sustinendum sint inventae, eis admoniti ac edocti Barbari novo et salutari telo adversus equites sese munirent , quos contra consistere non audebant, duplicis equitibus repugnandi rationis ignari, a veteribus orbis nostri mortalibus excogitatae. Aut enim validas hastas terrae applicatas incitatis in se equis pedites objiciunt ; aut se equitibus insinuantes equos gladiis suffodiunt : quam pugnandi consuetudinem Germanorum potissimum fuisse, Caesar prodidit in *Commentariis* ; sic ut equites etiam Germani, equestri praelio commisso, ad pedes desilirent, ut suffosis equis hostilibus, sessores dejicerent, ac facilius interimerent. Quamquam inter Mexici oppugnationem post nostrorum malam pugnam, qua paene captus fuit Cortesius, validarum hastarum usum ad statarias pugnas, et in lubricis aquosisque locis firmiter consistendum revocare , nostros commoditas et necessitas hortata est.

II. Sic rebus comparatis , Cortesius nuntiis dimissis Tascalanos , Guaxicinganos, et Chululanos socias et amicas civitates, de rebus omnibus certiores facit, hortaturque et rogat, ut suas copias, quemadmodum esset constitutum, rebus omnibus necessariis instructas, ad certa loca intra diem decimum conducant, et quid fieri velit, ostendit. Illi vero, ut cum magno studio liben-

benterque negotium susceperant, cuncta, quae bello usui forent, diligenter comparaverant; nulla interjecta mora, imperata faciunt: itaque Guaxicingani, et Chululani Chialcum convenerunt, Tascalani Tescucum recta pervenerunt, quorum numerus, ut praefecti confirmabant, amplius quinquaginta millium erat. Has copias Cortesius bipartito divisit, tribusque praefectis attribuit; Petro Alvarado equites triginta, jaculatores decem et octo, peltatos centum quinquaginta, ex amicis auxiliaribus viginti quinque Tascalanorum millia, in urbem Tacubam deducendos, ut positis castris ex ea parte Mexicum obsideret: Christophoro Olito equites triginta tres, jaculatores totidem, peltatos sexaginta, ex auxiliaribus ad viginti millia, jusso cum ea manu ad Cujoacanam castra munire. Reliquis copiis, extra nauticos milites, Gonzalum Sandovalum praefecit, qui eas Istapalapam male de nostris meritam urbem induceret; eaque direpta et excisa, per viam coementitiam, quae inde Mexicum ducit, accedente cum classe Cortesio, progrederetur, et e re nata consilium caperet, et locum castris idoneum deligeret. Erat autem ea manus equitum viginti quatuor, jaculatorum decem et septem, peltatorum centum quinquaginta cum praetoria cohorte delectorum juvenum quinquaginta; praeterea copiae omnes auxiliares ab Guaxicincanis, Chululanis et Chialcensibus missae, qui numerus erat triginta circiter millium. Sibi autem Cortesius ad liburnas instruendas praeliumque navale trecentos viginti quinque Hispanos rerum nauticarum peritos reservavit.

III. His rebus constitutis, Cortesius Alvaradum et

Olitum a se, quid fieri vellet, edoctos, copias educere jubet. Hi Tacubam quarto die vesperi progressi, urbem vacuam ab habitatoribus, ut reliquas ante ipsam, offenderunt. Ceterum Tascalani per duas coementitias vias in Mexicanos, qui Istapalapensibus auxilio veniebant, processerunt, consertoque praelio, acriter utrinque pugnatum est, nec ante supervenientem noctem certamen diremtum. Tum aquaeductus, quo Mexicum dulcis aqua ducebatur, circa fontem et originem ab Hispanis, ut erat imperatum, interruptus fuit, Mexicanis tum per paludem, tum per continentem nequidquam repugnantibus. Praeterea incilia, et viarum interrupta depressaque et impedita loca, completa; et ut equites libere discurrerent, expedita. Quo tribus aut quatuor diebus confecto, quorum nullus sine parvo praelio transivit, Olitus discessit, suasque copias Cujoacanam, ut erat constitutum, perduxit; quod ipsum quoque oppidum desertum nostri repererunt, in eoque castra posuerunt, sed Hispani separatim suo more sibi principales aedes delegerunt.

IV. His rebus nuntiatis, Cortesius Sandovalum jubet cum suis copiis Istapalapam proficisci, quae inde aberat passuum millibus viginti quatuor, et quid fieri velit, imperat. Eo digresso, nauticos milites vicenos quinos cum praefecto et tormento uno in singulas liburnas imponit, quorum seni erant jaculatores, ipseque simul praetorium conscendit, et classem, quae vento remisso remisque impellebatur, cursum Istapalapam dirigere jubet, ut eam oppidi partem oppugnaret, quae palude continebatur. Huc enim oppidanorum magna

pars

pars confugerat, accedente Sandovalo, qui multis occisis, illam alteram partem, quae Continentis est, occupaverat, et igne injecto urendam diruendamque curabat: quae incendia jam ex propinqua classe conspiciebantur. Erat non procul oppido in ipsa palude monticulus ac rupes excelsa, quo multi mortales ex Mexico ac ceteris adjacentibus oppidis convenerant, partim ut periculum vitarent, partim ut Istapalapensibus, in quos primos nostri impetus facturi putabantur, conscensis naviculis, auxilium ferrent. Hi, conspecta nostra classe, crebris ignibus significare coeperunt, ut oppida cuncta palustria classem hostilem adventare cognoscerent, seque ad navalem pugnam compararent. Hoc animadverso, Cortesius, navibus appulsis, in terram descendit, cumque eo milites centum quinquaginta, qui locum iniquum magno cum labore subierunt, et custodes omnes, quamvis non segniter repugnantes, impuberibus et feminis parcentes, occiderunt, ad navesque incolumes omnes, sed viginti quinque vulneratis, redierunt, eo properantius, quod canoarum magna vis a Mexicanis ceterisque palustribus oppidis contra classem subsidio Istapalapensibus mittebantur, qui et ipsi nostrorum adventum ex locis editissimis significaverant.

V. Neque vero Cortesio ex usu fore visum est, statim hostilem classem, quae quingentarum amplius canoarum esse existimabatur, adoriri; sed quid hostes consilii caperent, exspectare. Illi vero, cum suae classis cursum in nostram direxissent, et nonnihil processissent, intervallo mediocri relicto, constiterunt; sed cum utri-

Olitum a se, quid fieri vellet, edoctos, copias educere jubet. Hi Tacubam quarto die vesperi progressi, urbem vacuam ab habitatoribus, ut reliquas ante ipsam, offenderunt. Ceterum Tascalani per duas coementitias vias in Mexicanos, qui Istapalapensibus auxilio veniebant, processerunt, consertoque praelio, acriter utrinque pugnatum est, nec ante supervenientem noctem certamen diremtum. Tum aquaeductus, quo Mexicum dulcis aqua ducebatur, circa fontem et originem ab Hispanis, ut erat imperatum, interruptus fuit, Mexicanis tum per paludem, tum per continentem nequidquam repugnantibus. Praeterea incilia, et viarum interrupta depressaque et impedita loca, completa; et ut equites libere discurrerent, expedita. Quo tribus aut quatuor diebus confecto, quorum nullus sine parvo praelio transivit, Olitus discessit, suasque copias Cujoacanam, ut erat constitutum, perduxit; quod ipsum quoque oppidum desertum nostri repererunt, in eoque castra posuerunt, sed Hispani separatim suo more sibi principales aedes delegerunt.

IV. His rebus nuntiatis, Cortesius Sandovalum jubet cum suis copiis Istapalapam proficisci, quae inde aberat passuum millibus viginti quatuor, et quid fieri velit, imperat. Eo digresso, nauticos milites vicenos quinos cum praefecto et tormento uno in singulas liburnas imponit, quorum seni erant jaculatores, ipseque simul praetorium conscendit, et classem, quae vento remisso remisque impellebatur, cursum Istapalapam dirigere jubet, ut eam oppidi partem oppugnaret, quae palude continebatur. Huc enim oppidanorum magna pars

Digitized by Google

pars confugerat, accedente Sandovalo, qui multis occisis, illam alteram partem, quae Continentis est, occupaverat, et igne injecto urendam diruendamque curabat: quae incendia jam ex propinqua classe conspiciebantur. Erat non procul oppido in ipsa palude monticulus ac rupes excelsa, quo multi mortales ex Mexico ac ceteris adjacentibus oppidis convenerant, partim ut periculum vitarent, partim ut Istapalapensibus, in quos primos nostri impetus facturi putabantur, conscensis naviculis, auxilium ferrent. Hi, conspecta nostra classe, crebris ignibus significare coeperunt, ut oppida cuncta palustria classem hostilem adventare cognoscerent, seque ad navalem pugnam compararent. Hoc animadverso, Cortesius, navibus appulsis, in terram descendit, cumque eo milites centum quinquaginta, qui locum iniquum magno cum labore subierunt, et custodes omnes, quamvis non segniter repugnantes, impuberibus et feminis parcentes, occiderunt, ad navesque incolumes omnes, sed viginti quinque vulneratis, redierunt, eo properantius, quod canoarum magna vis a Mexicanis ceterisque palustribus oppidis contra classem subsidio Istapalapensibus mittebantur, qui et ipsi nostrorum adventum ex locis editissimis significaverant.

V. Neque vero Cortesio ex usu fore visum est, statim hostilem classem, quae quingentarum amplius canoarum esse existimabatur, adoriri; sed quid hostes consilii caperent, exspectare. Illi vero, cum suae classis cursum in nostram direxissent, et nonnihil processissent, intervallo mediocri relicto, constiterunt; sed cum utri-

utrique alteros exspectantes paulisper immoti perstitissent, incredibili felicitate divinitusque (non enim fortuitum illud, sed divinum fuisse credere fas est) ventus nostris secundus increbescere coepit. Tum vero Cortesius manus sustulit, suosque paucis hortatus, vela dare vento, simulque remis liburnas incitare, ac in hostes impetum facere jubet. Barbari venientes conspicati, eorumque impetum sustineri posse diffidentes, conversis quo ventus ferebat, naviculis, se fugae mandarunt. Nostri magna celeritate fugientes consecuti, magnum hostium numerum multis canois depressis occiderunt, et ceteros ad urbem usque consectati sunt. Hoc ex castris animadverso, qui ad Cujoacanam consederant, eorum bona pars concitato gradu Mexicum laetissimi infestis signis contenderunt (ex Tacuba enim non erat in pugnam navalem prospectus) et viam pedestrem ingressi, pontes nonnullos dejectis custodibus trajecerunt, et vallos transversos expugnarunt, obvios quosque consternentes, aut in aquam a liburnis aversam sese dejicere cogentes, donec eo ventum est, ubi Cortesius cum classe constiterat juxta duo turrita fana, et humili muro circumducto munita; quibus ille expugnatis, castra ibi munire constituit, consilio propter loci opportunitatem mutato. Statuerat enim in castra, quae erant ad Cujoacanam, sese recipere, atque inde bellum administrare.

VI. Castris, cum jam advesperasceret, positis, Cortesius tria majora tormenta ferrea exponi jubet, et loco idoneo collocari. Aberant vero castra ab urbe passuum millibus circiter duobus, quod spatium et naviculas viam utrinque legentes, armatis hominibus hostes com-

compleverant, qui nostros eminus telis et lapidibus undique lacessebant; sed telum ex uno tormentorum magno fragore in eos, qui viam tenebant, emissum, stragem edidit, magnumque terrorem hostibus incussit. Itaque perterriti sese in urbem receperunt, eoque tempore pulvis omnis tormentarius casu quodam concepto igne conflagravit. Quo malo cum tormenta omnia redderentur inutilia, Cortesius evestigio unam ex liburnis Istapalapam cum litteris ad Gonsalum Sandovalum properare jubet, quae quidquid pulveris in illis castris erat, celeriter ex Cortesii litteris reportavit. Proxima nocte ineunte, Cortesius liburnas in statione castris propinqua collocavit disposuitque, jussis praefectis intento animo esse et vigilias agere. Ipse suorum paucitati metuens, castra, quam diligentissime potuit, munivit, excubiasque disposuit, ut ab incursionibus repentinis tutiores essent.

VII. Cum autem nox processisset, peracta secunda vigilia, Barbari praeter suam consuetudinem et nostrorum opinionem, tum per viam pedestrem, tum per paludem magno clamore et ululatu castris accesserunt: quo audito, nostri celeriter ad arma concurrunt, sagittisque et scloppetis rem acriter gerunt. Ex liburnis quoque, quarum prorae singulis parvis tormentis, ut supra dixi, erant ornatae, tela conjiciebant, et magnum detrimentum inferebant: quo timore oppidani deterriti, conatu destiterunt, seque in urbem nullo incommodo illato receperunt. Prima luce ex Cujoacana jaculatores quindecim, peltati quinquaginta, et equites octo a Christophoro Olito subsidio missi, in castra Cortesii pervenerunt, cum jam castra eadem ab innumera oppidanorum

rum multitudine per terram et ex palude oppugnarentur, atque nostri, acie instructa, tribusque tormentis productis, acriter depugnabant. Animadvertens autem Cortesius, hostiles naviculas in parte paludis a liburnis aversa impune libereque vagari, et audacius in apertum nostrorum latus tela conjicere, viam jubet circa castra concidere, ut liburnae possent in utramque partem commeare. Hoc celeriter administrato, quatuorque liburnis in alteram partem traductis, nauticos praefectos hostilem classem utrinque jubet adoriri, ipse pedestresque copiae per viam inducti, pontem, quem oppidani sustulerant, receperunt, et vallum, quod erexerant, pulsis custodibus dejecerunt, fossaque impleta, tormentis et equitatu hostem in urbem compulerunt. Eodem tempore liburnae Barbaras canoas in fugam conjecerunt, et usque ad aedificia consectatae sunt, nonnullis etiam intra urbem expugnatis atque depressis. Sex diebus ad hunc modum erumpentibus oppidanis, oppugnatum est. Interea Sandovalus ex litteris Cortesii suas copias ab Istapalapa Cujoacanam, ut propius abesset a Cortesio, deduxit, ad eumque cum decem equitibus processit; et praelio, quo ipsum decernentem offendit, ad pedes desiliens, cum promtioribus interfuit, pugnansque in pede vulnus accepit.

VIII. Cortesio, pulsis hostibus, et copiis in castra reductis, a Petro Alvarado ex castris ad Tacubam nuntiatum est, per viam a Cortesii castris aversam commeatus ex Continente Mexicum impune ac libere comportari, qua via facile possent oppidani laborantes, si fugae consilium cepissent, excedere. Hoc accepto nuntio,

Digitized by Google

tio, Cortesius, ut essent oppidani undique commeatibus interclusi (de discessu enim non laborabat) Sandovalum, ut erat vulneratus, proficisci jubet, eoque suas copias inducere, et ad caput illius viae castra munire. Quo diligenter administrato, Mexicum omni ex parte, qua per vias pedestres exitus erat in Continentem, commeatibus erat interclusum.

IX. Dum haec apud Mexicum geruntur, tanta indigenarum amicorum multitudo ad Cortesium confluxerat, ut octoginta millium armatorum numerum excederet; ex nostris autem aderant pedites ducenti, et in his viginti quinque jaculatores; praeterea ducenti quinquaginta nautici milites, qui a liburnis non discedebant, sed auxiliares copias Cortesius, parva manu apud se propter castrorum exiguitatem cum Hispanis retenta, Cujoacanam rejiciebat, quae inde aberat passuum millia circiter quinque, unde ad praelium paene quotidie accersebantur. His copiis Cortesius in urbem erumpere cum statuisset, Sandovalo et Alvarado eodem tempore per vias, quas obsidebant, suas copias inducere, et urbem oppugnare praecipit. Olito autem, ceteris ad se missis, cum amicorum indigenarum decem millium manu et quindecim equitibus, et paucis praeterea nostrorum, caput ejusdem viae, quae est contra Cujoacanam, obsidere imperat, si forte subsidia Mexicanis a clientibus per eam subministrarentur, quae nostros inter praeliandum aversos adorirentur. Adhuc enim multa oppida palustria in fide et clientela Mexicanorum permanebant. Mane igitur Cortesius acie instructa, suas copias sine equitatu, qui, concisa multis in lo-

Dd cis

cis et impedita via, usui esse non poterat, inducit, liburnis, quae huic bello magno usu fuerunt, simul ut erat imperatum, viam utrinque legentibus; nec longe progressi, hostibus occurrunt, qui vallum ad concisum viae locum, quem interim exhauserant, custodiebant, ut transitum nostrorum impedirent; sed his pulsis, eoque loco terra et lapidibus rursus impleto, fugientes usque ad urbem et pontem alterum insequuntur. Quem locum oppidani, partim per trabem ex ponte relictam, partim per aquam, ut erat vadosa palus, cum trajecissent, sublata trabe, ad vallum, quod erat in proximo, constiterunt, et acriter ex eo propugnabant, simulque ex coenaculis crebra tela conjiciebantur; itaque nostri, ne impeditos illi adorirentur, paludi se committere non audebant; duobus tamen grandioribus tormentis, sagittisque et scloppetis rem acriter eminus gerebant, nec solum ex pedestri via, sed etiam ex liburnis tela jaculabantur.

X. Duabus circiter horis cum strenue fuisset utrinque cum magna oppidanorum jactura dimicatum, Hispani nonnulli sese in paludem dejecerunt, et incolumes in alteram partem evaserunt. Hoc animadvertentes oppidani, vallum et coenacula deseruerunt, seque in urbis interiora recipere coeperunt; ita nostris data est trajiciendi facultas. Tum auxiliari certa manu ad implendum locum cum Cortesio remanere jussa (nam ipse praesens opus urgere voluit, quo diligentius equitibus, qui robur exercitus erant, via muniretur) reliqui fugientes oppidanos ad pontem usque alium insecuti sunt, qui erat ante plateam Regiam, id est, quae Regiis aedi-

aedibus aliisque superbis aedificiis exornabatur, et pontem occuparunt, quem oppidani nec tollendum, nec vallo muniendum curaverant. Accidit enim praeter omnium opinionem, ut tam longe nostri in urbem eo die penetrarent: occupatoque ponte in aditu plateae, quam armatorum multitudo compleverat, tormentum unum collocarunt, eoque coeperunt in hostes jaculari. Tum multis cadentibus, cum ceterorum metus ex fremitu et concursu significaretur, in plateam irrumpentes, omnes loco summoverunt, et in circum sacrum compulerunt (hunc circum, ut supra demonstratum est, murus lapideus diis manibus sacer, turribus, quae principibus pro sepulcris erant, distinctus ambibat, spatium complexus par quadringentarum domuum castello) quin etiam ex circo trepidantes ejecerunt.

XI. Ceterum paulo post oppidani a Rege castigati, recreatis animis praelium redintegrarunt, tam acriter invecti, ut impetum eorum ferre nostri nequeuntes, primum circo, deinde platea quoque cedere pedemque referre, tormento relicto, cogerentur, hostibus intoleranter urgentibus, donec tres equites opportunissimo tempore laborantibus auxilio pervenerunt; quibus conspectis, oppidani majorem numerum adesse rati, terga verterunt, nostrique receptis animis fugientes insecuti, rursus area Regia et circo depulerunt. In cujus circi turrem maximam, quae centum amplius gradibus exsurgebat, decem oppidani ex primoribus cum se recepissent, hos constanter licet propugnantes, tamen Hispani quinque, conscensa et expugnata turre, conciderunt. Tum equites alii quinque aut sex supervenien-

 tes,

Digitized by Google

tes, hostibus magno terrori, nostris praesidio salutique fuerunt.

XII. Vesperi, cum receptui Cortesius canere jussisset, nostris in castra redeuntibus, ingens eos oppidanorum numerus insectabatur, et postremos vehementer urgebat. Ceterum equites per complanatam a Cortesio viam recurrentes, vulneribus inferendis, sed magis injecto terrore, instantes reprimebant. Quorum equitum praesidio factum est, ut, incensis compluribus domibus in via, ne rursus ex coenaculis lacesserentur, Cortesius suas copias incolumes in castra reduceret, certe nullo Hispanorum desiderato, nonnullis tamen vulneratis. Sandovalus quoque et Alvaradus eodem tempore, ut erat constitutum, suas copias in urbem infestis signis induxerunt, et proximas suis quisque castris regiones acriter oppugnarunt, cum abessent a Cortesio passuum millia circiter quinque, nam totidem urbs ipsa patebat, multis hostium concisis, multisque vulneribus illatis, ipsi quoque quam minima suorum jactura sese in castra receperunt.

XIII. Interea Fernandus adolescens, quem propter perspectam in Hispanos fidem et studium Fernandus Cortesius Cuscuci et Culuanae regionis Regulum, posthabitis natu majoribus fratribus, constituerat, et ex suo nomine nuncupaverat, non desistebat suorum propinquorum et amicorum voluntates et popularium benevolentiam Hispanis conciliare, quorum animis praeparatis, exercitum quinquaginta circiter millium armatorum confecit, et fratri Istrisuchillo ad Cortesium deducendos dedit. Is, reliquis in alia castra Cortesii voluntate dimis-

Digitized by Google

missis, ipse triginta millia ad Cortesium, inde in Cujoacanam perduxit. Huc enim Cortesius, ut demonstratum est, auxilio venientes manus rejiciebat. Ex Suchimilco etiam urbe palustri, et ab Utumiensibus, montana gente, legati de pace missi sunt, qui imperata facere pollicerentur. His benigne auditis, Cortesius milites imperavit, quos illi tertio deinde die submiserunt. Dum cetera oppugnationi renovandae comparantur, illud quoque ex usu fore Cortesius statuit, ut pars liburnarum ceteris castris praesidio mitteretur, quae simul ab illis partibus paludem obsiderent, et urbem aqua dulci et commeatibus intercluderent, qui canois noctu diuque comportabantur. Septem igitur sibi retentis, ternas liburnas Sandovalo et Alvarado mittit, eosque de tempore renovandae oppugnationis constituto certiores facit, et quid fieri velit, ostendit.

XIV. Tribus diebus a superiore oppugnatione interjectis, Cortesius mane, facta re divina, viginti circiter equites et pedites Hispanos trecentos et indigenarum amicorum ingentem multitudinem ex Joacanis castris excitam, in urbem inducit, cum jam oppidani interrupta viae coementitiae loca, quae nostri compleverant, in pristinam formam redegissent, et transversos vallos refecissent, praesidioque firmassent. Verum liburnarum potissimum opera et praesidio, unde sagittis et scloppetis oppidani cum suo magno periculo lacessebantur, factum est, ut his dejectis, nostri proxima pontis fossa et vallo, deinde ceteris usque ad plateam Regiam potirentur, ultra quam Cortesius suos progredi vetuerat, donec ipse cum amicorum magna multitudine fos-

fossam, ut nuper, implevisset, et vallum solo aequasset, ut equites sine offensione commearent, quod opus ante meridiem perfici non potuit. Tum vero Cortesius cum equitibus in hostem procurrere coepit, et magnum detrimentum et terrorem oppidanis inferre, per vias, quo equis erat accessus, obequitando.

XV. Interea nostri Regias aedes binas, ut erat imperatum, incenderunt cum oppidanorum maximo dolore, tum eas, quas Hispanis Mutezuma primo adventu pro castris attribuerat, tum illas alteras his paene pares, quas Rex idem omni genere delitiarum compleverat. Classici quoque milites, cum se liburnae per vias aquosas in urbem insinuassent, domos plurimas incenderunt; sed die jam in noctem praecipite, cum receptui Cortesius canere jussisset, agmine in castra revertente, oppidani celeriter magno cum ululatu magnoque impetu procurrunt, et extremos intolerantius urgent; nisi quod equites nostri subinde recurrentes, insequentium vim proculcando, territando, inferendisque vulneribus reprimebant; ita Cortesius, parvo accepto incommodo, certe nullo Hispano desiderato, copias in castra reduxit, eodemque modo Alvaradus et Ovandus, strenue rebus ab iis partibus, quae ipsis obvenerant, gestis, in sua se castra receperunt.

XVI. Dum haec ad Mexicum geruntur, Chialcenses, qui nostrorum fidem et amicitiam magno studio sequebantur, ne in sociorum et amicorum periculo et labore torpere ipsi videantur, manus ex suis vicinisque amicis cogere, et in Istapalapae Culuacanaeque et ceterarum dulcis aquae paludi impositarum urbium fines in-

Digitized by Google

incursiones facere, agrosque vastare. Hae namque palustres urbes nullam de pace legationem ad Cortesium miserant. Quibus incommodis et periculis conflictatae palustres illae civitates, et rebus Mexicanis desperatis, Cortesio sese per legatos dedunt, et imperata facere pollicentur, simulque comprecantur, ut ad Chialcenses et vicinos belli socios mittat, uti ab injuria et suorum agrorum vastatione desistant.

XVII. Cortesius, legatis benigne auditis, militem et canoarum, quibus abundarent, classem imperavit; praeterea, ut materia et lateribus ex continente importatis, ad castra turrita domunculas aedificarent, quo Hispani, qui stramineis casis utebantur, subeuntes, imbres vitarent, qui tunc temporis frequentes decidebant; quorum utrumque diligenter ab illis est administratum, celeriterque domunculae ad utramque viae partem aedificatae sunt, quae satis essent ad Hispanos et ceteros, qui ad turrita castra consederant, recipiendos. Erat autem horum numerus duorum circiter millium. Neque vero solum has commoditates palustres civitates nostris attulerunt; sed etiam ipsorum commeatus bonam partem sustentabant, pisces potissimum ex palude et cerasa, quae largissime proveniunt in ea regione, suppeditantes. Ab eisdem classis auxilio, ut erat imperatum, missa canoarum trium circiter millium bene instructa, quarum dimidium quatuor liburnis, alterum dimidium tribus reliquis attribuit, cumque his urbem circumire et oppidanos male habere aedificiaque incendere jussae, paruerunt: Cortesius ipse terrestres copias, quarum numerus erat centum amplius armatorum millium, signis in-

Digitized by Google

infestis superiorum dierum consuetudine in urbem inducit ; multis enim prope continuis diebus irruperat , si posset Regem et oppidanos , qui obstinatis animis propugnabant , incommodis inferendis , ut in deditionem venirent , compellere. Eo igitur die cum undique Mexicum per terram et aquam oppugnaretur , ferroque et igne vastaretur , maximum detrimentum hostibus est illatum , et pontes aliquot , quo numquam antea nostri processerant , occupati , et fossae impletae sunt , ut via expediretur , quae ad Tacubana castra pertinebat , qua equites , qui robur exercitus erant , ultro et citro commeare possent .

XVIII. Interea Petrus Alvaradus , qua parte consederat , oppugnationem urgere , pontes recipere , fossas implere , equitatus peditatusque praesidia imponere : qua victoria successuque sublatus , castris propius promotis , fossam aliam altam pedibus circiter novem , longam passibus amplius viginti , praesidiumque ab hostibus impositum oppugnare aggreditur ; quo praesidio depulso , liburnarum auxilio nonnulli nostrorum in alteram partem transierunt , et depulsos hostes insectabantur , Alvarado cum sociis auxiliaribus fossam , ut equitibus aditus pateret , implere incipiente. Ceterum oppidani , animadversa et contemta eorum , qui trajecerant , paucitate , cum eques nullus adesset , nec Hispani pedites amplius quinquaginta conspicerentur , signa in nostros ex inopinato convertunt , factoque impetu , in fugam conjiciunt , et auxiliaribus nonnullis interfectis aut captis , ceteros in aquam sese dejicere coëgerunt : ex Hispanis tres , aut quatuor interclusos , vivos ceperunt ;

quos

quos cum ceteris captivis evestigio ad deorum aras immolandos abstraxerunt. Alvaradus, re infecta, moestissimus agmen in castra reduxit.

XIX. Hic nuntius Cortesio acerbissimus accidit, non modo quia suorum casum dolenter ferebat, sed multo etiam magis, quoniam hostibus Regique eo successu accessuros animos non dubitabat, quos ipse, timore et suarum rerum diffidentia injecta, ut in deditionem venirent, rebus omnibus cogere conabatur, ne urbem florentissimam perurere, et oppidanos perdere invitus cogeretur, quorum incolumitati pie ac humane prospiciebat, ne tanta civitas ad internecionem et solitudinem redigeretur, idque communis salutis interesse putabat, et tum ad pietatem et Christianam religionem, cujus ex Regum nostrorum mandatis in primis erat habenda ratio, tum ad Hispanorum dignitatem, opes et imperium pertinere judicabat. Itaque territandi causa frequentes irruptiones faciebat, adhortanribus etiam novis auxiliis, quae quotidie ad ipsum confluebant, quamquam clientum defectione et acceptis incommodis oppidani parum movebantur, qui obstinatis animis acriter propugnabant, et se pereunti patriae superstites esse nolle praedicabant; sed omnium maxime Rex ipse Quatimuzius, qui et in extrema spe salutis deditioni mortem longe praeferendam esse confirmabat.

XX. Desperata igitur pace ac deditione, Cortesius de bello cogitandum, et rebus omnibus in oppugnationem insistendum esse statuebat. Communicatis autem consiliis cum primoribus praefectorum, placuit, ut postridie partitis copiis urbs ex multis partibus uno tem-

pore impugnaretur, multisque viis ad forum venale occupandum contenderetur, qui locus longe lateque patebat; et occupatus, magnam facultatem ad bellum conficiendum praebiturus videbatur. Cortesius igitur Alvaradum et Sandovalum certiores facit, et paratos esse jubet, in primisque monet, nequam fossam a tergo relinquerent non bene impletam et exaequatam, simulque Hispanos sexaginta ad se mitti praecipit: quibus adductis, cum dies alluxisset, re divina dierum superiorum consuetudine facta, liburnis barbaricisque naviculis bipartitis, ut pridie, ac diversis ad rem gerendam progredi jussis, ingentem exercitum cum equitibus viginti quinque in urbem per viam completam et expeditam inducit. Ubi ad plateam ventum est, copias Cortesius tripartito dividit, ut per tres, quae ad forum ferebant, vias diversae ducerentur. Quaestori Hispanos septuaginta et auxiliarium viginti circiter millia, equites autem octo, qui agmen clauderent, attribuit, cumque his per latissimam ex tribus viam in forum perrumpere jubet; ex duobus reliquis, quae a Tacubana via ortum habebant, per alteram latiorem duos praefectos Georgium Alvaradum et Andream Tapiam cum octoginta Hispanis et sociorum Barbarorum ad decem millibus progredi jubet; ipse sibi angustissimam, sed plurimis fossis concisam assumit. Illud autem praefectis omnibus diligentissime mandavit, nequem locum interruptum vel impeditum post se relinquerent; quin omnia solide implerent et explanarent.

XXI. His rebus constitutis imperatisque, Cortesius duo majora tormenta ad caput Tacubanae viae collocavit,

vit, hisque octo equites praesidio relinquens cum totidem equitibus centumque peditibus Hispanis, quorum ad viginti quinque jaculatores erant, in viam, quam sibi destinaverat, procedit, innumera sociorum multitudine subsequente; ad cujus initium viae equites consistere praecipit, ulteriusque suo injussu procedere vetat, et ad pedes ipse desiliens, suos signa in hostes inferre imperat. Dum tribus viis ab ea parte urbs acriter oppugnabatur, magna pars inconditae multitudinis dispersa, in domos irrumpere, omnia vastare, cuncta diripere, obvios quosque perimere.

XXII. Duabus incilibus fossis occupatis et impletis, vallisque duobus disjectis, constitit Cortesius cum Hispanis viginti opportuno loco, ut sociis praesidio esset, qui prope cum hostibus varia fortuna decertabant, seque laborantes, ad Hispanos recipiebant, vicissimque recepto animo, repulsos hostes insequebantur; illud quoque verebatur Cortesius, cui occurrendum esse putabat, ne hostes per obliquos angiportus in viam illam evadentes, Hispanos reliquos, ulterius cum sociorum manu progressos, intercluderent, et circumventos opprimerent; qui Hispani, cum fossam trajecissent, Cortesium misso nuntio certiorem faciunt, seque docent eo processisse, unde fremitus cum Sandovalo et Alvarado, qui copias conjunxerant, pugnantium exaudiretur, suique consilii esse, si Cortesio probaretur, ut in forum, quod non procul abesset, perrumperent. Cortesius illud modo renuntiari jubet, videant etiam atque etiam, nequem locum interscissum a tergo relinquant, quem non firmiter compleverint, ne, si regredi cogan-

 tur,

Digitized by Google

tur, id cum magno suo periculo fiat. Tum illis per remissum nuntium confirmantibus omnia tuta esse, ac diligenter administrata, ut praesens ipse posset percipere, Cortesius, non satis habita fide, in fossam procedit. Hanc autem pedes ad triginta latam, altam vero circiter decem, manus antecedens materia et cannis male compleverat, quae res cum initio pedetentim euntibus transitum praebuissent, postea tamen madefactae subsederant, et facile prementibus cedebant. Sed nondum Cortesius ad fossam male completam pervenerat, cum suos fusos et in fugam conjectos conspicatur, magnaque voce, ut fugam sisterent, et hostium impetum sustinerent, inclamare coepit: sed illi perterriti, qui salutis praesidium in fuga posuerant, nihil Cortesii vocibus remorantibus, praecipites ferebantur; cumque ad fossam venissent, instantibus hostibus, sese in aquam dejiciebant. Itaque pars in via fuit intercepta, pars aquis obruta deperiit, nonnulli emergentes adnatantesque a Cortesio, et, qui aderant, Hispanis circiter quindecim manus porrigentibus excipiebantur; quidam ab hostilibus canois, quae celeriter affluerunt, vivi capti.

XXIII. Cortesius in curam suis in aqua laborantibus subveniendi cum totus insisteret, et nihil de sua salute cogitaret, summum periculum adivit. Jam enim hostes undique concurrentes, pauculos illos Hispanos a ceteris interclusos, et vix hostilem impetum sustinentes, acriter oppugnabant, et Cortesium ipsum apprehensum abstrahere conabantur, abstraxissentque, nisi Franciscus Olcanus praetoriae cohortis miles fortissimus laboranti subvenisset. Is enim accurrens, hostis, a quo utra-

utraque manu Cortesius abstrahebatur, uno ictu gladii utramque manum abscidit, et hostes in se convertit, a quibus, multis vulneribus acceptis, fortissime pugnans, nec inultus, interfectus est: jamque res erat ad extremum perducta casum. Tum vero Antonius Quignonius praetoriae cohortis praefectus, qui pro suo officio a Cortesio non discedebat, ipsum, ut se ad suos reciperet, cohortari coepit; et recusanti obstinato animo, et paene alienata mente mortem praeoptanti: „*Noli*, in„quit, *Cortesi, tua pertinacia te tuosque, qui sine te* „*salvi esse non possumus, perditum ire.*“ Simulque ex brachiis apprehensum abduxit. Itaque ferro viam primum aperientes, deinde vim hostium insequentium subinde reprimentes, concitato gradu sese recipiebant. Celeriter tamen ad famam capti Cortesii complures accurrerunt, quorum unus ejus familiaris, equum, quo se periculo Cortesius eriperet, attulit: Christophorus quoque Guzmanus ex intimis Cortesii familiaribus equum alterum eidem afferebat; sed is in via ab hostibus interceptus est, et cum equo peremtus: carus omnibus et spectatus adolescens, qui cunctis amicis et notis triste diuturnumque desiderium reliquit. Cortesius perlatum equum conscendit, non ut ex eo pugnaret, quod angustiae viae non patiebantur, sed ut per viam lubricam et luto impeditam commodius ingrederetur. Nam qui ex aqua evaserant, seque ad agmen, ut jussi erant, recipiebant, vestimentis madefactis ac destillantibus viam aqua corruperant. Ex qua via propter ejus angustias equae duae, quibus duo Cortesii domestici vehebantur, deciderant; harum una ex canois hosti-

stilibus confossa periit; naviculae enim ex utraque viae parte, quocumque aditus erat, appellebantur; altera aegre nostrorum diligentia fuit servata.

XXIV. In viam Tacubanam, quae latius patebat, Cortesius magno periculo functus cum evasisset, equitibus octo, quos ad initium ejus viae relictos fuisse demonstravimus, sibi adjunctis, copias, quae aderant, in plateam procedere jubet; ipse cum equitatu agmen cogebat, simulque ad praefectos alios denuntiatum mittit, ut ordine servato, copias quisque suas in eamdem plateam placide reducerent, ne receptus fugae similis esse videretur. In ea mala pugna fugaque, ex Hispanis capti interfectique fuerunt circiter quadraginta, quos omnes evestigio Quatimuzius Rex vivos juxta et interfectos in altissimas fori turres inferri ibique diis immolari jussit, ut omnibus essent spectaculo, hostibus etiam terrori, quorum pectora sacerdotes cultris siliceis ex more dissecabant, et cordibus evulsis, eorum palpitantium sanguine aras et deorum signa cruentabant; quod prodigiosum sacrificium milites Alvaradi ex loco pugnae moestissimi conspexerunt: nam Hispanos ex corporum albedine, ut nudi mactabantur, agnoscebant. Praeterea nostrae gentis ad viginti vulnerati sunt, et in his Cortesius ipse, qui crure vulnus acceperat; ex auxiliaribus mille amplius desiderati, scorpionum et sclopetorum magna pars, et unum parvum tormentum amissum. Copiis in plateam, ut erat imperatum, conductis, Cortesius compositum agmen, ut defessi et perterriti vires animosque reciperent, in castra reducere maturat, maxima oppidanorum multitudine, qui victoria

ria insolentibus animis ad pugnandumque paratissimis advolarunt, cum magno ululatu novissimos urgente; ita ut aegre a jaculatoribus et omni equitatu, qui agmen claudebat, reprimerentur, qui ante victoriam contra tres vel quatuor equites, et paucissimos Hispanos pedites consistere non auderent. Usque adeo victoria cujusque roboris animi magnos spiritus et confidentiam sumunt! Ubi est in castra perventum, classem nihilo felicius pugnasse compererunt, et canois nonnullis amissis, unam ex liburnis ab hostibus furentibus, eodemque successu sublatis expugnatam paene fuisse, praefecto etiam letaliter vulnerato, qui ex vulnere paucis post diebus interiit. Ut vero ad castra cuncta erant luctu et moerore plena, sic in urbe magnae gratulationes fiebant, et omnes partes tympanorum strepitu et buccinarum cantu personabant. Tum ad Regis imperatum fossae, quae a nostris completae fuerant, exhaustae fuerunt, pontesque et cetera omnia in pristinum statum restituta. Nec dubitabant oppidani magna fiducia et contentione noctu in castra procedere, parvoque spatio relicto, ignes quasi castra castris conferentes excitare. Nuntios etiam Quatimuzius per provincias suas, qui provinciales et clientes de parta victoria certiores facerent, dimisit; quae hi ex mandatis Regis omnia pleniora et uberiora renuntiare; et in testimonium capita duorum interfectorum equorum ostentare, et magnam Hispanorum partem concisam esse confirmantes, de reliquis facilem fore victoriam pollicitari; bono fortique animo provinciales esse jubere, ut in fide Regis, ut fas esset, permanerent, obtestari; neve committerent,

rent, ut cum sua infamia et periculo per summum scelus et ignaviam Regem suum desererent, et ab ejus excitata ad Hispanorum externae et ignotae gentis inclinatam fortunam desciscerent. Qua nuntiorum confirmatione, adhortatione et monitis factum est, ut civitates, quae nullam legationem de pace ad Cortesium miserant, constantius in Regis fide permanerent, inciperentque nostros dedititios, vicinos suos, incursionibus infestare.

XXV. Tertio igitur die, quam male a nostris pugnatum fuerat, Quanavacensium legati, quae civitas, cum esset sub Regis imperio, ad Hispanos desciverat, in castra venerunt, auxilium Hispanorum adversus Malinalcenses finitimam civitatem oratum, qui suos agros incursionibus vastarent, seque injurias Mexicanorum persequi dicerent, a quibus ad Hispanos descivissent, periculum et internecionem primum ipsis, deinde etiam Hispanis denuntiantes, seque Guiscanorum societate et auxilio usuros esse confirmantes. Cortesius, audita legatione, quamquam in ea rerum iniquitate suis perterritis, hostibus vero victoria insolenter elatis, nihil temere faciendum, nec de copiis minuendum judicabat, praesertim suis magnopere dehortantibus, qui non modo vim hostilem, sed amicorum etiam defectionem metuebant; committendum tamen non putavit, ne, si laborantibus clientibus auxilium negaret, sociorum voluntates alienaret, et hostium insolentiam, suisque contemtum augeret. Itaque Andreae Tapiae Hispanos octoginta et equites decem attribuit, cumque his auxilio Quanavacensibus proficisci jubet, et rem pro sua virtute

et

et consilio administrare : illud tamen nominatim mandavit, ut intra decimum diem in castra rediret. Is cum Quanavacam pervenisset, conjunctis civitatis copiis, in hostes, qui non procul aberant, movet, eosque praelio in planitie conserto fundit fugatque, et multis occisis, fugientes, et Malindeum sese recipientes, quod oppidum in summo montis erat, ad radices ejus equitatu maxime consectatur; nam ulterius equites procedere nequibant; vastatisque inferioribus agris ac aedificiis incensis, ad diem seque suosque in castra reduxit.

XXVI. Multis documentis bello Mexicano declaratum est, illarum mundi partium mortales, quos inter initia nostri magnopere contemnebant, non tam sua ignavia et animi imbecillitate ab Hispanis facile superari solitos esse, quam quia multis aliis rebus et bellicis adjumentis erant inferiores, et impari conditione cum nostris decertabant, qui paene inermes cum armatis, rei militaris rudes et quasi tyrones cum veteranis militibus, sine equis, sine tormentis et reliquo instrumenro bellico cum omni apparatu instructis depugnabant. Cum igitur nostri non cum muliebri animo viris, sed fortibus et mortem contemnentibus sibi esse rem adverso illo praelio maxime sensissent, nihil jam temere agendum, nec in hostem contemtim procedendum judicabant. Ceterum Cortesius, dum copiarum in expeditionem missarum reditus exspectatur, ne nostri timore dejectis animis a certaminibus abstinere viderentur, non desistebat quotidiana paene consuetudine partem copiarum in urbem immittere, quae oppidanos parvis praeliis lacesserent; jussis tamen praefectis nihil

temere agere, nec ad interiora urbis penetrare, sed ad fossam, quae ante plateam erat, repurgata, et firmo praesidio valloque munita velitari. Sed ne a castris quidem Alvaradi omnino quies erat, utique a sociis Tascalanis; quorum ductor Chichimecaclus, quem supra nominavimus, animadvertens, Hispanos post malam pugnam frigere, nec alacritate pristina ad irruptiones, ut prius, excitari, statuit ipse cum suis sine Hispanorum praesidio in urbem irrumpere. Itaque acie instructa, suos hortatur in hostesque movet, qui sublati pontis fossam et vallum obsidebant; quibus repulsis, occupatoque loco, quadringentorum sagittariorum, qui arcubus praeliabantur, praesidium imposuit. Ceteri, loco trajecto, refugientes oppidanos insequuntur, magna voce Tascalani ingeminantes, pugnatumque diu est acriter utrinque. Cum autem, multis illatis et acceptis vulneribus, Chichimecaclus receptui canere jussisset, oppidani Tascalanos redeuntes suo more acriter urgebant, magna fiducia et spe concepta, fore, ut, cum ad fossam ventum esset, haerentes aqua et impeditos opprimerent; sed cum eo ventum esset, Tascalani sese in aquam, ut erat constitutum, dejecerunt, presidioque sagittariorum, a quibus hostes repressi sunt, periculum vitaverunt, laetique in castra pervenerunt.

XXVII. Tertio die, quam Andreas Tapia a bello Malinalci in castra redierat, Otomitlanorum pacatae civitatis legati decem ad Cortesium venerunt, de injuriis Matalcicanorum expostulatum, qui agros ipsorum popularentur, aedificia incenderent atque diriperent, omnique clade belli vexarent, quique profiterentur, se,

Oto-

Otomitlanis, qui cum essent Mexicanorum clientes, ad Hispanos defecissent, debellatis, Hispanorum castra oppugnaturos, ut eodem tempore Mexicanis erumpentibus, Hispani undique circumventi opprimerentur. Has Matalcicanorum minaces etiam in Hispanos jactationes hoc facilius Cortesio legati probaverunt, quod in praeliis proxime ad urbem factis, Mexicani hoc idem periculum nostris denuntiabant, et Matalcicanos bellicosam et late patentem provinciam, sibique fidissimam jactabant et ostentabant. Itaque compluribus ex causis Cortesius legationem nec vanam nec contemnendam ratus, Gonsalum Sandovalum ad se vocat, et equites decem et octo centumque Hispanos pedites attribuit, cumque his et Otomitlanorum copiis, qui nostris auxilio venerant, quarum erat numerus sexaginta circiter millium, in Matalcicanos proficisci, eosque ab injuriis et maleficio prohibere, et celeritati studere jubet.

XXVIII. Sandovalus postridie ejus diei Otomitlanorum fines ingressus, hostes, qui eos ferro et igne vastabant, et oppidum recens diripuerant et incenderant, ad ripam fluminis conspicatus, in eos irruere parat: sed illi, conspectis equis, sese recipere coeperunt, bonam partem praedae et cibariorum, quae properantes morabantur, in itinere relinquentes, in quibus cibariis infantes assi, quos prandio sibi paraverant, horrendum Hispanis spectaculum, reperti; nec se prius hostes ex fuga collegerunt, quam flumen trajecissent; tum vero receptis animis in planitie constiterunt: ceterum Sandovali et equitum, qui agmen antecedebant, et celeriter affuerunt, ne primum quidem impetum sustinuerunt.

runt. Itaque fusi et palantes oppidum suum, quod inde passuum ad decem millibus aberat, profugiebant, quos equites consectantes, multos ipsi conciderunt, alios a tergo relinquebant, in quos pedites subsequentes, maxime Otomitlani, quotquot nacti essent, injurias persequentes, saeviebant: qua in fuga hostium duo amplius millia fuerunt desiderati, equites diu fugientes consectati, ante oppidum, quoad agmen perveniret, constiterunt. Copiis oppido appropinquantibus, oppidani, quique eo confugerant, sumtis armis, propugnare coeperunt, dum feminae puerique in arcem summo colli, qui erat in proximo, impositam, confugerent, suaque comportarent: sed cum nostrorum impetum diutius ferre non possent, ipsi quoque in fugam conjecti, sese in arcem receperunt. Ita oppidum, nemine jam repugnante, captum, direptum incensumque fuit.

XXIX. Postridie mane paranti Sandovalo arcem oppugnare, ab exploratoribus hostes ante lucem arce deserta profugisse nuntiatum est. Tum flexo itinere, Sandovalus in oppidum aliud hostile, quod in armis esse nuntiabatur, copias inducit: sed oppidani, quique oppido imperitabat, metu perculsi, depositis armis, accedentibus nostris obviam processerunt, quorum princeps supplicibus verbis Sandovalo dixit, se cum suis in Hispanorum fidem et potestatem venire, et imperata facere pollicetur. Hunc ille consolatus, hortatur, Cortesium adeat, qui libenter et perhumaniter in suam fidem et patrocinium recipere consueverit etiam male de se meritos, si modo facti eos poeniteat, ad sanitatem-

que

Digitized by Google

que redeant; ac simul rogat, quoniam ipse in castra redire properaret, ut idem cum vicinis et amicis ageret, ut qui in eadem causa essent, finitimarum civitatum exemplum sequerentur: quod ille ut recipit, sic praestitit diligenter, paucisque diebus Matalcicani, Malinalcani, et Cuiscenses legatos ad Cortesium de pace miserunt, magnoque usui nostris ad bellum conficiendum fuere.

XXX. Eorum praeliorum fama, quae Tapia et Sandovalus secunda fecerant, ut nostrorum erexit animos, sic Mexicanorum spem urbis tuendae minuit; nec tamen ab instituto susceptoque consilio revocavit patriae Regique suum officium ad extremum spiritum constantissime praestandi: jamque obsidio in diem quadragesimum quintum processerat, et oppidani non solum frumentatione et reliquo commeatu, sed etiam aquatione premebantur, et omnes circumjectae civitates ab ipsorum clientela et societate defecerant, et magna detrimenta praeliis paene quotidianis acceperant; tamen toto eo tempore nullum prostrati, et ad pacem et deditionem inclinati animi signum dederant; quamquam Rex adolescens, decem et octo annos natus, ad deliberationes de bello et pace non populum aut Senatum convocabat, sed tres aut quatuor adhibebat, quorum virtutem consiliumque maxime probabat.

XXXI. Cortesius igitur, desperata Regis sanitate, alia ratione bellum administrandum putavit; ac ne diutius iniquo loco cum obstinatis hominibus pugnandum esset, urbem exscindere, aedificia urere, ac domos, quocumque processisset, demoliri constituit, eo scilicet consi-

silio, ne nostris pugnantibus, ex fenestris et coenaculis, ut antea, noceri posset, simulque ut ad fossas et aquosos angiportus solide implendos, aedificiorum materia lateribus ac coementis abuteretur, quo locis omnibus solo aequatis, expeditis et complanatis, tutus esset agmini aditus et receptus; et item equitibus, quibus maxime fidebat, in omnes partes accessus incursusque pateret, ut aequata loci conditione, facilior esset vel expugnandi, vel quod Hispani cunctis votis expetebant, ad deditionem cogendi ratio. Haec animo cum sedisset sententia, amicorum sociorumque Principibus et ductoribus convocatis, quid habeat constitutum, proponit, consiliique rationes explicat, et sententiam comprobantes ac laudantes hortatur, ut in oppidum quisque suum opportunos homines mittat, qui *coarum* (hae autem sunt instrumenta rustica, quae Barbaris pro ligonibus erant) numerum, quam maximum possint, congerendum, et pro numero fabros et operarios in castra mittendos curent. Quo diligenter ac celeriter administrato, cum jam nostri sanatis vulneribus vires et animos recepissent, pulvisque tormentarius a colonia Veracruce, ut erat imperatum, et catapultae submissae fuissent, copias infestis signis in urbem inducit, quorum erat numerus centum amplius quinquaginta millium, simulque liburnas cum barbaricis amicorum naviculis bipartitas dierum superiorum consuetudine ad rem gerendam contendere jubet.

XXXII. Ad fossam et vallum, quae ante plateam erant, ubi ventum est, alteram firmiter impleverunt, ita ut numquam amplius fuerit exhausta; alterum, pulsis

sis

sis custodibus, solo aequarunt; intrantes frequentibus eam grandioribusque lapidibus impeditam offenderunt, quos oppidani disposuerant, ne discurrendi facultas equitibus, quos ut certam pestem verebantur, relinqueretur. Praeterea viam quamdam latiorem lapidibus eodem modo consperserant, et aliam coementis sine luto aut calce congestis inaedificaverant; sed a tanta multitudine facile fuit omnia expediri et lapidibus expurgari, ad fossasque et angiportus aquosos implendos utiliter accommodari.

XXXIII. Multis igitur domibus incensis ac dirutis, cum advesperasceret, ex more in castra reverterunt. Postridie eodem ordine servato, in urbem reversum est, et ad circum sacrum processum. Hic Cortesius praefectis, quid fieri vellet, cum imperasset, ipse in altissimam turrim, unde in omnes partes prospectus erat, conscendit, ut inde suis, quae visa essent, imperaret, moveret et cohortaretur. Hispani praefecti quidam in eam maximam curam, ut praeceptum erat, insistebant, ut fossae, quocumque processum esset, et angiportus aquosi firmiter implerentur, et impedita loca expedirentur; quo in opere ac diruendis aedificiis pars bona sociorum erat occupata. Ceteri Hispanis permisti cum hostibus acriter depugnabant; et cum vario Marte decertaretur, equites, qui diversi manus claudebant, cum nostri laborabant, subsidio eis procurrebant. Cortesius ex turre quasi multis locis praesens, subinde magna voce, quae videbantur, imperabat. Hoc modo cum quinque aut sex dies continenter pugnaretur, multumque proficeretur, quotidie tamen, appetente nocte,

co-

Digitized by Google

copiae in castra reducebantur, equitatu et reliquis Hispanis extremum agmen claudentibus; qui Hispani post adversum praelium nostrorumque fugam longis et validis hastis magnam partem praeliabantur, quod eae non solum ad hostes ex intervallo feriendos et propellendos, sed etiam in locis aquosis vel humore madentibus et lubricis ad firmiter insistendum erant opportunae. Nostros autem redeuntes, oppidani magno ululatu suo more insequi et ultimos carpere non desistebant, nisi quod equitatus subinde recurrendo, illatis vulneribus et territando, urgentes arcebat, nonnumquam etiam ex insidiis interceptos opprimebat. Quam hostium insolentiam ut reprimeret Cortesius, ad Sandovalum mittit, et quid fieri velit, ostendit. Ille postridie mañe quindecim equites ex suis et Alvaradi castris deductos afferens, Cortesio ad castra praesto fuit, quibus equitibus ad eos, qui Cortesii castra sequebantur, accedentibus, numerus crevit ad quadraginta. Horum Cortesius triginta ad castra manere jussis, cum reliquis decem copias in urbem ad rem gerendam praefectos inducere jubet, dareque operam, ut oppidani intra suas munitiones et fossas nondum impletas compellerentur, seque tempore cum reliqua turma affuturum esse confirmat.

XXXIV. Haec dum illi diligenter administrant, Cortesius paulo post meridiem affuit, opportunoque loco equites ad magnas aedes juxta plateam in insidiis collocavit, rebusque constitutis et imperatis, progreditur, et superiorum dierum consuetudine turrim conscendit. In hac turri sepulcrum erat magnifice constructum; quo disjecto eodem die Hispani quidam aurum cae-

caelatum invenerunt, quod drachmas amplius mille quingentas pendebat. Erat scilicet ad eas quoque partes moris Barbarici, ut justis exsequiarum solutis, cum Principibus defunctis, quae cuique carissima fuissent, in sepulcra conderentur. Cortesius, cum diu pugnatum esset, et jam advesperasceret, copias a praelio revocatas in castra reducebat, jamque platea transmissa, per viam latam, agmen urgentibus ex more hostibus, contendebat, cum novem equites, qui agmen claudebant, in hostes recurrere coeperunt; sed ita, ut aliquatenus progressi, timorem simulantes se sustinerent, seque celeriter ad suos reciperent. Haec semel et iterum, ut erat constitutum, cum fecissent, et promtissimorum oppidanorum magnum numerum in plateam elicuissent, qui tergis equitum se recipientium inhaerebant, Cortesius et equites, ad quos redierat, accepto, quod convenerat, signo scloppeti bombo, ex insidiis advolant, factoque in urgentes impetu, subito malo conturbatos in fugam conjiciunt; fugientesque per plateam et aperta loca consectantes, alios occidunt, alios a suis intercludunt, quos auxiliares Barbari partim vivos capiebant, plures necabant. Ita oppidani, quingentis amplius suorum, et quidem ex fortissimorum et primariorum numero desideratis, in urbem repelluntur, tanto terrore injecto, ut numquam amplius ausi sint, vel uno equite prospecto, sese in plateam committere, insidias scilicet reformidantes. Nostri laeti et incolumes in castra pervenerunt: sic oppidanis perterritis, nostri terra et aqua oppugnationem cunctis ex partibus urgere, et incursionibus nocturnis etiam nonnumquam vexare, do-

Digitized by Google

mos diruere ac solo aequare, fossas et angiportus aquosos implere: quibus rebus tantum profecerant, ut tota paene urbs equitibus etiam pervia facta esset, et a castris ad castra commeare liceret, foro etiam, quod supra demonstravimus, occupato. Quo cum intrasset Cortesius sine peditatu, paucis equitibus assectantibus, et a magna hostium multitudine ex coenaculis superioribusque locis conspiceretur, nemo tamen eorum in forum descendere audebat: nam loco aperto equitibus sese objicere, extremae dementiae ducebant.

XXXV. Cortesius, turri altissima conscensa, ubi multa Hispanorum et Tascalanorum, qui nuper capti immolatique fuerunt, capita offendit, hinc urbe quoquoversus diligenter considerata, ceteris partibus amissis, vix octavam ab hostibus retineri judicavit, qua tanta hominum multitudo contineri minime posset. Ceterum oppidanos extrema fame laborare, qua magnus eorum numerus absumtus fuit, indicabant tum alia multa, tum arborum radices et cortices ab esurientibus erosae, quae passim per urbem projectae cernebantur, ut vel ipsa fame ad deditionem compelli posse viderentur; quamquam illi nostros inter certandum de deditione commonentes, mentionem de pace facere vetabant. Nam sibi pro patria pugnando cadere, quam deditione voluntaria in hostium potestatem venire, honestius esse et optabilius, qui suorum quoque bonorum pretiosissima quaeque extrema desperatione igne corrumpere, vel projecta palustribus aquis occultare constituissent. Obstinatus igitur tum Regis, tum oppidanorum animus saepe frustra tentatus, cum magnam de-

Digitized by Google

deditionis desperationem afferret, tamen Cortesium, ut nihil intentatum relinqueret, duae res diversae cohortabantur; hinc humanitas et misericordia, ne tanta hominum multitudo brevi temporis spatio miserabiliter periret; illinc cupiditas, ne si quod reliquum urbis erat, vi expugnaretur, aurum et argentum ac pretiosae vestes a pereuntibus oppidanis corrumperentur, vel occultarentur, aut certe a sociis Barbaris diriperentur. Itaque diebus aliquot oppugnatione desistere constituit, ut Regi et oppidanis omnium rerum inopia laborantibus laxamentum aliquod spatiumque daret ad sanitatem redeundi, et saniore mente, quam timore et desperatione corrupisse videbantur, suae saluti consulendi, deque rebus suis non adhibita in consilium desperatione commodius constituendi. Quibus diebus machinatio quaedam ad saxa magni ponderis et trabes jaculandas accommodata (*trabucum* nostri nominant) quae fuerat in castris inchoata, in forum comportata est, et in orchestram sive theatrum, quod fori medium tenebat, imposita, quae quamquam nostris ad usum jaculandi nihil profuit, ut erat inepte fabricata, oppidanis tamen terrori fuit propter speciem et novitatem. Sed cum res non procederet, nec territamentis et minis quidquam proficeretur, nullum Regis et oppidanorum mutatae voluntatis indicium diebus aliquot nostris pace usis appareret; Cortesius oppugnationem renovare et urgere constituit.

XXXVI. In urbem igitur cum exercitu regreditur, quam feminis et pueris passim vagantibus refertam offendit, qui premente fame extra munitiones prodierant,

rant, seque hostibus, vel in servitute alendos, vel necandos offerebant, a quorum internecione socii Barbari aegre Cortesii et Hispanorum vocibus ac dehortationibus continebantur. Nam qui arma ferre possent, horum nemo pugnandi gratia prodibat. Multi tamen in coenaculis sedentes et inermes conspiciebantur, ad quos Cortesius ex suis mittebat, qui periculum denuntiantes, eos ad pacem et deditionem suis verbis cohortarentur, ut per eos denuntiatio, et Cortesii voluntas ad Regem perferretur. Sed cum nihil proficeret, et aliquot horas, siquid novi a Rege moveretur, exspectasset, praelio et oppugnationi instandum constituit, ut hostes in arctiores angustias redacti, solicitius de sua salute cogitare cogerentur. Dat igitur signum Cortesius, suosque hortatus, in hostes impetum facere jubet, eodemque tempore Petrus Alvaradus, ut convenerat, ex altera parte suas copias immittit; ita regio, mille circiter domorum, oppidanorum ad duodecim millibus concisis, expugnatur. Sed ne hac quidem accepta clade, Rex ad mentem sanitatemque revertit.

XXXVII. Insequente die, copiis in urbem reductis, a praelio tamen Cortesius abstinebat, si forte legatio de pace, quod maxime cupiebat et sperabat in horas, mitteretur; quo primarii quidam cives ex vallo et fossa, quo praesidii gratia convenerant, perspecto, ad eum nuntium, jussum properare, mittunt oratum, ut eo colloquendi gratia accedere ne gravaretur. Is cum aliquid novi consilii ab oppidanis initum esse ratus accessisset, unus eorum pro cunctis in haec verba prorumpit: „ Quid tu, inquit, Solis fili, nam te satu

„ So-

Digitized by Google

„ Solis editum esse non dubitamus, cur patris tui celeritatem non imitaris? Cur brevi spatio, ut ille circuitum mundi peragit, sic tu nobis hinc emigrare, „ et in coelum ad deum nostrum evolare cupientibus „ mortem inferre non maturas? “ His ille verbis oppidanos de salute desperare, et in sententia persistere, simulque eam gentem, quamvis barbaram, tamen de animarum immortalitate recte sentire declaravit. Quibus auditis, Cortesius nullo dato responso discessit.

XXXVIII. Erat inter captivos oppidanos ad castra Cortesii unus ex proceribus, vir magnae auctoritatis. Huic, etsi graviter erat vulneratus, Cortesius pollicitationibus persuasit, ut in urbem rediens, legationem de pace ad Quatimuzium Regem perferret, eumque suae fortunae Cortesii verbis, ac temporis admoneret, ejusque humanitatem ac benignitatem proponeret, et modis omnibus Regis animum a desperatione ad pacem et meliorem mentem avocare niteretur. Quo ille suscepto negotio, ab Hispanis reducitur, oppidanisque traditur, et ab eis reverenter pro personae dignitate recipitur. Sed ad Regem cum venisset, legationem exponere conantem Rex iratus prohibuit, eoque ad necem abstrahi, et ad aras immolari jusso, simul suos in nostros procurrere, praelioque lacessere jubet. Quo conserto, acriter ab eis pugnatum est, et unus equus venabulo, quod ex captivo ense coagmentatum erat, transverberatus. Itaque multis acceptis et illatis vulneribus, praelium appetente nocte diremtum est.

XXXIX. Postridie Cortesius trans fossam interrupti pontis quosdam sibi notos ex primariis civibus con-

Digitized by Google

conspicatus, et accedens colloquendi causa: „Quid vos, „inquit, Mexicani, vestrae salutis immemores, coeca „et stulta pertinacia et stupore torpetis? An non in- „telligitis res vestras esse tam male contractas, eoque „deductas, ut mihi facile sit Mexicanos omnes una „hora occidione caedere? Quam necessitatem mihi in- „vito a vobis imponi minime vellem. Vos igitur ex- „pergiscimini aliquando, et de communi salute cogi- „tantes, de mortifero somno Regem quoque vestrum „excitate, et sui officii his meis verbis, qui humani- „tate ducor, commonefacite. Non est prudentis Re- „gis, sed ne sani quidem, etiamsi res sit ad extre- „mum perducta casum, non habere temporis rationem, „nec suae suorumque saluti, quacumque ratione detur, „consulere, sed scientem et volentem in perniciem „ruere, et omnem civitatem, cui modis omnibus con- „sulere debet, sua ruina convolutam trahere. Ne gra- „vetur igitur ad me in colloquium venire, quod ipsum „sine suo periculo facturum promitto, persancteque „juro, ut de pacis conditionibus transigamus, quas ei „vobisque aequas, et pro tempore minime aspernan- „das daturum me polliceor.“

XL. Hac oratione permoti Mexicani lacrymantesque, suam se fortunam et periculum agnoscere pronuntiarunt, seque ad Regem evestigio Cortesii postulata et pollicita perlaturos esse dixerunt. His dictis abeunt, qui reversi paulo post Cortesio renuntiaverunt, Regem a colloquio non abhorrere; sed cum jam serum esset diei, negotium in crastinum circa meridiem rejecisse, et conveniendi locum forum venale dixisse. Hoc acce-

pto

pro responso, Cortesius, locum se tempusque probare, ac tempore affuturum esse dixit, laetusque discedit, ac tempore rediit. Et cum orchestram, de qua diximus, regaliter stratam, et prandium paratum esse jussisset, Regem certiorem facit; sed ille, mutata sententia, venire ipse noluit, sed viros principes quinque legatos misit, qui suam vicem cum Cortesio colloquerentur. Hi, cum ad Cortesium pervenissent, valetudinem Regis et timorem excusarunt; se tamen ab eo missos, ut de Cortesii voluntate postulatisque cognoscerent, ad ipsumque referrent. Cortesius hilari vultu legatos excepit, blandaque oratione compellavit, accepitque apparatu regio, qui tam cupide se appositis dapibus ingurgitarunt, ut appareret eos jam pridem famem non explevisse.

XLI. Cortesius, cum a legatis deditionis nullam fieri mentionem animadverteret, quam a praesente Rege, vel aequitate conditionum impetrari, vel denuntiatione periculi extorqueri posse confidebat, legatos post prandium in hanc sententiam paucis alloquitur. „De pace, quae utrisque quidem esset expetenda, sed „Regi et Mexicanis maxime salutaris, deque pacis „conditionibus, nisi cum praesente Rege transigi, vel „constitui nihil posse: proinde se Regem orare, et „pro jure humanitatis, qua homo homini sit a natu„ra commendatus, obtestari, ne gravetur ad se, qui „ejus saluti maxime consultum vellet, in colloquium „venire, quod illum sine ullo periculo facturum ite„rum atque iterum polliceretur, et persancte jura„ret. “

Hoc

XLII. Hoc accepto responso, legati suum officium et operam ad negotium conficiendum liberaliter polliciti, discedunt. Discedentibus nonnihil recentium cibariorum, ut Cortesius imperaverat, tributum: sed iidem legati duabus post horis cum munusculis xylinarum vestium reversi, de colloquio a Rege pro timore impetrari posse negaverunt. Ceterum vestes eo fortasse consilio missae fuerunt, ne Rex a duce liberalitate victus fuisse videretur, ut solent magnifici, accepto munere, majore praemio remunerari. Cortesius nihilo secius digredientes legatos monitis et pollicitationibus repetitis oneratos dimisit.

XLIII. Postridie mane iidem legati Cortesio ad castra praesto fuerunt, a Rege de colloquio missi, qui ea lege colloquendi causa Regem venturum esse dixerunt, si copiis auxiliaribus Cortesius extra urbem consistere jussis, cum Hispanorum dumtaxat praesidio in forum constituto tempore veniret; timere enim, ne ab illis circumventus, Cortesio et Hispanis invitis, opprimeretur. Accepit conditionem Cortesius, et rebus ita constitutis et imperatis, ut siquid lateret insidiarum, subsidio nostris celeriter venire posset, in forum cum equitibus et ceteris Hispanis circa meridiem pervenit: nam copias auxiliares ad plateam, ut convenerat, subsidere jusserat. Sed tres aut quatuor horas frustra Regis adventum cum exspectasset, indignatus se Barbaris haberi ludibrio, copias auxiliares evocat, et Sandovalum et Alvaradum, qui ad rem gerendam suas copias paratas habebant, et intentis animis, quid Cortesius juberet, exspectabant, certiores facit, omnibusque in op-

por-

Digitized by Google

portuna loca progressis, Cortesius, cum jam advesperasceret, perrumpendi signum dedit: quo accepto, liburnis etiam immissis, in hostes, parum aut nihil repugnantes, undique procurritur. Jam enim eos tela quoque defecerant, nec habebant ubi consisterent extra mortuorum cadavera, qui fame tetroque et pestifero odore perierant, quae cadavera jam pridem domibus occultabant, ne nostris cognita ipsorum infirmitate et jactura in contemtionem venirent. Itaque eo die nostris auxiliariis barbara et immani ac incredibili crudelitate in Mexicanos saevientibus, nonnullis captis, caesa sunt oppidanorum omnis sexus et aetatis supra triginta millia. Tantum valuit ad popularium perniciem Regis adolescentis temeritas et prudens piumque suorum consilium aspernandi pertinacia. Quamquam ego Quatimuzium non superbia et arrogantia lapsum fuisse puto, sed stupore ac perturbatione animi, quae in ea rerum iniquitate mentem ipsius alienaverit.

XLIV. Neque vero Hispani in tanta Barbarorum et tam immani saevitia insitae sibi humanitatis erant immemores, qui non solum ipsi ab inermium et supplicum caedibus abstinebant, sed solicitius etiam Barbaros magnopere dehortabantur: sed cum precibus et monitis parum, aut nihil proficerent, frustra in tanta sua paucitate, et illorum multitudine prohibere conabantur. Etenim Hispanorum numerus vix erat nongentorum hominum, Barbarorum autem auxiliarium amplius centum et quinquaginta millia ad urbis excidium concurrerant. Hac edita strage, Cortesius, cum tetrum cadaverum odorem ferre non posset, receptui canere jubet,

Digitized by Google

bet, et rebus, quae ad insequentis diei oppugnationem pertinerent, cum ducibus constitutis, discessit. Qui dies cum illuxisset, cum tribus majoribus tormentis copias in forum reducit, ubi Alvaradum cum suis offendit. Sandovalus enim, ut erat constitutum, ex altera parte ad spatium paludis, quod aedificiis interjectum late patebat, quo se hostiles canoae receperant, constiterat, et invadendi signum exspectabat.

XLV. Jam oppidani in eas angustias erant redacti, ut domibus multitudinem minime capientibus, multi se in canoas conjicerent, in primisque Rex ipse Quatimuzius, qui cum viris principibus remorum viginti canoa, inops consilii, ut opinor, et alienata mente vehebatur, nisi fortasse de fuga cogitabat. Cortesius tormenta producere, et locis opportunis ad rem gerendam collocari jubet, et reliquam partem urbis oppugnari, quoniam Hispanorum vita in locis aquosis tantae multitudinis concursu cominus dimicando periclitaretur. Sed tormentorum telis parum profici Cortesius animadvertens, antequam copias immitteret, quosdam de primariis oppidanis conspicatus, ad cohortationes redire, instans periculum iterum et saepius denuntiare, utque idem cum Rege diligentius agerent, obtestari. Quorum Xivacoo dux, cui Rex summam belli administrandi ac urbis tuendae tradiderat, appellatus a Cortesio: „Desine, inquit, Regem ad colloquium vocare, „cui certum est inter suos potius pugnando cadere, „quam ut tecum praesens sermones de pace conferat." Cortesius igitur, ne frustra diutius monitis et exhortationibus tempus tereret, duces auxiliariorum, uti

suos

suos ab inermium caedibus prohiberent, precatus, et omnes, ut Regis vitae parceretur, ut saepe ante, diligenter hortans, signum perrumpendi omnibus cupientibus dari jubet. Quo accepto, ea tota urbis regio, quo se postremo oppidani receperunt, celerrime capta est, nullis jam hostibus repugnantibus, quorum pars se in paludem dejiciebat, pars nostris supplex in potestatem permittebat.

XLVI. Eodem tempore classis nostra in hostilem incitata, eam facile dejecit in fugamque convertit, quam dum nostri fugientem consectantur, Garcias Folguinus unius liburnae praefectus, grandiorem canoam conspicatus, ex magnitudine et ornatu non ea gregarios homines, sed viros principes vehi judicavit, ideoque liburna in eam potissimum incitata accedens, jaculatores jubet tela in vectores intendere et periculum ostentare; quo illi perculsi, manu et voce Regem adesse significarunt, remigesque remos sustinuerunt; ita nostris conscendentibus, Regia navicula sine praelio capta est, ex eaque Quatimuzius ad Cortesium deductus, qui ad paludis aream, de qua diximus, ex coenaculo praeliantes perspectabat, et quae visa erant, imperabat; quo jubente cum Rex assedisset: „Ego, inquit, Cor-
„tesi, quae meae partes fuerunt, omni ope, ut me
„meamque civitatem ab hostili vi tutarer, diligenter,
„dum licuit, constanterque conatus sum. Nunc quan-
„do iniquitas fortunae me in hunc locum deduxit, de
„mea salute quid statuas, tui erit arbitrii; tamen si,
„quod optimum omnium fortasse fuerit, mihi hoc
„telo (ostendebat autem pugionem Cortesii gestamen,
„quem

„ quem manu contingebat) optatam mortem intuleris, „ te fortasse solicitudine aliqua, me certe miseria liberabis." Sed Regem Cortesius fortunae mortalitatisque memor perhumaniter consolatus, bono animo esse jussit. Sic Mexicano bello finis est impositus obsidionis die septuagesimo quinto, Idibus Augusti, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus vigesimus primus.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERUM MEMORABILIUM IN LIBROS VII.

DE REBUS HISPANORUM GESTIS AD NOVUM ORBEM

AB EDITORIBUS DIGESTUS.

Absconditus portus. 66.
Acacingus, Provincia Mutezumae. 129.
Acales, id est scaphae monoxylae. 76.
Accapichtlana, oppidum. 193.
Aguadus (Joannes) in *Hispaniolam* a Regibus jussus Almirantum in Hispaniam discedere jubet. 22.
Aguanilla, Provincia. 47.
Agueibana, Boriquenae insulae Regulus. 34. 39.
Aguilarius (Hieronymus) Astigitanus. 65. Naufragium facit. 65. Ad Majam Continentis Provinciam ejicitur. 65. Ad epulare sacrificium reservatur. 65. Cortesium de rebus suis omnibus certiorem brevi oratione facit. 65. Interpres. 124.
Aillonus (Lucas Vascus). *Vide* Vascus.
Alaminus (Antonius) navigandi peritissimus. 48. Gubernatorum navium praefectus. 59. Grisalvam ad ulteriorem navigationem propter littora continentis terrae dehortatur. 59.
Albornotium, Africae vestitus genus. 127.
Alexander VI. Pontifex Maximus Fernandi Regis consilium Barbaros in ditionem redigendi per diploma probat. 11.
Almansa (Ludovicus) 39.
Alvaradus (Gregorius) 218.
Alvaradus (Petrus) navis praefectus in Cubam insulam redit, et de terra continente investigata Jacobum Velazquem edocet. 58. Mexici praesidio relictus Regem Mutezumam custodit. 158. Mexicanos proceres inter saltationem invadit, et multis interfectis ornatu pretiosissimo eos spoliat. 162. Copiarum parti praeficitur, ut ex Tacuba urbe Mexicum obsideat. 203. Praesidium ab hostibus fossae impositum oppugnare aggreditur. 216. Ab hostibus facto impetu in fugam conjicitur, tribus Hispanis vivis interclusis, qui e vestigio immolantur. 216. Re infesta moestissimus agmen in castra reducit. 217.
Amigajaqua, Provincia in *Hispaniola*. 33.
Anacanoa, Caonabi Reguli uxor. 32. Capite plectitur. 33.
Araja, Provincia. 24. 42.
Arana (Rudericus) Cordubensis Hispanorum praefectus ad portum *Regalem* a Colono relictorum. 8.
Arcticus Polus. 10.
Argenteus portus *Hispaniolae* insulae. 18.
Aurifodinae ditissimae in *Hispaniola*. 29.

Autengum oppidum. 185.
Azoriae insulae meridiano circulo subjacent. 10. Earum situs et a Gadibus distantia. 10.

B

BAorubus saltus in *Hispaniola*. 33.
Baracoa, portus *Cubae* insulae. 6.
Barba (Petrus) interpres. 53.
Bebe bius Hispaniolae Rex. 26.
Boriquena insula, sive sancti Joannis. 34. Ejusdem situs. 34. Frugum aurique ferax. 34. A Joanne Pontio in ditionem redigitur. 34.
Bovadilla (Franciscus) *Hispaniolam* mittitur, qui Colonis succedat et gesti muneris rationem ab eis poscat. 30. Fratres Colonos vinculis astrictos in Hispaniam navigiis deportari jubet. 30.
Broma, id est caries a teredine producta. 99.
Builus Monachus Benedictinus, Pontifex Maximus Regionum nuper detectarum, Colonum sacris interdicit. 21. In Hispaniam evocatur, ejusque testimonio Colonus gravatur. 22.

C

CAhunabaca urbs. 196. Expugnatur. 196.
Cahunabacae Princeps pacem petit. 197.
Cajacoa *Hispaniolae* Rex. 26.
Cajoacana *sive* Cujoacana oppidum. 199.
Camacinus Mutezumae propinquus. 131.
Campecho Provincia. 46.
Canaria insula. 4.
Canariae insulae. 3.
Canoa navigii genus *Americanus* familiare et eas fabricandi ratio. 7.
Cantabria ferrariarum usu nobilis. 5.
Caonabus Regulus Hispanorum arcem in *Hispaniola* obsidet. 24. Fraude intentata ab Hispanis copiis capitur, et in Hispaniam missus cum fratre etiam capto in intinere aegritudine animi conficitur. 25.
Caparra colonia Hispanorum altera in Boriquena insula. 38.
Caribes, quorum inhumani mores describuntur. 7.
Carolus Caesar Cortesium sua merita jactantem gravi responsione increpat. 86.
Castellani vivente Isabella Regina soli trajicere in *Hispaniolam* permittuntur. 31.
Castilblanco nomen Zaclotanae impositum. 103.
Catherina vico imperitans, ad quem *Sanctus Dominicus* urbs condita est, Michaelis Diazii amore capitur. 20. Christianam Religionem accipit. 21.
Cazabia, radix ex qua panis conficitur. 34.
Caziques patrio vocabulo Reguli sic appellati in *Hispaniola*. 32. Tumultuari intendunt. 32. Ad quadraginta ab Ovando evocati et domo conclusi nefarie comburuntur. 32.
Cempoala urbs. 87. A Cortesio *Sevilla* vocata. 100.
Cempoalae Princeps ex suis mittit, qui unde Hispani veniant, cognoscant. 80. Alienum animum a Mutezuma gerit. 80. Cortesio obviam procedit. 87. Ejusdem Cortesio pollicita. 88. A Cortesio auxilium petit. 96.
Cempoalani ad Pamphilum Narvaëzium deficiunt. 157.
Chialcenses. 192. Hispanorum socii
et

Digitized by Google

et amici Istapalapae, Culuacanae, et aliarum urbium incolas ad deditionem compellunt. 214.
Chialum civitas. 193.
Chichimatletus Tascalanorum decem millibus praeest. 190.
Chichimecaclus Tascalanorum ductor in urbem sine Hispanis irrumpit, et pontis fossam et vallum occupat. 226.
Cholollа, urbs. 121. In gratiam et societatem cum Tascalanis redit. 127.
Chlolollae, situs fertilitas, et incolarum frequentia. 127.
Chlolollani tres ex popularibus ad Cortesium mittunt, deinde principes civitatis de Tascalanorum inveteratis simultatibus queruntur. 122. In vincula conjecti et deinde liberati. 126. Cortesium ex capsula gubernatoria omnia divinitus conjicere existimant. 127.
Chlolollanorum vestitus forma. 127.
Chululla urbs. 181.
Cibare in *Hispaniola*. 18.
Ciguaji. 24.
Cleomedes. 102.
Coae, ligonis genus. 230.
Coajucus flumen in Boriquena insula. 39.
Coautichana, oppidum. 185.
Colonus (Bartholomaeus) Christophori frater *Hispaniolae* praefectus. 18. Urbem Sanctum Dominicum condit. 21. Copias in hostes somno gravatos immittit. 26. Guarionexum Regem capit. 27. Severius agit, et a Roldano Ximene praetore dissidet. 27.
Colonus (Christophorus) navigationis princeps et auctor suscipiendae, indicium fidemque sequitur ad eam navigationem hominis cujusdam Lusitani. 2. Lusitani primum Regis, deinde Britanni animum tentat. 3. Ad Fernandum et Isabellam Hispaniae Reges recurrit. 3. Ex Palis solvit. 3. Temeritatis ab Hispanis nautis et militibus accusatur, qui mortem ei minitantur, nisi in Hispaniam classem re infecta reducat. 5. 6. Insulam primum prospicit *Guanahaniam*, et Deo gratias agit. 6. Goacanagarum Regulum bene muneratum dimittit. 7. Turrim aedificat et munit. 8. Humanissimas litteras ad Martinum Pinzonem scribit. 9. Hispanos ad portum *Regalem* remanentes Goacanagaro commendat. 9. Decem ex Barbaris in Hispaniam adducit. 9. Cursum in Hispaniam dirigit. 10. *Palos* redux pervenit. 11. Magna laetitia a Regibus Barcinone exceptus. 11. Gadibus solvit, et in insulam Guadalupi descendit. 15. *Hispaniolae* denuo appellit. 17. In *Regalem* portum progreditur. 18. Novam urbem *Isabellam* et arcem condere constituit. 18. Alterius continentis bonam partem et insulas adjacentes oculis lustrat. 21. In *Hispaniolam* redux migrationis consilium urbisque locum probat. 21. Imperium severius in suos exercet. 21. Builo Monacho cibaria subducit, ipsum sacris interdicenti. 22. In Hispaniam discedere jussus veste mutata et sordidatus Burgos ad Reges pervenit. 22. Apud Reges se crudelitatis purgat. 22. Ad imperium inceptumque in *Hispaniolam* redire jubetur. 22. Gadibus discedit. 23. In *Hispaniolam* redux victos Barbaros vectigales facit. 28. Sacerdotes et Monachos admonet, uti Barbaros curent in Christianam Religionem inducendos. 28. Cum fratribus vinculis astrictus in Hispaniam deportatur.

30. Expositus ad Gades, et in custodiam traditus jussu Regis liberatur. 30. Principum voluntate ad novas terras investigandas *Hispaniolam* revertitur. 31. Bovadillam, ne imminente tempestate naves solvat, frustra dehortatur. 31. Tertia navigatione margaritarum copiam ad Cubaguam insulam gigni cognoscit. 43.

Colonus (Jacobus) Christophori frater. 18.

Colonus (Jacobus) secundus Almirantus cum imperio tituloque Proregis in *Hispaniolam* revertitur. 35. Secundus Almirantus seu Christophori filius uxorem ducit Ducis Albani fratris filiam. 41. Cubam per Jacobum Velazquem occupat, et in ditionem redigit. 41.

Conceptionis castellum in *Hispaniola* erectum. 26.

Constantinus Princeps cultum Idolorum tollit. 12.

Corazaus insula. 24.

Corduba (Franciscus Fernandez) in terrae continentis et Jucatanae peninsulae conspectum devenit. 45. Vulneratur. 47.

Cortesius (Fernandus). 46. In societatem a Jacobo Velazque ascitus expeditioni praeficitur. 60. Jacobo Velazque expeditionem impedire conante difficultates omnes consilio et industria superat. 60. Cursum in Jucatanam dirigit. 61. In Cozumelam contendit. 61. Cozumelae Regulum ad accipiendam Christianam Religionem praeparat. 63. Duos captivos Hispanos ad Jucatanam recipere statuit. 63. Captivis duobus Barbaris libertatem dat. 69. Apostoli officio fungitur. 75. Deorum statuas comminui, et crucem opportuno loco collocari jubet, et ad fines Mutezumae Regis pervenit. 76. Ejus ad Teudillium Provinciae praefectum responsio. 77. Poena capitis, nequis aurum ex permutatione a Barbaris accipiat, interdicit. 77. Teudillium rogat ut Mutezumam de suo adventu certiorem faciat, ut conveniendi locus constituatur. 78. Cempoalae Principem alienum a Mutezuma animum gerere cognoscit. 80. In regnum Mutezumae animum intendit. 83. Jacobi Velazquis societate contemta classis sociorumque praefecturam sibi vindicat. 83. Ejus oratio ad milites. 83. Magistratus oppidi *Veraecrucis* constituit. 84. Imperio se abdicat. 84. Rursus a senatu populoque *Veraecrucis* rerum summae praeficitur. 85. Caesari ipsum increpanti graviter, sed moderate respondet. 86. Ad Regem Cempoalae nuntios mittit. 87. Cempoalae Regulo verba facienti respondet, et opem suam ipsi adversus Mutezumam pollicetur. 89. Quindecim dies ad Cempoalam moratur. 89. Cempoala discedit. 89. Sex Virgines a Cempoalae Regulo dono datas, sua sibi sumta, amicis distribuit. 89. Cum alio Cempoalae Regulo Mutezumae inimico colloquitur. 90. Mutezumae exactores tributorum in vincula conjicit. 91. Duos exactores vinculis solutos ad Mutezumam cum viatico dimittit. 93. Oppidum et arcem aedificat. 94. Teudillio declarat se morbo laborare auro medicabili. 94. Cempoalae Regulum cohortatur, ut Mutezumae jugum excutiat. 95. Exactores omnes liberat. 98. Cempoalam copias inducit, et Cempoalanorum sociorum exer-

exercitu adjuncto Tizapancincam movet. 96. Hostibus permixtus Tizapancincae arcis portam stricto gladio occupat. 96. Hanc arcem Cempoalanis tradit. 96. Quidquid auri et argenti vestisque partum erat, viritim distribuit. 97. Duos legatos cum rerum gestarum commentario et Veraecrucis oppidanorum epistola ad Carolum Regem mittit. 97. Sinistrorum sermonum auctores comprehendi jubet, eosdemque deinde liberat. 98. Ipsos ab obtrectatione non temperantes rursus in vincula conjicit, et in eorum quatuor animadvertens in officio omnes continet. 98. Mexicum proficisci et armis tentare statuit. 99. Naves omnes terebrari jubet. 99. Petro Hircio cum aliquot Hispanis ad Veramcrucem relicto Cempoalam contendit. 100. A Cempoalae Regulo obsides paucos et mille homines accipit. 100. Cempoala profectus quarto die Sicuchimatlam pervenit. 101. Ex Cempoalanis quatuor legatos Tascalam urbem mittit. 103. Tascalanos fines ingreditur. 104. Tascalanorum legatis respondet. 105. Maximam spem novi Orbis debellandi in equis sitam reputat. 106. Tascalanis pacem offert. 106. Opi divinae victoriam de Tascalanis acceptam refert. 107. Ad Tecanicum vicum castra munit. 107. Quinque aut sex vicos incendit. 107. Vicos amplius decem diripit. 108. Legatis Tascalanis respondet se civitati errata condonare, et cum ea pacem initurum. 109. Tascalanorum unum intentata morte injectoque terrore de popularium suorum consiliis exquirit. 109. Dextras amputari huic et quinque aut sex aliis Tascalanis, cui simili ratione extorta confessio, jubet, et ad suos dimittit. 109. Tascalanorum consilia proripit eos ante noctis crepusculum invadens, et in fugam conjicit. 110. Temeritatis incusatur. 111. Ejusdem ad milites oratio. 112. Militum levitatem, qui vanae superstitioni serviebant, verbis severioribus castigat. 117. Zimpancincum ingreditur, et re bene gesta in castra redit. 117. Mutezumae se vectigalem Hispaniae Regis fore pollicentis legationem accipit. 118. Tascalanos in suam fidem recipit, hortaturque, ut in fide et officio permaneant. 120. Suspectam habet Tascalanorum fidem. 120. Magna cum gratulatione ad Tascalam recipitur. 120. A Tascalanis de Mutezumae et Cholollanorum insidiis admonetur. 121. Nuntios Chololłam mittit, ut primi civitatis ad se veniant. 122. Chololłam oppugnaturum se et direpturum minatur, Hispane scripta epistola. 122. Chololłam ingreditur. 123. Insidias comperit Chollollanorum, et ipsorum primores in custodiam tradit. 125. Chollolanis principibus veniam deprecantibus, utpote a Mutezuma sollicitatis, duos Cortesius liberat, quorum auctoritate populares in urbem redeant; quo facto ceteros etiam abire patitur. 126. Ex capsula gubernatoria omnia divinitus conjicere existimatur. 127. Cum Mutezumae legatis de violata ab eo fide expostulat. 128. Ipsorum unum ad Regem proficisci sinit. 129. Mexicum ire pergit. 130. Montem ignem et fumum jaculantem per suos explorat.

rat. 130. Mutezumam salutaturus, ne Regem contingat, prohibetur. 133. Torquem ex vitreis gemmis sibi detractum Mutezumae ad collum injicit. 133. A Mutezuma duobus torquibus remuneratur. 134. Mutezumae respondet, et opinionem auget ejus Regem Hispaniae progeniem esse vetusti Mexicanorum Regis. 136. Deorum imagines et signa ex sedibus deturbari jubet. 139. Christi ac Virginis Matris imagines in Mexici templo reponit. 140. Mutezumae ceterisque Barbaris, ne victimas humanas amplius immolent, interdicit. 141. Consilium capit cogendi Mutezumam ut apud se habitet. 143. Mutezumae ferreas compedes injicit. 146. Mutezumae proponit, ut ipse et proceres suam quisque partem auri Hispaniae Regi ad opera quaedam conferat. 149. De Narvaëzii classisque adventu certior fit. 151. Litteras per Monachum ad Pamphilum Narvaëzium mittit. 154. Alteram epistolam per Sacerdotem Pamphilo Narvaëzio tradendam curat. 155. Mexico discessurus Hispanos ad urbem et arcem relictos Mutezumae commendat. 157. Chololiam progressus Joannem Velascum obvium habet cum CL Hispanorum manu. 158. Epistolam per Monachum a Pamphilo accipit. 158. Aliam epistolam per Sacerdotes a Pamphilo accipit. 159. Convento subscribit de colloquio cum Pamphilo habendo. 159. Fraude cognita de colloquio recusat et perfidiam per litteras exprobat. 160. Maxima celeritate usus Cempoallam intrat. 161. Turrim oppugnat et Pam-

philum comprehendit. 162. De motu Mexicanorum suorumque periculo cognoscit. 163. Ad Tascalam pervenit. 163. Copiarum censum habet Hispanorum peditum D et equitum LXX, cum quibus Mexicum magnis itineribus contendit. 164. Mexicum nemine obsistente ingreditur, et cum magna gratulatione a suis excipitur. 164. Inter pugnam a Mexicanis vulneratur. 165. Cum promtioribus in summam turrim evadit, et magna edita strage defensores acriter repugnantes occidit. 168. Eamdem turrim demolitur. 168. In arcem redit cum duobus dumtaxat equitibus, et cum Mexicanorum ducibus collocutus per Sacerdotum principem foedus percutit, et pacis conditiones firmat. 170. Conscenso equo cum nonnullis equitibus advolat et pontes recipit, et aegre in urbem revertitur. 170. Profectionem et fugam parat. 171. In terram continentem natando egressus cum paucis ad suos revertitur. 172. Capite duo vulnera accipit. 173. Fulcimenta lignea aptari jubet, quibus saucii milites nitentes paulatim incedant. 174. Consilium se in Veramcrucem recipiendi, ut ignavum et periculosum, accusat. 175. Ejusdem oratio. 175. Tepeacanam debellat. 180. Chulullam urbem pervenit. 182. Guaxicingum oppidum copias inducit. 182. Guacachullam ingreditur, et ejus auxilio freti oppidani Culuanorum praefectos, domibus oppugnatis, concidunt. 182. Culuanorum copias fugat et bona ex parte delet, castraque diripit. 183. Iscusanam progreditur et duos ex primoribus dimittit

tit ad suos proficisci jubens hortarique, ut cum liberis et uxoribus domum redeant. 183. Tredecim navigiorum materiem ad Tascalam laevigari et aptari, et ad Mexicanae paludis oram comportari jubet. 184. Ad *Hispaniolae* judicum conventum scribit, et hominum armorumque auxilia petit. 184. Tascalam revertitur. 184. Hispanorum censum habet. 184. Per Tezmolucum Tezcucum contendit. 184. Septum inter duas paludes a Barbaris interruptum transiens animadvertit, dolum tamen non intelligit. 187. Doli autem suspicione animo subeunte receptui canit et seminatans cum suis fluentum trajicit, et Tezcucum redit. 187. Totum tractum a Veracruce ad Tezcucum pacatum redit. 188. Cum Hispanorum manu et Tascalanorum triginta millibus in expeditionem proficiscitur. 190. Hostium magnum numerum fugat bonamque partem concidit, et Tacubam pervenit. 191. Hostibus significat et hortatur, uti resipiscant aliquando, et ad colloquium virum aliquem principem vocat. 192. Tezcucum milites reducit. 192. Per duos viros primarios Mexicanos legationem de pace ad Regem mittit, et epistolam scribit. 194. Gonzalo Sandovalo castris et coagmentandis navigiis praesidio relicto, ipse Tezcuco profectus castellum temere, et nequidquam tentat. 195. Sumto clypeo, ut alterius rupis locique naturam consideret, pedes procedit, et rupem occupat, cujus humanitatis edito exemplo commoti Barbari supra memorati castelli deditionem quoque faciunt. 196. Cahunabacam expugnat, et ejus Principem in clientelam recipit. 197. Suchimilicum occupat. 197. Equum labore fessum amittit, et magnum vitae discrimen subit. 198. Spem victoriae in equis maxime ponit. 199. Suchimilico incenso Cujoacanam progreditur castris opportunum locum ad Mexici obsidionem urgendam. 200. Hinc per viam coementitiam procedens vallo transverso potitur, et viam hanc et illam alteram, quae ab Istapalapa Mexicum ducit, armatis hominibus oppletas conspicatus, agmen Tezcucum reducere properat. 200. Navigiis deductis in fossam a Tezcuco ad paludem ductam passuum duobus millibus intervallo dissitam, copias recenset, quarum numerus nova manu ex pacatis insulis advecta non mediocriter erat auctus. 201. Nuntios dimittit ad socias et amicas civitates, quae auxilia amplissima mittunt. 202. Copias bipartito divisas tribus praefectis attribuit, qui seorsim Mexicum obsideant, ipse sibi ad praelium navale CCC XXV Hispanos rerum nauticarum peritos reservat. 203. Aquaeductum, qui dulcem aquam Mexicum ducebat, interrumpit. 204. Sandovalum Istapalapam proficisci jubet. 204. Nauticos XXV cum praefecto et tormento uno in singula navigia imponit et Istapalapam contendit. 204. In terram descendit et magna strage edita ad naves redit. 205. Vento secundo increbescente vela dat, et multis hostium canois depressis ceteras consectatur. 206. Castra alio in loco constituit consilio propter ejusdem loci opportunitatem mutato. 205.

Pul-

Digitized by Google

Pulvere omni tormentario casu quodam conflagrante per litteras a Gonzalo Sandovalo quidquid pulveris in suis castris esset, sibi mittendum curat. 207. Viam coementitiam circa castra concidi jubet, ut navigia possint in utramque partem commeare. 208. Mexicum, omnibus viis pedestribus, commeatu intercludit. 209. Auxiliares copias, parva manu apud se retenta, Cujoacanam rejicit. 209. Sandovalo et Alvarado cum suis copiis eodem tempore urbem oppugnare jussis, ipse acie instructa progreditur navigiis quoque viam utrinque legentibus. 210. Ipse praesens locum implendi opus urget, quo diligentius equitibus via muniatur. 210. Fernandum Cuzcuci et Culuanae Regionis Regulum constituit. 212. Partem navigiorum Sandovalo et Alvarado mittit, eosque de tempore renovandae oppugnationis constituto certiores facit. 213. Copias in urbem inducit, suis vetitis, ne ultra plateam Regiam progrediantur. 213. Magnum detrimentum et terrorem oppidanis infert per vias obequitando. 214. Incensis Regiis aedibus in castra se recipit. 214. Palustribus civitatibus in suam fidem receptis, domunculas ad castra aedificare jubet, commeatus et canoas suppeditare, et hostium domos incendere. 215. Copias in urbem iterum atque iterum inducit, pontibus numquam antea occupatis potitur, et fossas implet. 216. Trium Hispanorum ab hostibus immolatorum sortem dolenter fert. 217. Mexicanorum incolumitati pie ac humane prospicere cupit. 217. Desperata pace ac deditione, rebus omnibus in oppugnationem insistit. 217. Coacto concilio, partitis copiis urbem ex multis partibus uno tempore oppugnare decernit ad forum venale usque. 217. Alvarado et Sandovalo certioribus factis in urbem exercitum inducit. 218. Praefectis omnibus mandat, nequem locum interruptum post se relinquant. 218. Duo majora tormenta ad caput viae Tacubanae collocat. 218. Ad pedes desilit et signa in hostes infert. 219. Non satis nuntiis habita fide in fossam ipse procedit, quam male completam reperit. 220. Frustra suis inclamat, ut fugam sistant. 220. Nonnullis emergentibus manus porrigit. 220. In curam suis in aqua laborantibus subveniendi totus insistens, paene captus ab hostibus, ex eorum manibus eripitur a Francisco Olama. 220. Ab Antonio Quignonio recusans obstinato animo et paene alienata mente mortem praeoptans, atque ex brachiis apprehensus a praelio abducitur. 221. Ejus familiaris equum affert, quo se periculo eripiat. 221. In viam Tacubanam evadens copias in plateam placide reduci jubet. 222. Crure vulnus accipit. 222. Andream Tapiam cum Hispanorum manu auxilio Quanavacensibus proficisci jubet. 224. Desperata Mexicanorum sanitate, alia ratione bellum administrare, id est, urbem scindere, urere, demoliri constituit. 229. Fossam implet, vallum solo aequat, viam lapidibus expurgat. 230. Multis domibus incensis in castra revertit. 231. In altissimam turrim conscendit, ut inde suis, quae visa sint,

sint, imperet. 231. Equites ad magnas aedes juxta plateam in insidiis collocat. 232. Ex insidiis cum equitibus advolans D. amplius ex fortissimorum et primariorum numero interficit. 233. Oppugnationem urget, et forum occupat. 234. Humanitate et cupiditate ductus diebus aliquot oppugnationem omittit. 235. *Trabucum* machinationis genus in forum comportari imperat ad terrorem oppidanis incutiendum. 235. Nullis deditionis signis apparentibus oppugnationem renovat. 235. Urbem feminis et pueris passim vagantibus offendit, a quorum internecione socios Barbaros compescit. 235. Per eos Mexicanis denuntiat, ut deditionem faciant. 236. Dato signo urbis regionem mille circiter domorum, oppidanorum ad XII. millibus concisis, expugnat. 236. Sequenti die copiis in urbem reductis a praelio tamen abstinet. 236. Per nuntium a primariis civibus ex vallo, et fossa ad colloquium evocatur. 236. De illorum salute desperat, et nullo dato responso discedit. 237. Legationem de pace ad Quatimuzium Regem per procerem captivum mittit. 237. Quosdam sibi notos ex primariis civibus trans fossam interrupti pontis conspicatus monet, ut Regem, in colloquium venire ne gravetur, hortentur. 238. Accepto responso ad forum venale postridie redit, et prandio parato Regem certiorem facit. 239. Hilari vultu legatos Regis venire recusantis excipit, et apparatu regio appositis dapibus tractat. 239. Deinde eos iterum monet, ut Regi renuntient se illum orare, in colloquium veniat. 239. Discedentibus legatis nonnihil recentium cibariorum tribuit. 240. Eosdem munuscula xylinarum vestium duobus post horis Regisque mandata deferentes, monitis et pollicitationibus repetitis, dimittit. 242. Postridie mane conditionem a Rege propositam accipiens in forum pervenit, copiis auxiliaribus ad plateam subsidere jussis; sed cum tres aut quatuor horas frustra Regis adventum exspectasset, hostes invadit. 240. Tetrum cadaverum odorem ferre non valens receptui canit. 241. Insequenti die copias cum tribus majoribus tormentis in forum reducit. 242. Tormenta producit, et reliquam urbis partem oppugnat. 242. Sed antequam copias immittat, quosdam de primariis conspicatus ad cohortationem redit, utque idem cum Rege agant, obtestatur. 242. Duces auxiliariorum precatus, ut suos ab inermium caedibus prohibeat, signum perrumpendi dat. 242. Totam eam urbis regionem, quo se postremo oppidani receperant, celerrime capit. 243. Quatimuzium Regem jam captivum perhumaniter consolatur. 244. Mexicano bello finem imponit. 244.

Cozumela insula. 48.

Cruces in *Campechii* sacellis inventae. 46.

Cuba insula. 40. Ejus magnitudo et situs. 40.

Cuba insula reperta. 6.

Cubagua insula. 23. 42. Margaritarum dives. 42. Ejusdem situs. 42.

Cuiscenses legatos de pace mittunt. 229.

Culuacana oppidum. 199.

Culuani Cempoalanos fines incursio-

sionibus infestant. 96. Copias adversus Hispanos cogunt. 124.
Culuanorum nomen Mexicanorum Regum clientibus commune. 180.
Cumana fluvius. 42.
Cuzcuci Regulus Fernandus exercitum L. mille armatorum auxilio ad Cortesium mittit. 212.

D

DEi mons altissimus. 101.
Diazius (Michael) vulnerato commilitone in *Hispaniola* profugit. 20. Loci amoenioris et cibariis abundantis notitiam Colono praebet. 20.
Drachma, unciae octava pars. 150.
Durajanus Jaguacae regionis Princeps. 36. Hispani, num dii, an homines essent, dubitans, Salcedum altissima aqua immergi jubet. 36.

E

EVangelicae praedicationis vestigia ad novum orbem. 46.

F

FAlconeti tormenti genus. 86.
Fernandina insula. 40.
Fernandus et Isabella Reges Colonum cum *Almiranti* titulo navigationi praeficiunt, eique tres naves attribuunt. 3. Patrini et matrinae officium praestant Barbarorum, quibus a Colono in Hispaniam adductis baptismus est datus. 11.
Ferrea insula. 4.
Ferrum Mexicanis ignotum. 82.
Folguinus (Garcias) navigii praefectus regiam naviculam capit, ex eaque Quatimuzium ad Cortesium deducit. 243.
Fortis Ventura insula. 4.
Fortunatae insulae, 2.

G

GAdes. 15. Novae. 42.
Gaulipana oppidum. 174.
Gennadius, Africae Exarchus, paganos in ditionem bello redigit, ut subjectis commodius praedicetur Evangelium. 13.
Glutepeca oppidum. 196.
Goacanagaris Hispaniolae Rex. 26.
Goacanagarus Regulus Colonum convenit. 7. Colono nuntiat Hispanorum ad portum Regalem relictorum internecionem. 17.
Gomera insula. 4.
Gorgones insulae. 23.
Granata recipitur. 2.
Gratiae portus. 9.
Gratiosa insula. 23.
Grisalva (Joannes) quatuor *carabelis* praefectus. 48. Cozumelam insulam appellit. 48. Possessionem ejusdem insulae nomine Joannae Reginae apprehendit. 48. Jucatanam pervenit. 48. Cum Jucatanae Barbaris per Julianum interpretem colloquitur. 50. Principis Jucatanae fratrem alloquitur. 51. Tribus vulneribus acceptis receptui canere jubet. 52. Suum nomen flumini imponit. 55. Jucatanam peninsulam continentis partem esse intelligit. 55. In Sanctum Jacobum, urbem Cubae insulae principem, redit. 59.
Guacachulla oppidum. 180.
Guacachullae Princeps legationem ad Cortesium mittit. 181.
Guacachullani Culuanorum praefectos domibus obsessis concidunt. 182.
Guacajarima gens inculta in *Hispaniola*. 33.

Guachachiluani. 192.
Guadalupes oppidum Lusitaniae. 15.
Guadalupi insula. 15.
Guahava Provincia in *Hispaniola*. 33.
Guanabania insula primum reperta. 6.
Guaorocuja, Anacanoae propinquus, capitur, et capite plectitur. 33.
Guarabo flumen in Boriquena. 36.
Guarionexus Hispaniolae Rex. 26. Exercitu coacto in Hispanos movet. 26. In praelio capitur. 27. Libertas ei datur. 27. *Sotomajorem* coloniam invadit. 38.
Guastepeca oppidum. 193.
Guaticlana oppidum. 191.
Guaxiangum urbs. 180.
Guaxicingas Provincia. 181.
Guaxocingani. 192.
Guaxuta oppidum. 185.
Guazacalcus portus. 151.
Guerrerus (Gonzalus) Barbarorum more auriculas sibi intercidit et nares perforat. 65.
Guiscani Malinalcensium socii. 224.
Guzmanus (Christophorus) dum Cortesio periclitanti equum affert, perimitur. 221.

H

HAitia insula, seu *Hispaniola*. 6.
Hastarum usus in obsidione Mexicana. 202.
Hesperion ceras promontorium. 23.
Higueja regio tumultuatur. 32.
Hispalensis (Melchior) 18.
Hispani navigationibus totum fere orbem perlustrant. 1. Nautae Coloni temeritatem accusant. 5. Necem ipsi, nisi in Hispaniam ipsos reducat, minitantur. 5. Fame coacti canibus, serpentibus et lacertis in *Hispaniola* vescuntur, et aegrotant. 19. Morbum contrahunt, qui primum Neapolitanus, deinde Gallicus est appellatus. 19. In *Hispaniolam* relegati in magnam licentiam prolabuntur. 27. Barbaros non ut clientes, sed ut servos tractant. 28. Sine praelio Mexico potiuntur. 137. Habendi cupiditati temperare nesciunt. 137. Mexicanis intolerabilem injuriam per summam temeritatem et avaritiam inferunt. 162. In extrema fame equi in praelio interfecti ne corio quidem parcunt. 173. Saucios milites dorso deportant. 173. Ab inermium et supplicum caedibus abstinent. 241.
Hispaniae Regum voluntas et jussa de clientibus in *Hispaniola* non ut servis tractandis. 28. Reges praefectis suis in mandatis dant, ne bellum cum Barbaris, nisi indictum, et prius oblata pace, gerant. 106. Pietatis et Christianae Religionis potissimam haberi rationem mandant. 217.
Hirtius (Petrus) Veraecrucis oppidi praefectus. 100. Nautellam oppugnat. 144.
Hispaniola insula primum reperta. 6. Dedentibus se Barbaris in Hispanorum tandem ditionem cedit. 27.
Hispaniolae Reges quinque. 25.
Huaxiocingium oppidum. 184.
Huexocincana civitas. 121.

I

JAcobus (Divus) in praelio pugnans apparet. 73.
Jaguaqua regio in Boriquena insula. 36.
Janicus fluvius. 18.
Jaqueca Provincia in Boriquena insula. 39.
Insulae *Promontorii viridis*. 23.
Joannes II. Hispaniae Rex. 4.
Joannes Regius adolescens Fernandi et Isabellae Regum filius. 17.

Isabella portus. 9.
Isabella urbs a Colono condita. 18.
Iscusana urbs. 183.
Iscusanae Regulus Mutezumae propinquus. 183.
Istamistlitanus Regulus Cortesium indulgenter habet, et, ne Tascalanis fidat, monet. 104.
Istapala urbs, ejusque situs in salsa palude, et pulchritudo. 132.
Istapalapa oppidum. 186.
Istrisuchillus Fernandi Cuzcuci Reguli frater L. millium armatorum exercitum ad Cortesium deducit. 212.
Jucatana peninsula. 45.
Judaei Hispaniae finibus ejecti. 2.
Julianus Jucatanae linguae interpres. 50.
Jumenti genus in America nullum cognitum ante Hispanorum adventum. 79.
Justus (Joannes) cujus inscriptio ad vicum quemdam reperta est. 189.

L

LAncerotus insula. 4.
Lautepeca oppidum. 196.
Lazaro oppidum. 46.
Leucae Hispanae mensura. 10.
Lignorum jugum. 102.
Lucajorum insulae. 2. Repertae. 6.

M

MAgnetis vis admiranda. 10.
Mahodemoca Regulus fugatus a Joanne Portio. 39.
Maja provincia. 65.
Maizium frumenti genus. 19.
Malinalcani legatos de pace mittunt. 229.
Malinaleenses Guiscanorum societate freti Quanavacenses invadunt. 224.
Malinalcum urbs. 226.
Malindeum oppidum. 225.
Mariha argenti. 150.
Margarita insula. 23.
Margaritarum insula. 23.
Margaritus (Petrus) arcis in *Hispaniola* praefectus. 18. Ex *Hispaniola* in Hispaniam evocatur, ejusque testimonio Colonus gavatur. 22.
Matalcicani Homitlanorum agros populantur. 226. Infantes assos prandio sibi paratos in fuga relinquunt. 227. A Sandovalo fusi. 228. Legatos de pace mittunt. 229. Magno usui sunt ad bellum conficiendum. 229.
Materiae insula. 2.
Maurorum et Arabum exstinctum in Hispania imperium. 2.
Mexicani nummo carent signati metalli. 138. Merces non ad pondus vendunt, sed ad mensuram. 138. Victimas humanas immolant. 139. Hispanorum injuriis provocati Petrum Alvaradum et suas copias intra aedes oppugnant. 163. Hispanos rursus invadunt, Cortesium et LXXX. Hispanos vulnerant, arcemque oppugnant. 165. Captivos enses Hispanorum ad Mexicum interfectorum ostentant. 199. Pereunti patriae superstites se esse nolle praedicant. 217. Loco aperto equitibus Hispanis sese objicere extremae dementiae ducunt. 234. Cum principibus defunctis aurum et carissima quaeque in sepulcris condunt. 233. Suorum bonorum pretiosissima quaeque igne corrumpere, vel palustribus aquis occultare constituunt. 234. De animarum immortalitate recte sentiunt. 237. Non habent ubi consistant extra mortuorum cadavera. 241. Omnis sexus et aetatis supra XXX. millia occiduntur. 241.
Mexicanorum procerum mores. 142.

Mexicanorum Sacerdotum princeps ad arcem a Cortesio custoditur. 170. Foedus percuttit et pacis conditiones firmat. 170.

Mexicum in media fere palude situm. 132. Describitur. 137. Hispalim et Cordubam amplitudine exaequat. 137. *Temistitlana* etiam dicitur. 137.

Mexici palus. 131. Arx non longe ab urbe. 132.

Mona insula. 34.

Montegius (Franciscus) legatus a Cortesio et Veraecrucis oppidanis ad Carolum Regem in Hispaniam pervenit. 97.

Morantes (Christophorus) de novis terris investigandis cogitat. 45.

Moscobum oppidum. 47.

Mulierum promontorium. 61.

Mutezuma Rex. 76. Munera ad Cortesium per Teudillium provinciae praefectum mittit. 79. Cortesium ad se venire prohibet. 81. Cortesio mittit galeam aureo pulvere plenam, ut ejus morbo medeatur. 94. Se vectigalem Caroli Caesaris futurum arbitrio Cortesii per legatos pollicetur. 118. Chelollanos a Tascalanis alienat. 127. Decem aureos catinos Cortesio dono mittit, et se de exprobrata conspiratione purgare nititur. 129. Per legatos respondet, pergat porro Cortesius Mexicum ire. 129. Cortesium iterum atque iterum per legatos hortatur, ne Mexicum progrediatur. 131. Obviam Cortesio procedit. 133. Cortesium duobus torquibus remunerat. 134. Ejusdem oratio ad Cortesium. 134. Cortesium rogat ac liberius obtestatur, ne deorum signis violandis popularium animos offendat. 139. Religionem se et suos a Cortesio discere velle declarat. 140. Qualpopocae mandat, ut novam Hispanorum coloniam deleat. 144. Injussu suo affirmat duos Hispanos ad Nautellam interfectos. 145. Timore ductus in Hispanorum aedes migrat, ibique libera custodia tenetur. 145. Ferreis compedibus constringitur. 146. Procerum suorum Cortesio quoque adhibito concilium cogit. 146. Orationem habet, qua suos hortatur, Hispaniae Regis imperata faciant, atque illi tributa conferant, se vectigalem clientemque fore pollicitus. 147. Postulante Cortesio Proceribus imperat, ut suam quisque partem auri Hispaniae Regi ad opera quaedam necessaria una secum conferant. 149. Cortesio Mexico discedenti officia sua omnia pollicetur. 157. Per suum praesidem orae maritimae cum Pamphilo foedus et amicitiam init. 158. Hortantibus Hispanis, suis se ostendit, et eis, ut pugna desistant, imperat. 163. Per legatum Mexicani motus culpam in concitatum vulgum confert, et Cortesium orat, ut Mexicum ire pergat. 164. In coenaculum ab Hispanis admonitus se produci poscit, et suos alloqui parans vulnus capite accipit. 166. Tertio post die mortem obit, extraque arcem effertur. 167.

Mutezumae exactores tributorum in vincula a Cortesio conjecti. 91.

Mutezumae legati in Chelollanos conspirationis culpam conjiciunt. 128.

Mutezumae praetorium ad radices montium. 131.

Mutezumae frater Cortesio obviam progreditur. 132.

Mutezumae filius cum patre in custodia tenetur. 166. Mexico cum Hispanis discedens inter pugnam cum sorore interficitur. 172.

Nar-

Digitized by Google

N

NArvaëzii (Pamphili) nuntii a Veraecrucis oppidanis capti cum epistolis ad Cortesium Mexicum mittuntur. 143. Mexicum perveniunt. 154.

Narvaëzius (Pamphilus) a Jacobo Velazque cum classe et Hispanorum manu mittitur, ut Cortesium capiat, vel occidat. 150. Portum Sancti Joannis appellit. 152. Principes atque praefectos orae maritimae in colloquium vocat. 152. Adversus Cortesium instigat. 152. Eo sublato et suis copiis in suam potestatem redactis, sibi protinus domum redeundum confirmat. 152. Vascum Aillonum comprehendi jubet, et in insulam *Hispaniolam* reduci. 153. Sacerdotem duosque alios cum litteris et mandatis in Veramcrucem mittit. 153. Epistolam ad Cortesium per Monachum mittit. 158. Cempoalam occupat. 159. Aliam epistolam mittit, quae Cortesio tradita est Cempoalam contendenti. 159. De pacis conditionibus Sacerdoti mandat. 159. Convento subscribit de colloquio cum Cortesio habendo. 159. Bona fide non agit. 160. Duobus suorum promtissimis negotium dat, ut Cortesium in colloquio de medio tollant. 160. Eruto inter pugnam oculo in Cortesii potestatem pervenit. 162.

Nautella oppidum. 143.

Nauticae acus declinatio nuper observata. 10.

Nignus (Petrus Alfonsus) Cubaguam navigat, unde margaritarum triginta circiter libras refert. 44.

O

OCampus (Sebastianus) Cubam insulam tentat. 41.

Ochoa Caizedus (Lupus) de novis terris investigandis cogitat. 45.

Ojeda (Alfonsus). 21. Ad Caonabum legatus mittitur. 24. Cum Caonabi fratre praeliatur, et ipsum capit. 25.

Olcanus (Franciscus) Cortesium a Mexicanis apprehensum abstrahit, et ex eorum manibus eripit, sed ipse fortissime pugnans interficitur. 220.

Olinteclus Zaclotanae imperitans Cortesium liberaliter recipit. 103.

Olitus (Christophorus) cum equitibus triginta tribus, nonnullis peditibus Hispanis et ex auxiliaribus ad viginti millia ad Cujoacanam castra munire jubetur. 203. Cortesio periclitanti auxilium mittit. 207.

Optatus portus. 53.

Orchilla insula. 24.

Otomitlani ad Cortesium legati veniunt de injuriis Matalcicanorum expostulatum. 226.

Ovandus (Nicolaus) Bovadillae succedit in *Hispaniolae* praefectura. 31. Higuejam regionem tumultuantem compescit. 32. Quadraginta Regulos ad se per colloquii simulationem evocatos et domo conclusos nefarie comburi jubet. 32.

Ovietus (Fernandus Gonzalus) Hispanorum navigationum historiam contexuit. 1.

Ozama fluvius. 20.

P

P*Alacrana*, id est ingens aurea massa. 31.

Digitized by Google

Pali oppidum prope Gades. 3.
Palma insula. 4.
Palmetum alterius Continentis locus. 23.
Pinzon (Franciscus) 3.
Pinzon (Martinus Alfonsus) 3. Consilium Coloni de aliquot Hispanis ad Portum regalem relinquendis improbat. 8. Cum Colono in gratiam redit. 9.
Pinzon (Vincentius). 3.
Plagae orbis quinque, seu zonae. 1.
Pontius (Joannes) Boriquenam sive Sancti Joannis insulam in ditionem redigit. 34. In *Hispaniolam* revertitur. 34. Cum uxore et liberis in Boriquenam privatus redit. 34. Ad insulae praefecturam regio diplomate restituitur. 34.
Poregaris insula. 24.
Portucarrerus (Alfonsus Fernandus) legatus a Cortesio et Veraecrucis oppidanis ad Carolum Regem in Hispaniam pervenit. 97.
Possidonius doctissimus Mathematicus. 102.

Q

QUahutimoccus Mutezumae frater Hispanos Mexico dejicit, et in demortui Regis locum sufficitur. 186.
Qualpopoca Nautellanorum Princeps legationem ad Petrum Hirtium mittit. 143. Quatuor Hispanos interfici imperat Mutezuma auctore. 144. Cortesio a Mutezuma traditur. 145. Quaestione coactus crimen confitetur, sed Regem culpa liberat. 146. Rei capitalis condemnatus una cum ceteris culpam in Mutezumam confert. 146.
Quanavaca oppidum. 225.
Quanavacenses auxilium Hispanorum adversus Malinalcenses impetrant. 224.
Quancacucinus Regulus. 185.
Quatimocus seu Quatimucius Mexicanorum Rex exercitum mittit adversus suos clientes, qui ad Hispanos defecerant. 192. Deditioni mortem longe praeferendam esse confirmat. 217. Quadraginta Hispanos vivos juxta et interfectos diis immolat. 222. Provinciales et clientes suos de parta victoria certiores per nuntios facit, et ad fidem constantiamque hortatur. 223. Adolescens decem et octo annos natus ad deliberationes de bello et pace non populum aut Senatum convocat, sed tres aut quatuor viros, quorum virtutem, consiliumque maxime probat. 229. Procerem de pace legationem exponere conantem ad aras immolari jubet. 237. Non superbia et arrogantia, sed stupore ac perturbatione animi laborat. 241. Inops consilii cum viris principibus in viginti remorum canoam se conjicit. 242. Cum viris principibus, qui eadem navicula vehebantur, a Garcia Folguino captus ad Cortesium deducitur. 243. Ejus gravissima et miseranda ad Cortesium oratio. 243.
Quignonius (Antonius) praetoriae cohortis praefectus reluctantem Cortesium et ex brachiis apprehensum a praelio abducit. 221.

R

REgalis Portus. 7.
Roques insula. 24.

S

SAcrificiorum insula. 55.
Salazarius (Jacobus) Petrum Xuarem ami-

amicum vinclis liberat et multos Barbaros confodit. Barbarico more foedus init cum quodam Boriquenae insulae Regulo. 37. Servatis sociis ad *Sotomajorem* coloniam Barbaros in fugam conjicit. 38. Mahodemocam Regulum fugat Barbaris ad CL. concisis. 38.
Salcedus a Barbaris aqua altissima immergitur exploraturis, mortalisne, an immortalis esset. 36.
Salinarum promontorium. 23.
Sanctae Crucis insula. 16. 48.
Sancti Antonii promontorium. 45.
Sancti Joannis insula. Vide *Boriquena*.
Sancti Joannis portus. 151.
Sanctus Dominicus urbs in *Hispaniola*. 20. Nominis ratio. 21. Ejus situs hodiernus. 21.
Sanctus Jacobus urbs Cubae princeps. 41.
Semifalconeti bombardae genus. *69*.
Sandovalis (Gonzalus) praetoris administer. 160. Cempoallae turrim conscendit, et Pamphilum Narvaëzium capit. 161. Tascalam mittitur, ut navigiorum materiam deportantibus praesidio sit. 188. Ad Guastepecam hostes fugat. 193. Accapichtlanam castellum capit. 193 Tezcucum redit. 193. Ad Chialcenses subsidio iterum mittitur. 194. Copiarum parti praeficitur, qui Istapalapam diripiat, et Mexicum procedens accedente cum classe Cortesio e re nata consilium capiat. 203. Copias Cujoacanam deducit, et praelio ad pedes desiliens cum promtioribus interest, pugnansque in pede vulnus accipit. 208. Hispanorum manu attributa Otomitianis auxilio mittitur. 227. Matalcitanos fundit, et oppidum capit diripitque. 228.
Senatus ad *Hispaniolam* constituitur. 44.
Sevilla a Cortesio Cempoala vocata. 100.
Sicuchimatla urbs Mutezumae munitissima. 101.
Sotomajor (Christophorus) interficitur. 38.
Sotomajor parva Hispanorum colonia in Boriquena insula. 38.
Suchimilicum urbs. 197.

T

TAbasca provincia. *66*.
Tacuba urbs. 174. Capitur et diripitur. 191.
Tapia (Andreas). 218. Auxilio cum Hispanorum manu Quanavacensibus profectus hostes fundit fugatque, et ad constitutum diem in Cortesii castra redit. 224.
Tascala urbs. 103.
Tascalani legatos ad Cortesium mittunt. 105. Bellica virtute florent. 107. Ab Hispanis in fugam vertuntur. 108. A praelio discedunt nullo Hispanorum occiso. 108. Se per legatos et civitatem in potestatem Cortesii permittunt. 109. Cortesium de Mutezumae et Chollollanorum insidiis admonent. 121. Legatos ad Cortesium de pace iterum mittunt, et de rebus retroactis se purgant. 119. Sale et xylo carent, et nudi agunt, ne cum Mutezuma pacem cum aliqua libertatis jactura faciant. 119. Cortesium a consilio Chollollam adeundi denuo retrahere conantur. 123. Praesidium centum mille armatorum ipsi praebent. 123. Tacubam diripiunt atque incendunt. 191. Collaudati a Corte-

tesio laeti cum spoliis domum revertuntur. 192.
Temistitlana, seu Mexicum. 137.
Tenaica oppidum. 191.
Teocanicus vicus prope Tascalam. 107.
Tepeacana urbs. 180. Debellatur. 180.
Tescuquum oppidum. 164.
Testes insulae. 23.
Teuctius Cempoalanus Cortesium monet, ne legatis Tascalanis fidat. 109.
Teudillius provinciae praefectus. 76. Ad Cortesii classem mittit, qui commeatus polliceantur. 76. Cum hominum ad quatuor millibus commeatibus oneratis Cortesio adest, eique plumeas vestes aliaque munera tradit. 77.
Teuteclatus Tascalanorum decem millia ducit. 190.
Teutipillus Tascalanorum decem millibus praeest. 190.
Tevixuacana oppidum. 101.
Tezcucum oppidum. 184.
Tezmoluca oppidum. 184.
Tizapancinca oppidum. 95.
Tlacopa urbs. 172.
Torres (Antonius) classis praefectus naufragio perit ad *Hispaniolam*. 31.
Torus (Michaël). 39.
Trabucus machinae jaculatoriae genus. 235. In Mexici forum comportatus oppidanis terrorem infert propter speciem et novitatem. 235.
Trinitatis insula. 23.

V

Ucholubuscum oppidum. 200.
Utumienses legatos de pace ad Cortesium mittunt. 213.
Valdibia navis praefectus naufragium facit. 65. Ad impias deorum aras immolatur. 65.
Vascus Aillonus (Lucas) judex, legatus ad Velazquem mittitur, qui ei denuntiet, ne copias adversus Cortesium mittat. 150. Classem Narvaëzii sequitur in pacificationem se interpositurus. 151. Jussu Narvaëzii comprehenditur, et in *Hispaniolam* insulam reducitur. 153.
Vega (Fernandus) Gallaeciae Prorex. 44.
Velascus (Joannes) ad condendam urbem mittitur. 151.
Velazques (Jacobus) sexto post mense bellum conficit in *Hispaniola*. 33. Ad novas insulas et Continentem terrae investigandas mittit. 47. Classem in expeditionem mittere constituit, ascito in societatem Fernando Cortesio. 60. Expeditionem, commeatuum difficultatem augendo, impedire nititur. 60. Coactam classem Hispanorumque manum cum Pamphilo Narvaëzio mittit, ut Cortesium capiat, vel occidat. 150.
Veli promontorium. 24.
Venerei morbi origo. 19.
Venetiae. 137.
Veracrux oppidum a Cortesio conditur. 85.
Viperarum brevia. 65.

X

Xaltoca expugnatur. 191.
Xaragua provincia in *Hispaniola*. 28. 32.
Xicotenclatus Tascalanorum copiarum praefectus. 108. Post montes considet, Hispanos noctu invasurus. 109. Legatus a Tascalanis ad Hispanos mittitur. 119.
Ximenes (Franciscus) Cardinalis, Mona-

nachos mittit ad insulas administrandas. 44.
Ximenes (Roldanus) praetor in *Hispaniola* a Bartholomaeo Colono dissidet. 27. In *Xaraguam* regionem secedit. 28. Naufragio perit ad *Hispaniolam*. 31.
Xuares (Petrus) ab amico Salazaro vinculis liberatur. 37.
Xivacoo Mexicanarum copiarum dux. 242.

Z

ZAbana provincia in *Hispaniola*. 33.
Zacana provincia Mutezumae. 129.
Zacatania convallis. 102.
Zaclotana *Castelblanco* ab Hispanis nominatur. 102.
Zapuzala oppidum. 191.
Zimpancincum oppidum. 117.
Zonae, sive plagae orbis quinque. 1.

JO.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS

DE REBUS GESTIS PHILIPPI II.
HISPANIARUM ET INDIARUM REGIS,

LIBRI TRES
PRIORES OCTO REGNI EJUS ANNOS COMPLECTENTES,
SIVE HISTORIAM AB ANNO M.D.LVI.
AD M.D.LXIV.

Digitized by Google

SUMMARIUM

TRIUM LIBRORUM

DE REBUS GESTIS PHILIPPI II. REGIS HISPANIAE

AB EDITORIBUS DIGESTUM.

LIBER I.

I. CArolus Caesar Regnorum imperium in Philippum filium translaturus, inducias plurium annorum cum Henrico Gallorum Rege paciscitur, et e Belgio in Hispaniam navigat. Philippus tamen Regnum a bellis potissimum, annum agens vigesimum octavum, exordiri cogitur.

II. Pauli IV. Pontificis Maximi animus ab Hispanis aversus, ejusque studium illos a Regno Neapolitano depellendi.

III. Is, falsa delatione credita, Cardinalem Sanctae Florae, Camillumque Columnam Hispanarum partium in arcem Sancti Angeli conjicit, mortales omnes Romae commorantes arma in certa loca conferre jubet, et Talliacozii Principatum praesidiis occupat.

IV. Philippi Regis per Garsiam Lassum ad Pontificem legatio, qua de clientum injuriis, ejusdemque novis conatibus expostulat.

V. Pontificis ad eam legationem responsio nullam pacis spem afferens.

VI. Quamobrem Philippus Rex ad Ducem Albanum Neapolim mittit, mandatque, ut confecto exercitu Pauli Pont. conatus impediat. Lassus eumdem Ducem de Pontificis cura cogendi manus et Palliani reficiendi certiorem facere conatur; sed litteris interceptis, Lassus ipse aliique epistolae scribendae socii comprehenduntur, eisque tormenta intentantur.

VII. Paulus Pontifex Joannem Garrafam novum Palliani Ducem copiis omnibus Ecclesiasticis praeficit, et ad Henricum Gallorum Regem Cardinalem Garrafam mittit, qui facile illi Regnum Neapolitanum invadendum occupandumque persuadet.

VIII. Interea idem Paulus plures primores cives Romanos in custodiam dat, et, qui Ascanium Corgnam in suspicionem falsis criminationibus adductum compre-

prehendat, cum quadringentorum armatorum manu Velitras misit.

IX. Ascanii ad Ducem Albanum fuga; qui Dux Albanus copiis recensitis Neapoli proficiscitur, et Pontemcordum, Frusinonem et Ananiam occupat.

X. Romanorum civium et ceterorum Urbem incolentium timor. Pontificis praefectorumque diligentia in muris reficiendis, et pontibus Tiberis novis operibus inaedificandis.

XI. Alexander Columna a Romana juventute sese armare decernente urbanarum copiarum imperator deligitur. Is omnia ad defensionem parat. Equites etiam Galli e Mirandula, aliaeque manus Romam conveniunt. Julius Vitellus et Balthasar Rangonius habito delectu septem millia peditum et equites septingentos conficiunt.

XII. Paulus Pontifex in tanto suo Urbisque periculo Henricum Regem, qui dissimulanter adhuc ei auxilia suppeditabat, solicitare non desistit, ut palam bellum Neapolitanum suscipiat, et justum exercitum primo quoque tempore mittat.

XIII. Henricus speciem quamdam religionis et honestatis conatibus suis praetendens Reginaldo Philippi apud se Legato declarat, se ceteris in locis et rebus inducias sanctas habiturum; quod vero pertinet ad Pontificis injurias repellendas, ejusdemque jus in Regnum Neapolitanum tuendum, jam nunc ei bellum indicere.

XIV. Dux Guisanus Henrici jussu cum exercitu media fere hieme Alpes trajicit. Philippus injuriam dissimulanter fert, et Madrucio Cardinali Mediolano praefecto mittit, ne transitum Gallorum impediat, arces tamen et oppida praesidiis muniat.

XV. Veneti quamquam frustra a Pontifice adversus Hispaniae Regem solicitantur; legatione nihilominus ad hunc missa petunt, ne suas copias ex Ecclesiae finibus deducere gravetur.

XVI. Philippi Regis responsio, cujus summa haec est: „Si „Paulus Pontifex suos clientes „spoliatos restituat, ab armisque „discedat, se quoque occupata „oppida redditurum, et copias si„ne mora Albanum reducere jus„surum. “

XVII. Phoebus Cappella Senatus Veneti jussu, et Pontifice simul adhortante in Albani castra progreditur, ac utriusque postulata ad eum defert. Albanus eadem fere, quae Philippus, respondet: Pontifex conditionem aspernatur.

XVIII. Interea quinquaginta dierum induciae ex Albano impetrantur. Pontifex frustra iterum Venetos tentat ad bellum Neapoli-

litanum. Induciarum elapso tempore, Romani excursiones faciunt. Albanus copias contrahit, et levibus praeliis varia fortuna pugnatur.

XIX. Guisani exercitus in agrum Bononiensem adventus. Ejusdem Ducis ad Pontificem itus, et ad castra reditus. Civitellae obsidio. Albanus castris ad Vovam Juliam positis oppugnationem magnopere impedit.

XX. Philippi Regis edictum, ne quis suorum popularium Romae commoretur.

XXI. Frequentia in Latio tumultuaria praelia. Herculis Estensis excursiones. Henrici Regis de Belgicis finibus invadendis consilium.

XXII. Almirallius Regem admonet Duajum oppidum male esse munitum. Qui Almirallius casu quodam deceptus, re infecta, copias domum reducit. Philippus novis hisce contumeliis commotus omnem belli apparatum comparari praecipit.

XXIII. Ejusdem in Britanniam trajectus. Auxilia a Britannis decreta. Emanuel Philibertus Sabaudiae Dux Philippi jussu copias in Galliam inducit. Philippus Cameracum procedit. Philibertus Sanquintinum obsidione cingit.

XXIV. Illuc Almirallius subsidium inducit; sed Andolosius idem tentans cum magna suorum jactura funditur. Philippus tormenta et commeatus in castra, militumque subsidium mittit.

XXV. Comestabilis cum exercitu adest, frustraque Somae ponticulum occupare conatur.

XXVI. Novi ejusdem Comestabilis copias flumen trajiciendi conatus. Agamontis Comes cum equitatus parte fluvium trajicit; Philibertus cum reliquis copiis subsequitur.

XXVII. Praelio conserto magna fit Gallorum strages; Comestabilis ipse capitur, et quatuordecim hostium tormenta in castra reducuntur.

XXVIII. Aucto exercitu Philippus ad Sanctumquintinum in castra pervenit, omniaque, oppugnatione in diem quartum continuata, ad irruptionem parat.

XXIX. Oppidi Sanquintini ab Hispanis direptio.

XXX. Philippi de captivarum feminarum pudicitia tuenda solicitudo.

XXXI. Xatelletum per deditionem, Hannumque recipitur.

XXXII. Sanquintini moenia restituenda Philippus jubet, ibique, et Xatelleti ac Hanni praesidiis relictis, Philibertum cum exercitu in Galliam penetrare praecipit. Bruxellas revertente Philippo, ille Lute-

tetiam versus movet, Nelam et Rojam incendit, hiemeque appetente copias reducit.

XXXIII. His calamitatibus commotus Henricus Rex ad Guisanum mittit, ut omisso bello Italico domum exercitum reducere maturet. Communicatis consiliis Calesium invadere moliuntur.

XXXIV. Exercitu itaque in agrum Bononiensem inducto, Calesii praefetus, non exspectata oppugnatione, arcem tradit. In oppidum vero irrumpere conati hostes cum jactura repelluntur.

XXXV. Calesium tandem a Gallis recipitur; Guinesioque etiam oppido capto Henricus in Galliam interiorem revertitur.

XXXVI. Insequente anno copias auget, et bipartito Flandriam Termium et Guisanum Ducem jubet invadere.

XXXVII. Teunvillae a Gallis expugnatio. Vergarum et Dunquerquii direptio. Naves Gallicae a classe Britannica expugnantur.

XXXVIII. Termius Gravelinas obsidione cingit. Agamontis Comes eodem cum auxilio adest.

XXXIX. Hispani flumen Gravelinas praeterfluens trajicere conantur, Gallis frequentissima tela contorquentibus.

XL. Gallici equitatus fuga.

XLI. Peditatus etiam pedem referre cogitur. Magna Gallorum strages. Termius ipse et quidam alii proceres capiuntur.

XLII. Interea Philibertus ad Cameracum manus cogit, Galliam interiorem invasurus. Ad Marollum deinde stativa castra ponit; quo Philippus Rex exercitum conspiciendi causa progreditur. Philibertus vero ulterius procedens intervallo itineris unius diei ab Henrici castris considet.

XLIII. Galliae Comestabilis magno praetio se a Philiberto redimit, et Henricum ad pacem cohortatur. Philippus ab ea non abhorret, multumque tribuit Comestabilis gravitati.

XLIV. Legati utrimque ad disputandum de pacis conditionibus ad Cervani Abbatiam conveniunt. Inter haec Maria Britannorum Regina naturae concedit.

XLV. Pacis conditiones potissimae.

XLVI. Albanus Dux pactum matrimonium cum Isabella Henrici filia Philippi Regis nomine contrahit. Henrici ejusdem inter gratulationes miserandus obitus.

XLVII. Philippus vero, accepto Caroli Caesaris mortis nuntio, patri optimo filius optimus justa exsequiarum Bruxellis persolvit.

LIB.

Digitized by Google

LIB. II.

I. Eodem anno Alcaudeti Comes bellum in Tremezeni tyrannum Regis jussu suscipit; sed exercitu in Portum Magnum Oranumque trajecto, perfidia amicorum Maurorum fit, ut tormenta et commeatus portari nequeant.

II. Gabellum progressus Barbarorum fidem datam de camelis et commeatibus rursus frustra desiderat; quamobrem agmen siti et labore confectum Tacellam reducit.

III. In eo itinere omnia Comes diripit et vastat. His calamitatibus coacti Barbari expostulatum adsunt, et Nacarum legitimum eorum Regem in castra deduci petunt.

IV. Hoc incassum facto Comes copias Oranum reducere contendit.

V. Concilio igitur coacto jumentorum inopiae certa ratione providetur.

VI. Mazaganum septimo die perveniunt, et parvo negotio castellum recipiunt. Liburnae nostrae ab undecim Argeliae Regis actuariis navibus capiuntur.

VII. Alcaudeti Comes, neglecto Martini filii consilio, castra loco ad Mostaganum oppugnandum idoneum ponit, simulque ex perfuga hostium florentissimas res esse cognoscit.

VIII. Hispanorum timor. Praefecti consiliis communicatis Comitem adeunt eorumque sententiam Fernandus Carcamus exponit.

IX. Ejusdem Carcami oratio, qua veterum et recentiorum Imperatorum exemplis propositis Comitem libere et eloquenter admonet, ut relictis tormentis ad Oranum cum exercitu sese recipiat.

X. Consentientibus ceteris Comes se illorum voluntati de receptu morem gesturum affirmat, de tormentis relinquendis negat.

XI. Hostes, Hispanorum profectione cognita, eos insequuntur. Utrimque acriter dimicatur.

XII. Hispani Mazaganum sese recipiunt. Comitis, qui in eo receptu obrutus, atque intercluso spiritu pernecatus est, laudes.

XIII. Tormentarii pulveris cadorum conflagratio.

XIV. Legatio de pace ac deditione ad Hazanum Argeliae Regem.

XV. Rex vicissim Legatum Mazaganum mittit, qui non ante Martinum Cordubam, ut conditionibus subscribat, persuadet, quam nuntiatur jam Turcarum praesidium in castellum esse receptum.

XVI. Nulla conditio a perfidis hostibus servatur.

XVII. Insequenti anno M.D.LIX. Philippus e Belgio in Hispaniam navigans foeda tempestate jactatur, Lareti portum tenet, et Valdolitum intrat.

XVIII. Fernandus Valdesius quaestiones adversus haereticos accuratius exerceri praecipit. Lutheranae pestis in Hispania auctores. Martini Lutheri propositum. Genesii Sepulvedae adversus eumdem opusculi mentio.

XIX. Haereticorum in Hispania princeps Augustinus Cazalla. Ejusdem concionantis magna solicitudo cavendi, ne quod verbum excidat.

XX. Cazallae vivendi licentiam secuti consilium.

XXI. Haeretici damnati in suggestum magna caerimonia producuntur.

XXII. Damnatorum nomina.

XXIII. Citatus Cazalla multis lacrymis sententiam in se pronuntiatam probat, ceteri intra silentium se continent.

XXIV. Omnes morientes Fidem Catholicam profitentur, ideoque prius strangulantur, quam rogis traduntur, praeter Ferreruelum, errorem pertinaciter retinentem, qui vivus flammis exuritur.

XXV. In Bartholomaeum quoque Carranzam Toletanum Archiepiscopum inquiritur, et impetrata a Pontifice Maximo facultate, Jacobo Ramiro eumdem comprehendendi negotium datur.

XXVI. Comprehensus Archiepiscopus Valdolitum deducitur, et aliquot annos causam e custodia dicit. Philippi Regis in ea re constantia.

XXVII. Is Valdolitum veniens alios haereticos coram se consuetis caerimoniis damnari et civilibus Magistratibus tradi patitur.

XXVIII. Eodem modo post aliquot menses ad Hispalim in Lutheranos animadvertitur.

XXIX. Philippus, inchoatum Isabellae matrimonium ad exitum perducturus, Episcopum Burgensem et Infantati Ducem Reginae obviam ad Regni confinia mittit.

XXX. Iidem ad Roscidam Vallem Isabellam Reginam salutant, eamque in Carpetaniam perducturi Pompelonem contendunt. Hujus civitatis gratulatio et publicae laetitiae documenta.

XXXI. Itineris ratio. Inechi Velasci Castellae Comestabilis eximia liberalitas.

XXXII. Isabellae Reginae Guadalaxaram advenienti Philippus et Joanna soror obviam procedunt. Reginae nuptiae ibidem ce-

celebrantur; omnesque simul Toletum, quo Castellae concilium indictum erat, contendunt.

XXXIII. Dragutes Tripolim occupat, et Caruani Regem finitimum spoliat. Is, missa Meliten ad Magistrum militum Sancti Joannis legatione, amicitiam suam et cetera omnia illi ad Dragutem communibus armis opprimendum pollicetur.

XXXIV. Philippus Rex ab eodem Magistro saepius solicitatus de bello Draguti inferendo cogitare incipit.

XXXV. Primum igitur omnium Methymnae Salonis Ducem exercitui, Joannem Andream Doriam classi praeficit, et in Italia omnia praesto esse jubet.

XXXVI. Navium Syracusas compulsarum et militum impositorum numerus, quorum plures morbus invalescens absumit.

XXXVII. Dux et Doria cum triremibus proficiscuntur et Meliten attingunt; sed vectoriis navibus, mutato vento, Syracusas necessario redeuntibus, triremes aliquot auxilio remittunt: morbo autem in milites adhuc grassante, conquisitores supplementi causa in Siciliam mittere coguntur.

XXXVIII. Militum Hispanorum ex praesidiis Neapolitanis adventus. Ducum cum longis navibus ad Meningem insulam appulsus, in cujus alveo duae biremes hostiles a nostris expugnari, vel incendi debuissent, ne per eas Dragutes Solymanum de suo periculo admoneret.

XXXIX. Christianos in terram ad aquationem descendentes Dragutes ad naves urgere pergit, et nostrorum hominum ad centum vulnerat, vel occidit. Ex hostibus multo plures cadunt.

XL. Ex Meninge cum classe Duces in Syrtem Pali perveniunt, non exspectatis novem triremibus. Ex his centuriones septem cum quinquagenis militibus praesidio aquantibus futuris in terram descendunt. Dragutes in insidiis cum equitatu delitescens, milites fere omnes, sociis et triremibus spectantibus et opem ferre negligentibus, concidit.

XLI. Ad Syrtem Pali universa classe conveniente Caruani Rex per nuntium se propediem affuturum pollicetur, quod neutiquam praestat. Nomades tamen trecenti commeatus afferunt. Meningem classis revertitur, ventis contrariis cursum in Tripolim impedientibus.

XLII. Expositis copiis hostes pelluntur. Dragutis praefectus quidam arcem deserit. Regulus eam, recreato animo, praesidio firmat.

XLIII. Reguli, se in Hispana-

D2 rum

rum clientelam permittentis, et Methymnae Salonis Ducem ad bellum conficiendum cohortantis legatio. Ducis ad eam legationem responsio.

XLIV. Arcem per Legatos Regulus statim dedit, quae Duci opportuna visa est ad stativa castra munienda.

XLV. Huic sententiae praefecti fere omnes refragantur: opus tamen inchoatur. Veterum Romanorum in castris muniendis diligentia.

XLVI. Interea commeatus et tormenta e Sicilia cum manu militari importantur. Ducis et Reguli colloquium.

XLVII. Dux in eam curam insistit, ut castra permuniat, domumque naves reducat, non exspectato Turcicae classis adventu.

XLVIII. Proregis Neapolitani litterae ejusdem Turcicae classis adventum nuntiantes, et auxilium deposcentes.

XLIX. Militum Germanorum preces, ne Dux se relictos deserat. A Melitensium Religiosorum militum Magistro nuntius adest, qui Turcicam classem jamjam adesse ostendit.

L. Variae praefectorum in eo periculo et festinatione sententiae.

LI. Post longam disputationem naves tandem onerariae confestim se vento dedunt; triremes mediocri spatio a littore digressae consistunt. Dux ad castra revertitur.

LII. Navium nostrarum fuga. Turcarum victoria cum magna Christianorum jactura et infamia.

LIII. Nautici militis egregium facinus. Captarum et servatarum navium numerus.

LIV. Doria ad castra se recipit. Berenguelus, Joannes Cardona, et Gaston Methymnae Salonis Ducis filius cum praetoria capiuntur. Flaminius Ursinus interficitur.

LV. Harum calamitatum causa et origo.

LVI. Joannes Doria cum Cerda Duce consilium init, tenebrarum beneficio inter hostiles triremes actuarias suas educendi, Alvaro Sandio cura castra tuendi demandata.

LVII. Actuariae silentio noctis egrediuntur et in Siciliam incolumes perveniunt.

LVIII. Piralius Bassa cum Dragute castellum obsident. Finitimi Afri se ab amicitia Christianorum avertunt.

LIX. Alvari Sandii et obsessorum diligentia. Christianorum milites delecti quingenti hostes noctu improviso adoriuntur et fugant; sed ad diripienda tentoria conversi vicissim ipsi fugantur.

LX.

Digitized by Google

LX. Hoc succeſu Turcae ſublati audacius quotidie munitionibus accedunt. Christianorum eruptiones et intolerabilis ſitis.

LXI. Aggeres quoque hostes excitant, et telis nostros intra castra infestant. Sandius nocturna eruptione extremum auxilii experiri statuit.

LXII. Ejusdem ad milites oratio.

LXIII. Hi Duce Sandio in hostes alacriter contendunt, qui ſua multitudine facile nostros rejiciunt. Ceteri in castra ſeſe recipiunt; Sandius et Martinus ad triremes confugiunt; quorum hic capitur, ille fortiter ſeſe defendens in triremem incolumis pervenit.

LXIV. Hoc animadverſo, Baſſa frequentibus telis tormentorum triremes quati jubet. Re ad extremum perducta caſum, Sandius prudenti conſilio deditionem facere constituit.

LXV. Ejusdem conſilii utilitas uſu comprobata. Doria enim renovata claſſe nostros ad Oranum ex maximo periculo eripit.

LXVI. Fernandus quoque Argotus Byzantio in Siciliam redux exſultantem Dragutem cohibet, multisque ejus militibus occiſis ad naves cogit confugere.

LIB. III.

I. Post duas inſignes calamitates, alteram ad Mazaganum, alteram ad Meningem inſulam a nostris acceptas, tertia ſequitur, triremium XXV. cum magna hominum multitudine in portu Ferraturae naufragium.

II. Joannes Mendoza cum XXXII. triremibus in Hiſpaniam evocatus, ut praedones Turcas reprimat, ex Italia Barcinonem venit, ubi IV. Alvaro Bazano filio tradit, ad Atlantici Oceani oram tuendam.

III. Cum reliquis in fretum Herculeum procedit, et neminem hostem offendens Malacam, deinde in Ferraturam portum claſſem compellit. Ibi ſaeviente Austro naves interclusae ſic affliguntur, ut omnes fere naufragio perierint.

IV. In eo naufragio mortalium tria millia deſiderata ſunt, et in iis ductor ipſe Mendoza, virique alii nobiliſſimi, pluresque praefecti. Gonſali Morilli bis a Turcis capti fata et miſeranda mors.

V. Superstites praefecti in curam convertuntur, quod e naufragio ſupererat, conſervandi. Nummorum argenteorum extractionis dolus quidam repertus.

VI. Navium confractarum ma-

materia omnis comburitur : ferrum et tormenta Barcinonem deportantur.

VII. Hazani Regis Argeliae consilium Oranum expugnandi, consentiente universa Mauritania.

VIII. Classe itaque Oranum navigare jussa, ipse per terram cum parte copiarum proficiscitur, et castra juxta Oranum longe lateque patentia locat.

IX. *Sanctorum* turris oppugnatio et deditio.

X. Argeliae Rex *Salvatoris* propugnaculum, et *Almarzam* principem arcem expugnare constituit. Alcaudeti Comes easdem praesidio firmat.

XI. Hazanus copiarum partem proxime *Salvatoris* propugnaculum deducit. Ejusdem arcis descriptio.

XII. Muri infirmitate considerata et contemta, omnia sibi Rex liberaliter pollicetur, et Turcis negotium dat fossam explendi, et murum conscendendi.

XIII. Turcarum arrogantia. Hi ad fossam usque procurrunt passimque nostrorum telis cadunt.

XIV. Nova multitudine accedente fossam implent, et scalas apponunt. Editur ubique caedes horrendo spectaculo. Hostes tandem re infecta cum jactura decedunt.

XV. Propugnatores ad exspoliandos occisos in fossam descendunt, et quadraginta capita amputata Oranum in scapha ad Comitem mittunt.

XVI. Hazani dolor, et consilium oppugnationem intermitendi, nec ante classis adventum repetendi.

XVII. Comitis singularis in reficiendis operibus diligentia, ac omnium suorum labor et sedulitas.

XVIII. Interea navis quaedam, commeatibus et pulvere tormentario onusta, Malaca proficiscitur, et in Oranum cursum dirigit; sed a nautis perterritis proxime Portum Magnum deseritur.

XIX. Gaspar Fernandus Comitis jussu scapham conscendit, et navim Oranum cum omnium gratulatione deducit.

XX. Classis hostilis Oranum pervenit. Commeatuum expositorum magna vis.

XXI. Ex tormentis vastioribus sex loco ad propugnaculum oppugnandum oportuno collocantur. Ejusdem propugnaculi praefectus militum supplementum a Comite accipit.

XXII. Propugnaculo magno impetu tormentis percusso, et aditu patefacto hostes irrumpunt; sed magna strage edita repelluntur.

XXIII. Martinus Corduba militum fabrorumque manum submittit ad munitiones reficiendas, quae officio suo functa Almarzam

zam

zam redit. Custodes, nullo a Comite subsidio accepto, rebus suis plurimum diffidunt.

XXIV. Praefectus igitur et centuriones novum sibi consilium capiunt, et ceteris persuadent.

XXV. Cuncti scilicet in unum locum coacti, et Christi imaginem venerati, se quoad vires suppetant, propugnaculum defensuros conceptis verbis jurant. Sed non multo post subsidium praeter opinionem paulo ante lucem adest.

XXVI. Insequenti die irruptio iteratur. Hazanus trecentis amplius ferreis thoracibus, et galeis indutis militibus negotium dat, ut sequentibus aditum aperiant, eos vehementissime cohortatus.

XXVII. Denuo igitur irrumpunt, sed post acerrimum pugnam ignibus ab Hispanis militibus in omnes partes jactis ad vallum se recipere compelluntur.

XXVIII. Quo animadverso Hazanus indignatus ad pugnam redire praecipit; verum re infecta rursus discedere coguntur.

XXIX. Eodem die vesperi summis copiis oppugnatio renovatur, sed incassum. Rex ipse scloppeti telo sauciatur.

XXX. Hostes per quatuor continuos dies tormentis propugnaculum concutiunt. Hispani in eo periculo et necessitate xx. homines ad Martinum in Almarzam mittunt consilii sui nuntios, quorum v. ad eum incolumes perveniunt.

XXXI. Custodes tandem omnes per medios hostes perrumpunt, et Almarzae munitionibus succedunt.

XXXII. Philippus Rex de Orani obsidione ex litteris Comitis Alcaudeti cognoscit, et Neapolitano Proregi mandat, ut classem Oranensibus subsidio mittat.

XXXIII. Andreas Doria hujus classis praefectus tempestate suborta ad majores Baleares rejicitur, duabus navibus desideratis, quarum causa auxilium ferendi occasionem negligit, et Barcinonem contendit. Hic Franciscum Mendozam imperii nautici summam jussu Regis obtinere intelligens, decreto, ut ipse interpretatur, sibi contumelioso commovetur.

XXXIV. Madritium itaque per equos dispositos exspostulatum venit. Gravis ad eum Philippi Regis responsio.

XXXV. Barcinonem redit, et cum Mendoza inde profectus Carthaginem novam cum classe progrediuntur, ubi Abbatem Lupianae, et Alvarum Bazanum cum triremibus offendunt, qui non procul Portu Magno diversi processerant, et austro reflante rejecti fuerant.

XXXVI. Hazanus, cognito classis in Hispaniam adventus, acrius oppugnationem urget, et mu-

murum octo maximis tormentis per novem continuos dies concutit.

XXXVII. Interea Hispani omnia ad defensionem diligenter parant. Eorum tolerantia et sobrietas.

XXXVIII. Martinus praefectus ignes artificiosos in fossa disponit tabulis occultatos, et tormenta ad portam ex obliquo collocat. Hostes duplici aditu patefacto se ad irrumpendum comparant.

XXXIX. Praemia ab Hazano proposita. Irrumpentium ordo; qui tam magno numero procurrunt, ut multis cadentibus, nemo tamen desiderari videatur.

XL. Scalis nonnulli murum conscendunt; sed a nostris trucidantur, et reliqui subeuntes rejiciuntur. Multitudo etiam ad interrupta concurrens repellitur, Rege prae dolore lacrymante, et pedem referre cogitur. Ex nostris duodecim tantum disiderantur, et in iis Almarzae praefectus.

XLI. Rex Hazanus oppugnationem per paucos dies intermissam renovat.

XLII. Peninsulam ad Almarzam nostris frustra propugnantibus occupat. Postridie casu quodam vallus ignem concipit, et hostilium tormentorum rotulae conflagrant.

XLIII. Duae speculatoriae naviculae, altera ex Malaca, altera ex nova Carthagine Oranum appellunt. Classis jamjam adventantis nuntius.

XLIV. Quod etiam Hazanus per exploratores cognoscens, omnem fiduciam in celeritate ponit. Hinc totus pedester exercitus, illinc viginti naves longae tormentis militibusque instructae adsunt. Magno impetu res geritur. Mille Turcae expositi scalis admotis murum conscendere conantur.

XLV. Hispani strenue sese defendunt. Tremezenii praefectus Hazano amicissimus vulneratur, et sese post saxum occultat. Rex certior factus Martinum per caduceatorem rogat, ut illi suos parcere jubeat. Martini responsio. Hazanus illius nomen indicaturum se negat, sed rursus idem orat, et, si impetret, obsidione se intra diem tertium Almarzam soluturum pollicetur.

XLVI. Martinus non pollicitis moveri se respondet; sed sua natura et morum facilitate ductus Regis votis annuit. In quintam jam horam certamine producto, Hazanus suorum stragem dolens receptui canere jubet.

XLVII. Tertio die per partes irruptio saepe tentatur. Martinus inter haec suos ad virtutem confirmat, qui artificiosis ignibus multum incommodi et timoris hostibus incutiunt.

XLVIII.

XLVIII. Sub solis occasum in castra sese omnes hostes recipiunt, et ab eo die cuncta remissius gerunt. Hazanus duas biremes artificiosis ignibus onustas ad oppugnationem renovandam ex Argelia deduci imperat.

XLIX. Hispanorum classis ad Oranum adventu Hazanus obsidionem solvit, et cum navibus et exercitu discedit.

L. Mendoza hostiles naves insequitur, quarum unam biremem, septem scaphas, et quinque navigia oneraria Gallica capit.

LI. Melitae urbis in Mauritaniae ora situs, antiquitas, et hodierna constitutio. Ejus agrum Barbaris infestantibus, nostri erumpentes praelium committunt, in quo Venegas praefectus vulneratur.

LII. Paucis diebus interjectis ab exploratoribus perfertur Sacerdotem quemdam magicis artibus potentem populares ad Melitam tentandam solicitare.

LIII. Venegas coacto concilio, quid fieri velit, ostendit. Barbari portas consulto a nostris patefactas offendunt. Ingressis vero cataractam nostri demittunt, et ignes artificiosos, scloppetorumque tela in hostes jaculantur; quo omnes dissipantur, et Sacerdos ipse vulneratus effugit, ad mille trecentis desideratis.

LIV. Sacerdos tamen fortunam rursus experiri statuit. Petri Venegae simulatus timor ei majores spiritus addit.

LV. Mauritaniae itaque magna parte in belli consilium perducta, et ingenti multitudine coacta, quibusdam caerimoniis superstitiose functi patentem portam ingrediuntur, nec ante subsistunt, quam ad fossam et moenia interioris oppidi veniunt.

LVI. Venegas signum dat portam occludendi, simulque tormentorum et scloppetorum telis intra et extra moenia res geritur. Barbarorum quadringenti capiuntur, ad tria millia pereunt.

LVII. Jam inde e Belgio Philippus Rex bellum in Gallos comparaturus nuntios et litteras in Hispaniam dimittit stipendii militaris gratia. A Castellanis, nonnihil etiam a Valentinis extra ordinem facile impetrat, ab Aragonensibus et Cathalanis nullis precibus.

LVIII. Ea repulsa Philippus exardescit, et animum ab iis gentibus avertit. Quinto tamen anno ab ejus in Hispaniam reditu exoratur et Montisonem ad concilium peragendum proficiscitur: ubi Carolus filius absens et aegrotus pro successore Regni recipitur.

LIX. Conventibus peractis Barcinonem procedit duos Mariae sororis filios intra pubertatem classe advectos excepturus, quos, ne haereticorum consuetudine vitii aliquid contraherent, ad se evoca

verat. Hos cum magna laetitia receptos Valentiam et Madritium deducit.

LX. Interea praedones perexiguae insulae beneficio usi, quam saxum ingens efficit Velezii ad Gomeram cognominatum, impune multa incommoda tum navigantibus Hispanis, tum oram incolentibus inferunt. Ex illorum numero Ajaja natione Turca onerariam navim ante Graum Rege ipso ex palatio per fenestram spectante captam remulco abducit.

LXI. Insulae natura munitissimae, et quae sine dolo vix capi possit, quemadmodum Caroli Caesaris principatu factum est, descriptio.

LXII. Philippus, calamitatum popularibus suis a praedonibus illatarum memoria renovata, illud hostium receptaculum magna quamvis mercede recipere statuit, idque negotium Garsiae Toleto dat totius officii maritimi praefecto, cujus virtus, ingenium et vigilantia in Aphrodisii expugnatione enituerant.

LXIII. Hunc igitur Rex in Italiam cum mandatis properare jubet, simulque Sebastianum Lusitaniae Regem in belli societatem vocat. Conquisitores etiam per Hispaniam et Germaniam dimittit.

LXIV. Garsias re diligenter administrata cum classe et Hispano milite veterano Malacam redit, quo conveniunt plures Hispaniae et aliarum gentium triremes.

LXV. Lusitana quoque classe in eumdem portum compulsa, Garsias omnes naves se subsequi jubet, et terram Africam attingit ad stationem, quae Alcalae cognominatur, abestque a saxo Velezio millium circiter sex passuum. Eodem die milites exponuntur, et montium latera occupantur.

LXVI. Postridie locus ad commeatus et cetera impedimenta deponendum communitur. Praesidio quoque firmatur arx vetus et deserta. Profectio deinde per terram in Velezium comparatur. Agminis tripartito procedentis ordo.

LXVII. Hostes pauci, seroque diei sese in conspectum agmini dant, atque eminus jaculando postremos lacessunt; sed non diu jaculatorum nostrorum impetum sustinentes, se fuga celeriter ad interiora loca recipiunt.

LXVIII. Garsias Toletus, Germanis considere jussis, cum reliquis Velezium pervenit, et ab hostibus desertum occupat. Arcis deinde propugnaculum tormentis conquassatum disjicit. Custodes proxima nocte partim naviculis, partim enatantes diffugiunt. Arx itaque sine contentione in Hispanorum potestatem pervenit postridie Nonarum Septembris anno M. D. LXIV.

JO. GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
DE REBUS GESTIS
PHILIPPI II. REGIS HISPANIAE

LIBER PRIMUS.

I. TRANSLATURUS Carolus regnorum imperium in Philippum filium, rebus omnibus nitendum sibi putavit, ut bellorum inter Christianos occasiones in longius tempus tollerentur, tum ut piorum bono publico, cujus semper fuerat studiosus, consuleret, tum ut ingenio filii miti, et ad pacem proclivi suffragaretur, et simul Henrici Gallorum Regis inquieti animo, et motibus occurreret. Itaque inducias quinque annorum cum Gallis, Henricoque paciscitur: his enim quiescentibus, neminem fore existimabat, unde bellum moveretur. Sic igitur altius, ut putabat, pacis fundamentis cum magna Christianorum omnium gratulatione jactis, laetus ipse cum Eleonora, et Maria sororibus in Hispaniam, Philippum ad Belgium relinquens, navigavit. Sed factum est caeca quorumdam hominum cupiditate et temeritate, ut Philippus regnum a bellis potissimum praeter omnium opinionem annum agens vigesimum octavum exordiretur. A quibus bellis ipsi quoque historiae initium capiemus. Nam de pueritia ejus et adolescentia usque ad eam aetatem satis, ut arbitror, est a nobis inter Caroli patris res gestas suis locis quaeque reddentibus commemoratum.

II.

II. Paulus IV. Pontifex Maximus patria Neapolitanus ex nobili Garrafarum familia in demortui Marcelli II. locum affecta jam aetate successit. Is, ut erat rerum novarum studiosus, et ab Hispanis alienum animum gerebat propter injurias, quas sibi ab eis in se, vel propinquis accepisse videbatur, nihil habuit potius initio Pontificatus, quam ut Hispanos Regno Neapolitano depelleret; quod facile fore putabat, si ad Neapolitanorum, civium suorum, studium, quod sibi largiter pollicebatur, Gallorum Regis Henrici amicitia bellique societas accederet, de cujus animo ab Hispanis averso nihilo minus prolixe sibi promittebat. Cum igitur per litteras et occultos nuntios Henricum solicitare coepisset; consilium suum emanasse ratus, omnes, qui Romae aderant, non solum Hispanos homines, sed etiam Italicos Principes Hispanarum partium, et Cardinales suspectos habere coepit. Itaque facile fidem quorumdam calumniis adhibuit, qui ad ipsum detulerunt Proceres quosdam saepe in Marci Antonii Columnae, nonnumquam in Cardinalis Sanctae Florae domum convenire, et consilia in ipsum Pontificem communicare jactantes indignantesque, quod Paulus ipse Gallis nimium favere, Hispanos, et Caroli Caesaris clientes et amicos odio habere videatur, eosdemque de his rebus, et Pontificis a Carolo Philippoque alieno animo ad ipsos perscripsisse, nuntiumque misisse.

III. Hac delatione credita, et pravae voluntatis conscientia timoreque perterritus Paulus Pontifex cohortem praetoriam novo delectu auget, et Cardinalem Sanctae Florae, Camillumque Columnam captos in molem Adriani,

ni, quam *Arcem sancti Angeli* dicunt, custodiae dat, primarios cives Romanos. Praeterea Joannam Aragoniam, Ascanii Columnae conjugem, cum nuru se domi continere jubet, ejusque filium Marcum Antonium, qui forte paucis ante diebus Roma discesserat, per edictum citat, seque triduo sistere judicio jubet, maximis poenis, nisi pareat, constitutis; eoque vecordiae processit, dum partim Romanos factionis Columnensis, partim Hispanos, qui Romae commorabantur, timet, ut per edictum omnes mortales cujusque nationis Romae commorantes arma in certa loca conferre juberet, cives in Capitolium, ceteros in molem Adriani. Marcum Antonium, cum in jus vocatus tempore non affuisset, damnavit, bonaque ejus publicavit, qui vivente et invito patre Ascanio Columna Talliacozii Principatum ante annum occupaverat. Quin etiam ipsum Ascanium illatis causis eodem modo indicta causa condemnavit, quamquam is eo tempore Neapoli in custodia jussu Caroli Caesaris tenebatur, ut ex vinculis causam diceret, cum esset delatum, eum cum Gallorum Rege per occultos nuntios et litteras de tradenda Neapoli collocutum. Bis igitur Principatum Talliacozii in patre et filio cum publicasset Paulus, et praesidiis occupasset, ex suis propinquis Joannem Garrafam Palliani Ducem fecit, hujus filium Marchionem Cavae, et Antonio Garrafae Bagni Comitatum attribuit cum titulo Marchionis Mirabelli, et Pallianum oppidum, quod est caput Principatus, novis operibus muniendum mandavit.

IV. His rebus cognitis Philippus conandum sibi statuit, siqua ratione posset malis venientibus occurrere.

Ita;

Itaque dehortandi causa ad Paulum per Garsiam Lassum hujusmodi legationem mittit: „Cum de motibus Ro-„manis et novo ipsius Pauli Pontificis Maximi consilio „in Columnarum potissimum familiae malum inito per-„latum esset, nuntium sibi pergravem, perque mole-„stum plurifariam accidisse; nam se tum suorum clien-„tum injuriis angi, tum publico Christianorum incom-„modo moveri, in quorum perniciem cuncta mala, „quae novi motus, nisi occurratur, portendant, reca-„sura videantur; multum etiam ipsius Pauli Pontificis „Maximi nomine moveri, cujus bonae famae optimi-„que nominis esset studiosus, non ignarus, id quod „esset probis omnibus et Catholicis persuasum et insi-„tum, fas esse Pontificem Maximum a Christianis o-„mnibus, ut patrem sanctissimum omni veneratione „coli, vicissimque ab eo tum paterna officia, tum „magnae in Deum Christum pietatis et sanctimoniae „virtutumque omnium praeclara exempla, praesertim ju-„stitiae, ac moderationis exspectare; itaque se etiam, „atque etiam demirari, quid ipsi Vicario Christi, qui „maxime omnium pacis auctor esse debeat a Christo „Apostolis et Petro, et in hoc Pontificibus Maximis in „primis commendatae, in mentem venerit ea conari in „ipso Pontificatus initio, rebus quietis et tranquillis, „quae, nisi mature mutato consilio provideatur, publi-„cam pacem et otium perturbatura esse videantur, pes-„simo exemplo, et christianae reipublicae his praeser-„tim temporibus pernicioso, quo de Ecclesiae Roma-„nae, cui ipse praeesset, statu et dignitate tanta con-„tentione disceptetur; cui Ecclesiae Pontificum sancti-

„tas,

Digitized by Google

„ tas, moderatio, et justitia plurimum suffragetur; ora-„ re, ut ab injusto et pernicioso instituto desistat, et „ cum studium omne rerum novarum deponat, tum in „ primis Marcum Antonium Columnam in suum Prin-„ cipatum restituat, ne si aliter statueret, sibi, qui „ amici et clientis injurias nec pie, nec honeste neg-„ ligere possit, necessitatem imponat, ut, quod ju-„ stis precibus impetrare nequeat, hoc quacumque a-„ lia ratione justa assequi, invitissimus licet, enitta-„ tur. "

V. Ad hanc legationem Paulus pauca respondit: „ Quod Ascanii Columnae et Marci Antonii filii bona „ publicasset, id se optimo suo jure fecisse, nulla nec „ divina nec humana lege violata; illos enim multa „ commisisse, cur damnandi esse viderentur, et suae „ ditionis, ac juris homines in jus a se vocati venire, „ ac respondere neglexissent; nec justam aliquam sub-„ esse causam, cur secum Philippus Rex expostularet, „ aut injustitiam objiceret, quin magis ipsum esse in-„ justum, qui se conaretur in suo jure interpellare; „ quod vero denuntiaret, sibi clientum injurias non esse „ negligendas, se vero nemini vim, aut bellum per in-„ juriam illaturum, siquis lacessiverit, daturum operam, „ ut vim repellat, Sedisque Apostolicae, et sua jura „ tueatur, in quo speraret, sibi nec divinam, nec ho-„ minum amicorum opem defuturam. "

VI. Hoc cum esset per litteras renuntiatum, Philippus vehementer est commotus; non enim parvam melioris, saniorisque mentis desperationem Pontificis responsum afferebat, et omnia ad seditionem, et ar-

mo-

morum contentionem spectare videbantur. Itaque ad Fernandum Alvarum Toletum Ducem Albanum, qui Neapolim pro Rege ipso Philippo procurabat, mittit, perque litteras mandat, ut confecto exercitu injustos conatus Pauli Pontificis impediat, illudque potissimum enitatur, ut Marcum Antonium in suum Principatum restituat, atque bellum ita gerat, ut omnes intelligant, se invitissimum ad arma venisse non cupiditate, non odio ductum, sed hoc unum agentem, ut ab amicis et clientibus injurias propulset. Cum in curam cogendi manus, et Palliani reficiendi Paulus totus insisteret, Garsias Lassus, quem supra nominavi, epistolam notis ad Ducem Albanum exaravit, in qua ipsum de rebus, quae Romae gerebantur, certiorem faciebat, simulque hortabatur, ut copias coactas primo quoque tempore Pallianum induceret, quo facilius id oppidum, antequam plane munitum esset, reciperet. Hanc epistolam Lassus per Jo. Antonium Tassum tabellariorum Caroli Caesaris praefectum tabellario dedit homini noto, et cum litteris Neapolim ire et redire solito. Is pedibus iter ingressus, ne invectus equo litterarum suspicionem daret, cum Tarracinam processisset, ab ejus oppidi praefecto conspectus agnitusque ad cauponam eo ipso, quo fallere posse putabat, se prodidit, suspicionemque movit. Itaque comprehensus ab eo est, et cum interceptis litteris Romam remissus; quibus litteris per homines peritos explicatis, Garsias Lassus comprehensus est, et custodiae in molem Adriani datus, cumque eo Jo. Antonius Tassus, de quo modo mentionem feci, et Capilupus Herculis Gonzagae Cardinalis domesticus, qui fuerat notarum auctor, et li-

librarius, quibus omnibus tormenta intentata sunt, Tasso etiam adhibita.

VII. Paulus Pontifex, cum undique timore et cupiditate animum exagitante, totus in bellum insisteret; Jo. Garrafam, quem Palliani Ducem ab eo constitutum fuisse diximus, copiis omnibus Ecclesiasticis cum summa potestate praeesse jussit. Is Camillum Ursinum, magni in re militari usus, magnaeque auctoritatis virum, omni peditatui Urbisque praesidio praefecit. Camillus filium cum mille peditibus Perusiam mittit, ut praesidio id oppidum obtineret; Paulus ipse ad curam Urbis Romae reficiendae ac muniendae convertitur; jam enim perlatum erat Ducem Albanum, exercitu ad Neapolim coacto, profectionem Romam versus comparare. Ad Henricum quoque Gallorum Regem ex suis domesticis et propinquis Cardinalem Carolum Garrafam cum liberis mandatis mittit, ut inita amicitia bellique societas majore auctoritate confirmaretur, ac de conditionibus transigeretur, et, quid fieri velit, ostendit. In Galliam Carolus Garrafa Cardinalis Gallicis triremibus ab Henrico, ut per litteras impetratum fuerat, devectus magna gratulatione ad aulam exceptus est, et ab Henrico indulgenter habitus. Ille vero exponenda legatione de suspiciendo bello Neapolitano multa congessit, quibus facile Regi persuasit, id quod Pontifex non dubitabat, rem fore in expedito; incepto tantum opus esse; Neapolitanos enim ab Hispanis propter acceptas injurias animos alienissimos gerere; Paulum Pontificem, ut civem et vindicem libertatis, facile in se omnium popularium animos conversurum, modo adsit exercitus,

cujus presidio exactis Hispanis tuti esse queant. Talibus igitur pollicitis Cardinalis facile Regem in Pontificis sententiam perduxit; plus enim valuit apud Henricum insita, et inveterata in Hispanos Principes simultas, et regni Neapolitani cupiditas, quam induciarum data fides, et juris jurandi religio. Itaque Regni illius invadendi, et occupandi occasionem saepe a Gallis captatam cunctis rebus sibi praeferendam putabat; nam ejectis quacumque ratione Hispanis, et oppida praesidiis Gallicis obtinentibus, nihil fore intelligebat, quod posset suis cupiditatibus obsistere. Res igitur ex voluntate Pauli Pontificis cum Cardinale constituta est, et Henricus omnia liberaliter pollicetur.

VIII. Interea Paulus Romanorum vim insidiasque metuens ex primoribus civibus Camillum Columnam, et fratrem Archiepiscopum, Julianumque Caesarinum captos in molem Adriani custodiendos misit. Ascanium Corgnam qui comprehenderet, Velitras missit, quo reficiendi oppidum, muniendique et praesidio obtinendi causa missus fuerat a Duce Palliani; quo munere dum diligenter et fideliter, nec sibi in labore parcens fungeretur, Paulo et Duci Palliani, cujus vicem quasi legatus gerebat, nescio quo pacto in suspicionem quorumdam litteris ex Perusia missis adductus est; itaque causis illatis a Duce revocatur, ac ut ad se venire properaret, jubetur, cum ille ex labore inusitato coepisset aegrotare, quo morbo Ascanius impeditus cum profectionem distulisset, crescente suspicione Papirius Capizuchus praefectus a Duce cum quadringentorum armatorum manu mittitur, qui comprehensum Ascanium Romam reduceret.

IX.

Digitized by Google

IX. De cujus accessu Ascanius cum cognovisset, id quod erat suspicatus, cohortem praesidiariam, quae Papirium quasi hostem repelleret, mittit, ipse interim per portam aversam conscenso equo cum paucis egressus Neptunum contendit, eoque celeriter advectus praesidii fidem, siquid opus esset, implorat, affirmans militarem seditionem in Velitris inimicorum scelere concitatam fuisse, seque sceleratorum manus vix effugisse. Itaque accedentibus equitibus, quos Papirius dolo patefacto in Ascanium retrahendi causa miserat, ex Neptuni praesidio jaculatores sese objecerunt, priusque Ascanius scapha conscensa periculum effugit, quam plane de Pontificis, et administrorum voluntate ad Neptunum cognosci posset. Ascanius autem cum paucis fidis comitibus Tarracinam et Cajetam legens incolumis Neapolim ad Ducem Albanum pervenit, a quo libenter est exceptus, et honorifice habitus, tribunusque militum constitutus. Confecto exercitu Dux Albanus copias recensuit. Hae autem fuerunt equitum ad duo millium, partim cataphractorum, partim levioris armaturae, peditum vero novem millium, in quibus Hispani censi sunt duo millia quingenti veterani milites. Cum his copiis et bellicis tormentis duodecim Neapoli profectus, Pontemcorvum primum, deinde Frusinonem et Ananiam occupat, non magno negotio vel contentione.

X. His Romam nuntiatis, magnus timor civium et ceterorum Urbem incolentium animos invasit, incommoda et calamitates reputantium, quas Clementis VII. Pontificatu ipsis exercitus alter Caesarianus invexerat. Nec enim satis praesidii esse in milite conducto vide-

Digitized by Google

batur, etsi jam Vascones mille veteres milites pervenerant ex Gallicis Corsicae praesidiis deducti, et totidem propediem cum Garrafa Cardinale exspectabantur, qui ex Gallia revertens Civitati veteri appulisse nuntiabatur, et Aurelius Fregosus cum mille quingentis Urbinatibus jam venerat, trans Tiberimque consederat praesidii causa. Summa igitur Pontificis praefectorumque cura non solum muri cum magna circumjectorum aedificiorum, et quorumdam fanorum jactura et detrimento reficiuntur, sed etiam pontes Tiberis novis operibus inaedificantur, et ad omnes casus muniuntur, ut si Urbs pro sua vastitate defendi non posset, regio saltem Transtiberina retineretur; quae ipsa diligentia cum praefectorum et militum diffidentiae magnam significationem praeberet, multo magis Romanorum solicitudo et timor augebatur.

XI. In ea igitur rerum iniquitate Romani, communicatis consiliis, cum sibi turpe simul et periculosum esse videretur committere, ut se quiescentibus, sua patriaeque salus ex aliena mercenariorum militum virtute penderet, Romanam juventutem armare statuerunt; sed quia primum omnium duce opus erat, ad quem recte summa imperii in armatos cives deferretur, de imperatore deliberantes omnes Alexandrum Columnam magnae virum auctoritatis et consilii, ac boni publici cupidum, et a factionibus abhorrentem probaverunt, et hunc sibi Urbanisque copiis Pauli Pontificis voluntate non invitum praefecerunt. Is popularibus, qui per aetatem arma ferre possent, recensitis, septem millium armatorum manum confecit, quos omnes cum suis praefectis paratos es-

esse jubet per regiones, quae tredecim numero sunt, habentque singulos praefectos ordinarios, qui *capita regionum* nominantur. Ex his milites unius regionis magistratibus destinavit, qui Capitolium tenent, *conservatores* appellati; ceteros in tres partes distribuit, qui, cum esset sive die, sive nocte ad arma conclamatum, in tria opportuna loca discurrerent, unde ab eo possent, quo res posceret, deduci ad vim hostilem in proximo repellendam. Nec tamen inter haec novae manus Romam convenire desistebant; nam equites Galli, qui ad Mirandulam in praesidio erant, Henrici Regis voluntate Romam deducti sunt; et item, qui ad Parmam cum Octavio Farnesio, qui nondum in gratiam cum Philippo leviro redierat, rediit tamen paucis post diebus, eique Placentia restituta est, et quidquid in Regno Neapolitano Margaritae uxori a Carolo Caesare patre dotis nomine fuerat contributum. Praeterea per Julium Vitellum et Balthasarem Rangonium, aliosque praefectos habito delectu confecta manus est peditum ad septem millium, et equites septingenti extra praesidia, quae Pallianum, Velitras, Sermonetam, atque Tybur obtinebant. Cum igitur Romae externum praesidium Vasconum, Germanorum et Italicorum succrevisset, copiae cum magnae auctoritatis praefectis ad murorum, portarumque custodiam, quo visum est opportunum, distribuuntur.

XII. Interea Pontifex, dum partim sibi Romaeque ab hostili exercitu, qui non procul aberat, timet, partim novorum imperiorum cupiditate flagrat, Henricum Regem de suo Romaeque periculo litteris nuntiisque re-

Digitized by Google

repetitis docere, ejusque fidem geminatis precibus implorare, simulque pollicitis, si res ex animi sententia, ut confideret, successisset, solicitare. Parum enim videbatur, quod Henricus Vasconum manum ex Corsica, equites ex Parma et Mirandula miserat, et totius Romani praesidii stipendium ex duobus tertiis partibus sustentabat, quae omnia dissimulanter faciebat, nisi palam Henricus idem bellum Neapolitanum susciperet, et justum exercitum primo quoque tempore mitteret.

XIII. Henricus igitur, qui Pontificis suamque cupiditatem cunctis rationibus potiorem habebat, cum nihil jam cunctandum sibi statuisset, ut speciem quamdam religionis et honestatis injustis suis conatibus praetenderet, Reginaldum ad se vocat, qui Philippi apud ipsum Legatus erat, et in hanc sententiam affatur: „ Graviter „se dolenterque ferre, quod Rex Philippus in publi„ca pace Paulum Pontificem Maximum, et Sedem A„postolicam bello lacesseret, cujus commodis, saluti „et dignitati ipse nec pie, nec honeste deesse quiret, „nec more majorum suorum Galliae Regum. *Hoc igitur*, „inquit, *Philippo Regi tuo meis verbis nuntiabis, quando „ipsius culpa commissum est, ut inducias inter nos pactae ser„vari ex omni parte non possint, me ceteris in locis et re„bus inducias sanctas habiturum; quod vero pertinet ad Pontifi„cis Maximi injurias repellendas, ejusdemque jus in Regnum „Neapolitanum tuendum, jam nunc ei bellum indicere.* "

XIV. Post haec Henricus in curam belli comparandi conversus Ducem Guisanum ad se vocat, magnae virtutis virum atque consilii, eique negotium dat, ac imperii summam, et, quid fieri velit, ostendit. Is conqui-

quisitoribus dimissis, Helvetiorum octo, Vasconum quatuor millia, equites cataphractos octingentos, levioris armaturae mille ducentos confecit. Cumque his copiis media fere hyeme movit, Alpesque trajecit, dum Romam, in Regnumque Neapolitanum omni festinatione properaret, praesertim cum a Pontifice perterrito nuntiatum esset, Ostiam ejusque arcem cum magno Romae propter interclusos maritimos commeatus periculo in Albani potestatem pervenisse. Philippus cognito Henrici consilio, (quid enim moliretur, non erat obscurum) tamen ut pacem, quatenus posset, retineret, et publicae quieti quoquo modo consuleret, injuriam dissimulanter tulit, et ad Christophorum Madrucium Cardinalem, qui erat in Mediolanensis Principatus procuratione mittit, ne transitum copiarum Gallicarum per fines Mediolanenses impediret, tantum daret operam, ne qua simulatione, vel fraude transeuntium caperetur; arces et oppida praesidiis muniret; cujus rei causa paucis post diebus Germanorum subsidium misit, et Cardinalis ipse interea Italicorum quinque millia confecit, et opportuna loca munivit. Guisanus enim quamvis animo properaret, tamen per Alpes et Subalpinas regiones, ac Insubres frigoribus et luto impeditum exercitum lente admodum necessario deducebat, nullo hoste iter armis demorante.

XV. Interea Senatus populusque Venetus a Pontifice per legatum appellati, et magnis policitis, si ipsorum armis adjutus Regno Neapolitano potiretur, solicitati, pro sua prudentia et gravitate officii esse statuerunt, ut se in pacificationem interponerent. Itaque missa legatione cum Philippo diligenter egerunt, cunctisque

que precibus petiverunt, ne Pontificis et Ecclesiae Romanae fines suorum armis infestari, aut vexari pateretur, unde fas esset injuriam a Christianis omnibus propulsare; suasque copias juberet a Duce Albano ex finibus Ecclesiae deduci, et castella et occupata oppida restitui; hoc jus et fas esse videri; hoc reipublicae christianae rationem postulare, cujus magno incommodo pax, quae optatissima contigerit, interpellaretur, idem bonis omnibus fore gratissimum, sed Venetis maxime, qui Philippi patrisque Caroli gloriae et dignitatis semper fuissent cupidissimi.

XVI. Ad hanc legationem Philippus in hanc sententiam respondit: „Sibi vero Venetorum consilium et „officium vehementer probari, qui se publicae quietis, „et Christianorum concordiae auctores exhiberent, cui „pace et concordia, et justitia nihil potius, nihil optabilius esset; itaque arma se invitissimum sumere a „Paulo Pontifice coactum esse, non ut cuipiam per „injuriam noceret, sed ut gravem injuriam a se suisque clientibus propulsaret, et injustis Pauli Pontificis „conatibus obsisteret, *ut*, inquit, *quod ab eo piis supplicibusque precibus frustra contenderam, justis armis intentandis impetrarem, ut Marcum Antonium Columnam meum clientem restitueret, quem causis illatis suo Principatu injustissime privaverat, hoc scilicet consilio, ut si ego amici et clientis causam, quam pie ac honeste negligere non poteram, suscepissem, speciem aliquam juris haberet, quam suis cupiditatibus praetenderet, injustoque bello, in quod omnes sui Pontificatus vires, ut exploratum habeo, conferre cogitabat, si qua facultas esset Regnum Neapolitanum invadendi*

Digitized by Google

„*di et occupandi: cujus facultatis maximam spem in quorum-*
„*dam meorum, patriſque iniquorum mobilitate, parique cupi-*
„*dine ponebat; in Pontificem igitur Maximum, quem fas eſt*
„*ut Chriſti Vicarium colere et venerari, injuriam inferre im-*
„*pium et nefarium eſſe, quis probus et pius non fateatur?*
„*Sed nec illud dubium eſt, injuriam et vim a nobis unde-*
„*cumque repellere, nullo nos jure, nulla lege nec divina, nec*
„*humana vetari; ab iis autem, qui noſtrae fidei commiſſi ſunt,*
„*injuriam, ſi facultas adſit, non propulſare turpiſſimum eſſe*
„*extremaeque ignaviae nemo ignorat. Hoc igitur dico profi-*
„*teorque, me nemini Chriſtianorum concedere, qui me magis ſit*
„*Sedis Apoſtolicae, Pontificiſque Maximi dignitatis et aucto-*
„*ritatis cupidus et ſtudioſus, ſed idem ego ſic ſtatuo Pon-*
„*tificis Maximi dignitatem et auctoritatem non in injuriis per*
„*cupiditatem inferendis poſitam eſſe, ſed in repellendis, et*
„*Chriſtianorum moribus per juſtitiam et religionem moderandis,*
„*et piis omnibus non ſolum verbis, ſed multo etiam magis*
„*contemtu rerum humanarum, et moderationis, ceterarumque*
„*virtutum exemplis ad pacem et concordiam inducendis. Pau-*
„*lus igitur Pontifex Marcum Antonium Columnam, quem*
„*Principatu boniſque injuſtiſſime ſpoliavit, reſtituat, ab ar-*
„*mis diſcedat, liberet metu et ſuſpicione regnum Neapoli-*
„*tanum, et tunc nos libentiſſime obtemperaturos cuncta oppi-*
„*da et caſtella occupata reddere, copiaſque ex finibus Eccle-*
„*ſiaſticis reducere jubeat: quod eo libentius faciemus, quod*
„*rem noſtris amicis, ſolicito et optimo animo petentibus, gra-*
„*tam fore non ignoramus.* Atque haec quidem Philippus
„legatis reſpondit, ſimulque oſtendit, ſe Albano Duci
„per litteras mandaturum, ut ſi a Paulo Pontifice im-
„petrari poſſet, ut ſuos clientes ſpoliatos reſtituat, ab-

„armisque discedat, ipse quoque occupata reddat, et „copias sine mora reducat."

XVII. Hoc accepto responso Veneti Phoebum Cappellam senatus scribam Romam cum mandatis mittunt, qui se ipsorum nomine diligentem pacis et compositionis interpretem exhiberet. Is ad Pontificem cum venisset, eum de officio, quo functi Veneti apud Philippum essent, deque illius responso docuit, simulque de animo senatus liberaliter pollicetur. Pontifex senatui gratias agit, de Philippi et Albani Ducis injuriis querimonias addit. Phoebus, ut erat imperatum, Pontifice quoque adhortante in castra nostra progreditur, et senatus mandata perfert. „Albanum, ut exercitum ab injuriis „et maleficio prohibeat, et finibus Ecclesiasticis redu„cat, orat; non esse fas Pontificem Maximum, ejus„que Ecclesiae Romanae clientes a pii Catholicique „Regis praefectis et copiis exemplo nec pio, nec utili „vexari." Ad haec Albanus eadem fere respondit, quae Philippus legatis Venetis responderat. „Paulus Pontifex „Marcum Antonium Columnam restituat, armaque de„ponat; tunc in se cunctationis nihil fore, quin oc„cupata omnia reddat, copiasque domum reducat; sic „enim sibi a Philippo mandatum esse, cujus volunta„tis atque voti summa esset, injuriam a se suisque „repellere et publicae Christianorum paci consulere." Pontifex eam conditionem ad se relatam aspernatus in eo persistebat „ut Albanus copias domum reduceret, „deinde quod vellet, a se supplicibus precibus postu„laret."

XVIII. Talibus responsis et postulatis ferendis ac re-

referendis ultro et citro commeans Phoebus cum dies aliquot consumsisset, nihil tamen profecit; Pontifex enim hoc unum agebat, ut tempus duceret, dum exercitus Gallicus perveniret; quo animadverso Phoebus, re infecta, domum revertit. Ceterum diebus aliquot interjectis Joann. Toleto Cardinale Albani patruo curante et agente, decem dierum induciae pactae sunt, ut Garrafa Cardinalis, et Albanus ad castra colloquerentur; sed ex eo colloquio nihil, quod ad pacem pertineret, perfectum est, nisi quod induciae in diem quinquagesimum productae sunt. Quod idcirco a se impetrari Albanus passus est, quod saeva hiems erat, et exercitus rerum necessariarum inopia tentabatur, impedita temporis causa triremium navigatione, quae commeatus importabant. Albanus igitur dispositis per opportuna loca praesidiis, et Hispanorum duo millia, et equites quingentos levioris armaturae cum comite Pepolo Bononiensi praefecto ad castra relinquens, ipse cum ceteris Neapolim sese recepit. Pontifex Venetorum animos iterum, et saepius tentandos ratus, Garrafam eumdem Cardinalem, qui ad Galliam fuerat, Legatum de societate belli Neapolitani Venetias mittit, sed irrita opera; nullis enim praemiis, nullis pollicitationibus a senatu de bello quidquam impetrari potuit. Induciarum elapso tempore cum plures manus Romam convenissent, Albanus suas copias contrahere coepit; adversarii ex Urbe excursiones facere in castellorum agros, quae praesidiis erant occupata, quaedam etiam recipiebant, et saepe levibus praeliis varia fortuna pugnabatur.

XIX. Dum haec ad Urbem Latiumque gereban-

 tur,

Digitized by Google

tur, Guisanus cum exercitu finibus Mediolanensibus transmissis, per Placentinos, Parmenses, Regiensesque, et Mutinenses in agrum Bononiensem processit, et paucis ibi diebus corpora curandi, reficiendique causa commoratus copias Ariminum perducit ibique considere jubet, dum ipse cum paucis per equos dispositos Romam ad Pontificem salutandi, consiliaque communicandi gratia contendit, ab eoque magna cum jucunditate exceptus est. Tum rebus constitutis, spe plenus celeriter in castra revertit. Hinc movens per Picenum cum Truento flumine transmisso regni fines intrasset, vicos et castella quaedam immunita non injuriae parcens, non maleficio cepit, deinde Civitellam obsidione cinxit, magnoque impetu oppugnare aggressus est, quod fore suspicatus Albanus, id oppidum firmo praesidio muniverat, eique sanctae Florae Comitem praefecerat, cujus consilio et diligentia, militumque virtute, etsi frequentes tormentorum oppugnationes, et tentatae irruptiones strenue sustinebantur, Albanus tamen ut obsessis subveniret, Marcum Antonium Columnam cum parte copiarum in agro Romano relinquens, ipse reliquum exercitum, qui quatuor Germanorum millibus, ex ora Ligustica classe nuper advectis, novisque manibus auctus fuerat, in ea loca deduxit, et castris ad Vovam Juliam positis, inde hostes excursionibus vexare modisque omnibus infestare coepit, sic ut oppugnatio magnopere impediretur.

XX. Interea Philippus, qui non id cogitabat, quemadmodum Pontificem perderet, aut graviter laederet, sed ut ad bellum injustum debiliorem, et quasi enervatum red-

redderet, edicto Valdoliti ad Castellam primum propoſito et inde per alia regna dimiſſo et promulgato, magnis poenis interdixit, nequis ſuorum popularium poſt certum tempus Romam intraret, aut Romae commoraretur. Admonitus ſcilicet fuerat Philippus, id quod clericorum nemo ignorat, cum ex ceteris, quae ſub ejus imperio ſunt, gentibus, tum maxime ex Hiſpania ingentem quotannis nummorum vim, ſacerdotiorum cauſa, Romam importari. Itaque multi Hiſpani, Neapolitani, Siculi, et Mediolanenſes Roma diſceſſerunt, multoque plures profectionem parabant, niſi Pontifex cunctis rationibus obſtitiſſet.

XXI. Dum ea, quae diximus, ad Picenum gerebantur, in Latio quoque frequentibus praeliis tumultuariis dimicabatur, et caſtella nunc ab his, nunc ab illis vi, aut pactione recipiebantur. Hercules quoque Eſtenſis, Ferrarienſis Dux, qui hoc tempore ab amicitia Philippi ad Henrici partes defecerat, ad Circumpadanam Italiam tumultuabatur, et peditatus, equitatuſque manibus coactis, Philippi clientes infeſtabat, non ignarus Henrici conſilii, qui inita cum Paulo Pontifice Neapolitani belli ſocietate cum inducias per ſpeciem quamdam juris violaſſet, nihil jam aliud, quam de bello palam et aperte cum Philippo ex omni parte gerendo cogitabat, ne rei bene gerendae, et magnarum rerum occaſiones, quas ipſe ſibi fingebat, perire pateretur. Nam Carolo patre de medio ſublato, Philippi adoleſcentiam et rerum bellicarum inſolentiam Henricus, qui earum magnum uſum habebat, prae ſe contemnebat. Henricus igitur, qui totus mente et animo in bellum inſiſtebat,

tan-

tantum aberat, ut induciarum foedere et juris jurandi religione ab injuriis retardaretur, quin potius earum occasione ad fines Belgicos securos et imparatos nihil tale metuente Philippo invadendos abuti constitueret, ut cum aliquo lucro ab ea parte bellum auspicaretur.

XXII. Qua de re cum suorum primis deliberantem Almirallius admonuit, sibi superioribus diebus a Carolo Caesare, ad quem Legatus de induciarum confirmatione missus fuisset, revertenti animadversum esse Duajum oppidum, quo divertisset, male munitum esse, collapsa parte muri ad portam *Lencae* cognominatam, et aquae paene inani fossa, ut oppido facile silentio noctis mediocri manu occupari posse videretur. Hac spe et cupiditate incensus Henricus eidem Almirallio negotium dat, et quid fieri velit, ostendit. Is ex praesidiis deductam peditatus, equitatusque manum ad sex millium coegit; cumque his Nonis Januarii nocte intempesta Duajum silentio contendit, sed intra bombardae teli jactum cum appropinquaret, magno casu accidit, ut sacris matutinis campana ex more caneretur. Quo cantu Almirallius populares ad arma vocari ratus, ne frustra et cum infamia niteretur, re infecta et intentata copias domum properanter reduxit. Hoc cognito Philippus, quod occultari minime potuit, pro indignitate ac turpitudine vehementer est commotus ad priores injurias, quas specie quadam juris praetextas dissimulanter tulerat, ne status Christianae reipublicae gravius perturbaretur, novis contumeliis et foedioribus, quaeque honeste dissimulari non possent, accedentibus. Sic igitur exarsit, ut injurias sibi omni ope persequendas es-

esse constitueret. Ut autem essent omnia ad bellum gerendum aestate ineunte comparata; Rodericum Gomezium Silvam in Hispaniam, qui pecuniam in stipendium curaret; Jo. Manricum militem conducendi causa in Germaniam proficisci jubet, et cum utroque conquisitores mittit, et ad Belgium tormenta, et quae his usui sunt, omnemque belli apparatum comparari praecipit.

XXIII. Quibus rebus constitutis et imperatis, ipse in Britanniam trajecit, ut cum uxore et senatu regio consilia de bello Gallico communicaret, auxiliumque deposceret, cujus Reginae voluntate, senatusque consensu peditum sex millia, et equites quingenti cum essent decreti, eas manus cogendi et deducendi negotio viris opportunis dato, Philippus ipse Belgium, ne cura belli comparandi remitteretur, properanter revertit; vereque ineunte, cum jam exercitus esset coactus, et quotidie peditatus et equitatus manus undique convenirent, Emanuelem Philibertum Sabaudiae Ducem, cui summam imperii bellique tradiderat, copias in Galliam regiam infestis signis inducere jubet, et quid fieri vellet, ostendit; Cameracum ipse, quo propius abesset ab exercitu, procedit. Philibertus copias per montis Hanoniae fines inducere cum coepisset, ita ut Gisam petere videretur, Galli oppidum magno praesidio muniverunt; quo cognito, Philibertus agmen ad Sanquintinum, quae urbs ad caput Somae fluminis indiligentius custodiri ferebatur, deflexit, eoque copiis inductis vicum suburbanum fluminis cum aggere inchoato celeriter occupavit. Benicurtus eodem tempore ex altera Somae fluminis

Digitized by Google

nis parte, quod urbem alluit, peditatus equitatusque copias admovit, quibus prospectis Philibertus Julianum tribunum militum cum trium signorum Hispanis militibus, et Chiarandolum cum Namurensibus signorum quatuor ad vicum praesidii obsidionisque gratia relinquens, ipse exercitum Mosam vado supra urbem traduxit, suisque et Benicurti copiis per opportuna loca dispositis, oppidum obsidione cinxit.

XXIV. Hoc cognito Henricus Rex Almirallium obsessis, antequam arctius obsideantur, subsidium ferre jubet. Is noctis silentio cum signorum trium equitibus cataphractis, et leviter armatis unius, nostris nihil prohibentibus, irrupit; ejusque frater Andolotius tertia inde nocte cum tredecim signorum peditibus idem facere tentavit: sed Navarretus Hispanorum militum tribunus adventum eorum praesentiens accedentibus occurrit, consertoque praelio eosdem fundit, et cum trecentorum amplius suorum jactura, quatuor signis amissis, pedem referre coëgit, quorum occisorum corpora Navarretus postridie mane ad castrorum vallum proponi hostes deterrendi causa, collocarique jussit. Hoc initio facto Philibertus ad Philippum, qui ad Cameracum, ut est memoratum, substiterat, mittit, deque rebus omnibus certiorem facit, et quid sui consilii esset, ostendit. Consilio probato Philippus tormenta et reliquum belli apparatum, vimque magnam commeatus in castra ad Sanquintinum cum peditatus equitatusque subsidio mittit.

XXV. Non diu processerat obsidio, cum Comestabilis idem cum exercitu ex Germanis nonnullisque Gallis coacto peditum ad sexdecim millium, equitum sex, aeneis-

aeneisque tormentis quatuordecim circa meridiem affiuit; horum sex erant ex eorum genere, quae *colubrinae* nominantur, quibus potissimum evestigio rem acriter gerere coepit, et in Germanos equites jaculari, qui ad Somam consederant loco ad subsidium urbi submittendum opportuno; quibus submotis Gallus suorum partem in hunc modum ad ripam fluminis jubet descendere. Binis equis quaterni homines invehebantur, quorum tres erant scloppetarii, et hi, cum ad ripam perventum esset, ad pedes desiliebant; quartus equos in castra reducebat, eaque ratione celeriter mille circiter scloppetarii in ripa Somae constiterunt. Hos trajiciendi et in oppidum submittendi commodissima ratio Comestabili visa est, si molam, quae cum ponticulo proxima oppido erat, milite occupasset. Hoc quo fieret commodius et expeditius, decem praeterea peditatus signa agminatim submittit (nam equis deportari longum esse videbatur) eorumque praefectis, quid fieri vellet, ostendit. Hi recta in molam contendunt, eminusque jaculantes Germanos, qui ad eam partem consederant, submoverunt, et nisi Hispani jaculatores, qui contra illos missi sunt, ponticulum rescidissent, eosdemque telis removissent, forsitan et molam, et ponticulum occupassent, et, quod petebant, perfecissent.

XXVI. Hac igitur spe Comestabilis lapsus, alia via sibi aggrediendum putavit. Cymbae duodecim, binae in singulos currus impositae cum praesidio ad ripam Somae devehuntur, eisdemque in flumen circa oppidum deductis, et milite completis praesidium trajici coeptum est Juliano, de quo supra mentionem fecimus, ex

aggere suburbano tormentis cymbas oppugnante, sed conatum prohibere nequeunte. Quo animadverso Philibertus, ne tantum dedecus admitteretur, ut se spectante subsidium occasione fluminis et cymbarum in oppidum submitteretur, seque et tanto suo exercitu indignum esse reputans, si totus esset in frustrandis hostilium copiarum per partes conatibus occupatus, quas liceret pari, aut etiam superiore decertandi conditione universas invadere, Somam exercitum trajicere, et hostem vel in castris oppugnare constituit. Comitem igitur Agamontis cum Hispanorum et Burgundiorum armaturae levis equitatu Somam per locum vadosum supra Sanquintinum trajicere jubet, et quid fieri velit, ostendit; quo diligenter administrato reliquus equitatus, ut erat imperatum, deinde peditatus quoque subsequitur.

XXVII. Hoc perspecto, Comestabilis suas copias, quas hostilibus pares non fore intelligebat, reducere coepit, equitatu nostro, cujus primi erant Hispani, cum Henrico Henrique praefecto morandi causa postremos carpente; sed cum eo modo ad sex millia passuum processum esset, acrius nostris urgentibus equitatum consistere, et hostium impetum sustinere jubet. Tum vero noster equitatus agmine suo pedestri, qui jam appropinquabat, conspecto, majore impetu, ut erat imperatum, in Gallos equites invehitur, consertumque praelium est, et acriter utrimque dimicatum; sed non diu Galli nostrorum impetum sustinere potuerunt; itaque multis concisis, multisque captis, quorum fuit Comestabilis ipse, Gallicus equitatus fusus fugatusque est,

quem

quem noster fugientem dum insequitur, peditatum quoque jam fuga equitatus sui, qui robur erat exercitus, perterritum fudit. Ad quem peditatum cum Navarretus et Julianus praefecti cum Hispanorum pedestribus copiis, et Lazarus Tuendus cum Germanorum manu paulo post pervenissent, facto impetu amplius quinque millia conciderunt, quin etiam equites Gallicos, quos nostri equites, qui fugientes fuerant insectati, captos reducebant, Germani pedites trucidabant. Magna igitur strage, tum in praelio, tum in fuga edita nostri proxima nocte ad Sanquintini obsidionem reverterunt, quatuordecim quoque captis tormentis in castra reductis.

XXVIII. Hoc nuntio laetus Philippus, cum jam ad Cameracum Britannorum peditatus, equitatusque manus pervenisset, cum his, et equitibus Germanis ad quingentis, qui tardius domo fuerant profecti, cumque domestico nobilium illustriumque virorum equitatu movens binis castris ad Sanquintinum in castra pervenit; nullaque interposita mora, locis opportunis tormenta collocari, ac oppidum oppugnari jubet. Tribus igitur ex partibus murus concuti magno impetu coeptus est, oppugnatioque in diem quartum continuata. Muro jam tribus partibus, quantum satis esse videretur, diruto, Philippus cum jam dies processisset, acies instrui, et locis ad rem gerendam idoneis collocari jubet. Britannus peditatus trans Somam in suburbium missus, ut cum Namurensibus et Hispanis, qui ad eam partem cum Juliano, ut memoratum est, consederant, urbem invaderet. Praeterea equitatus omnis flumen trajicere jussus, qui si ab ea parte, quae meridiem regiamque

Galliam spectat, subsidium obsessis mitteretur, venientibus occurreret, ne nostris in urbem irrumpere conantibus prohiberent. Itaque quatuor equitum acies contra eam muri partem constiterunt, quam Julianus ex aggere concusserat, et qua inde erat irrumpendum. Reliqui autem equites per intervalla locis idoneis collocati; citra flumen vero ex duabus muri concussis dirutisque partibus altera Caceri praefecto cum sua Hispanorum manu, altera Navarreto cum sua item Hispanorum, simulque Comiti Megae cum Namurensibus, quos ductabat, attribuitur. Post utrosque Germanorum acies consistere jussae, ut pugnantibus extrinsecus essent praesidio, et si quid opus esset ad irrumpendum, adjuvarent.

XXIX. Accepto irrumpendi signo tribus ex partibus uno tempore, ut erat constitutum, fit impetus, sed quae pars Hispanis obtigit cum praefecto Cacere, hac ante dirutum murum ductis ab urbe cuniculis parvae cuppae cum tormentario pulvere dispositae occultabantur. Nostris igitur accedentibus, oppidani paulum a muro, ne accessum impedirent, digressi, ignem cuniculis admoverunt, quo celeriter per continuatum ad cuppas pulverem perlato erumpentis incendii violentia terra ex uno cuniculo in sublime jacta homines ad triginta convolutos afflixit; nam in ceteris cuniculis conatus frustra fuit; sed, qui sequebantur, antecedentium casu nihil deterriti pergunt, aditumque celeriter occupant, et pulsis, partimque concisis custodibus, irrumpunt. Ceterum non ut rei militaris ratio poscebat, in oppidum infestis armis, donec undique confirmata victoria esset, pe-

penetrarunt, sed pro corruptae disciplinae militaris licentia statim ad praedam conversi sunt; ita factum est eorum cupiditate, ut oppidani et custodes hostium irruptionis ignari diutius acriter ad alias duas partes propugnarent, et cum Juliano et Navarreto multis utrimque cadentibus dimicarent, donec ex direptis domibus quidam in loca pugnae fugientes pervenerunt, a quibus propugnatores facti certiores animos demiserunt, locaque reliquerunt. Sic nostri in oppidum irrumpentes, cum nemine repugnante, ad forum pervenissent, diripiendi causa dissipantur, magnaque auri et argenti vestisque praeda potiti sunt, multis etiam captis hominibus, qui se postea magno pretio redemerunt.

XXX. Ad hunc modum oppido capto atque direpto, postridie mane Philippus de pudicitia feminarum solicitus ad moenia progressus constitit ad portam, et mulieres captivas, quotquot a militibus educebantur, liberabat, et in locum destinatum deduci jubebat, simulque praeconibus circummissis edixit, ut captae mulieres omnes ad sua tentoria conducerentur, poena capitis, siquis edicto non paruisset, constituta; quarum mulierum millibus quatuor amplius, et in his multis nobilibus matronis in regia tentoria celeriter coactis, eas omnes a castris dato praesidio usque ad tutum et amicum locum deduci, et in regiam Galliam incolumes et liberas abire jussit.

XXXI. His rebus gestis, Philippus, Comite Megae cum Namurensium praesidio Sanquintinum obtinere jusso, Herembergae Comitem cum parte Germanici peditatus, et equitum duobus millibus Xatelletum oppugnan-

gnandi gratia mittit. Is, copiis admotis, et tormentis ad loca idonea collocatis, arcem oppugnare coepit, biduoque oppugnatione continuata, praefectus suis rebus diffidens deditionem fecit. Quo nuntio accepto, Philippus castra movet, Hannumque oppugnandi gratia copias inducit, eodemque Comes Herembergae cum suis, ut erat imperatum, affuit praesidio ad Xatelletum relicto. Verum Philippo moenia oppugnare parante, custodes oppidum incenderunt, ita ut septem dumtaxat tecta incendio superfuerint, ipsique in arcem sese receperunt. Sed arce uno die tormentis concussa, postridie mane praefectus, quique cum eo erant, sese cum arce Philippo in potestatem permiserunt; ille iratus, quod temere oppidum incendissent, captos omnes, qui ejus consilii participes fuerant, in Flandriam abduci, et per arces in vinculis asservari imperat.

XXXII. Paucis diebus Rex ad Hannum commoratus, ex consilii sententia negotium dat opportunis hominibus, ut incensa ad Hannum aedificia reficienda, et ad Sanquintinum diruta moenia restituenda, et urbis infirmiore et inferiore parte seclusa, novis operibus superiorem muniendam curarent, auctisque Sanquintini, et Xatelleti et Hanni praesidiis, eorumque praefectis Megae Comiti parere jussis, Philibertum cum exercitu in Galliam interiorem penetrare jubet, et quid fieri vellet, ostendit. Ipse cum sua familia et praetoria cohorte Bruxellas hieme scilicet appetente revertit. Philibertus Navarretum tribunum cum suis peditibus Hispanis, et ejusdem gentis equitatum levioris armaturae ad Hannum praesidio relinquens, Lutetiam versus movet, Nelamque op-

Digitized by Google

oppidum non admodum munitum copiis admotis parvo negotio coepit inceditque ; tum Rojam progressus, id quoque castellum captum ferro ignique vastavit, sed cum jam saeva hiems , decidentesque nives a bello gerendo dehortarentur, inde iter convertit, copiasque reducit , castellis et vicis hostilibus , quocumque accessisset , exustis . Hannoniam ingressus, Germanis stipendio persoluto , ceterisque fere missionem dedit , Hispanos vero Sanquintinum et Hannum , Xatelletumque praesidii hiemandique causa dimisit.

XXXIII. Henricus Rex Gallorum casu Comestabilis, suorumque adverso praelio, oppidis amissis , agris vastatis , et incensis aedificiis vehementer conturbatus est, eoque magis , quod ab Italia et bello Neapolitano nihilo laetiora nuntiabantur. Reputans ergo cum animo suo se, qui in spem novis imperiis potiundi, et aliena occupandi venerat, jam exercitu deleto, multisque viris principibus vel occissis , vel captis, et parte suarum rerum amissa , de ceteris periclitari, magnopere ea recordatione cruciabatur. Suis igitur rebus metuens ad Ducem Guisanum , qui omissa Civitellae obsidione, copias in Picenum, ac inde in Latium a perterrito Pontifice evocatus reduxerat, mittit, ut, omisso bello Italico, ad se primo quoque tempore redire, et copias reducere maturet. Is copiis multifariam imminutis per terram, utcumque possent, redire jussis, ipse conscensa navi in Galliam Cisalpinam navigavit, ibique, ut erat imperatum, quas potuit, copias confecit, cumque his, superatis Alpibus, in Morinos fines circa Decembris Kalendas pervenit, quo Rex Henricus manus undique praesidiis etiam de-

deductis evocaverat, coëgeratque hoc animo, ut Calesium oppidum in Oceani littore, quod erat Britannorum ditionis, oppugnaret, ut hoc, uti confidebat, illatum cum illo ad Sanquintinum accepto incommodo compensaret; quod fore suspicatus Philippus Calesii praefectum intento animo esse per litteras jubet, ac ad obsistendum necessaria comparare, seque, si opus esse illi videretur, praesidium Hispanorum missurum ostendit. Praefectus subsidio nihil opus esse respondit, satis in oppido praesidii esse, et necessaria cuncta ad resistendum suppetere.

XXXIV. Paucis diebus interjectis, Henricus idem Guisanusque Dux exercitum in agrum Bononiensem ducunt, inde in Calesium conversi arcem, quae urbi magno erat munimento, eoque aditum sepiebat, oppugnare parat, sed tormentis collocatis, arcis praefectus non exspectata oppugnatione, educto praesidio, in oppidum sese recepit, vel timore perterritus, vel, ut suspicio fuit, praemiis ac pollicitationibus corruptus. Sic arce potiti Galli, expeditoque aditu, ulterius progrediuntur, et alteram arcem, quae in littore sita erat, oppugnare aggressi, parvo negotio minimaque repugnantia hac quoque potiti sunt. Nactique facultatem oppidum oppugnandi, tormentis, ubi visum est opportunum, collocatis murum concutere coeperunt, perductaque ab ortu solis ad occasum oppugnatione, irrumpere conantur; sed tum oppidanorum custodumque virtute, tum dejectae partis muri altitudine factum est, ut cum jactura repellerentur.

XXXV. Placuit igitur in aliam partem tormenta tranferri, et contra vetustate collabentem turrim collo-

ca-

Digitized by Google

cari, quam tormentorum telis demolientes sic aditum aperuerunt, ut tam pauci tam multis obsistere nequirent. Sic Calesium a Gallis receptum est, cum multorum annorum spatio Britannorum imperio paruisset. Post Calesium Henricus Guinesium tentat, munitius oppidum, cujus moenia Galli cum triduo concussissent, irrumpere conantes ab oppidanis acriter propugnantibus rejiciuntur: sed oppugnatione pertinaciter repetita tantopere profecerunt, ut murum solo aequarent. Ita praefectus suos tormentorum, scloppetorumque telis expositos esse animadvertens, desperataque defensione deditionem facere coactus est. Ita Calesio Guinesioque saevissima hieme captis, impositisque praesidiis, Henricus copias in hyberna deducit, laetusque victoria in Galliam interiorem sese recepit.

XXXVI. Insequente anno, qui fuit Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus octavus, Henricus Rex Gallorum animadvertens Philippum suas copias paucis ad praesidia relictis dimisisse, occasionem sibi non omittendam putavit imparatum adversarium lacessendi. Copias igitur suas diligenter auxit, sic ut equitum decem, peditum viginti amplius millium, quorum bona pars Germanorum et Vasconum erat, exercitum conficeret, quem bipartito dimisit, alterique parti, hoc est equitum duobus, peditum ad duodecim millium Termium praefecit, alteram, unde ipse non procul abesse cogitabat, attribuit Guisano Duci, et cum suis utrumque copiis Flandriam invadere, et omni clade belli vexare jubet, et nullam occasionem rei bene gerendae hostibus imparatis praeterire. ANN. MDLVIII.

I Gui-

XXXVII. Guisanus Lucemburgum versus movens, ut erat imperatum, Teunvillamque progressus, id oppidum obsidione cingit, tormentisque collocatis oppugnare parat. Hoc nuntiato Philippus equestres, pedestresque manus, quae Arthesеum, et circum ea loca in praesidiis erant, deduci, et Teunvillae subsidio properanter induci praecipit; quod cum fuisset diligenter administratum, prius tamen Teunvilla expugnata est a Gallis, quam eae copiae pervenirent. Termius autem per oram maritimam signis infestis procedens, Vergas Donquerquiumque in littore captum diripuit, ad summam quocumque accessisset, aggere et ferro aedificia urere, agros populari. Itaque magnum pecoris numerum undique abactum in Galliam misit, multam vestem et spolia in naves Gallicas in portum Donquerquii compulsas imposuit. Sed hae naves in reditu fere omnes offenderunt, a classe Britannica, quae illam oram obsidebat, expugnatae.

XXXVIII. Ad Donquerquium Termius praesidium relinquens Gravelinas oppugnandi causa copias induxit, et loco natura munito consedit; id oppidum Benicurtus Arthusii praeses cum praesidio Burgundiorum obtinebat, quod auctum fuit Hispanorum scloppetariorum manu, quos numero ad quingentos Federicus Carvajalus ex Hispanica classe, cui frater Ludovicus praerat, deductos eodem produxerat. Sic enim Philippus ad primum hostilis adventus et vastationis nuntium per litteras imperaverat, et paulo post Agamontis Comitem cum Germanorum peditum duplice ternorum millium manu ex praesidiis ad confinia deductorum, et equitatu, cujus pars erant

erant scloppetarii, eodem properare, seque cum Benicurto conjungere, et communi consilio bellum administrare jubet. Is quo die Gravelinas cum antecedente equitatu et parte peditatus pervenit, eodem se nulla interposita mora, copiasque hostibus in conspectum dedit, et castra castris intra teli jactum contulit, non cessantibus utrimque tormentis et scloppetis tela cum utrorumque quidem, sed majore nostrorum detrimento jaculari.

XXXIX. Postridie cum Gallica castra superiorem locum occupasse duces nostri compexissent, et jam peditatus noster omnis pervenisset, placuit copias flumen, quod Gravelinas praeterfluit, trajicere, tum ut hostes, si pugnare vellent, in locum aequiorem et parem pugnandi conditionem elicerent, tum ut eos commeatibus, qui a Calesio, eisque regionibus supportabantur, intercluderent, cujus rei causa partem Hispanorum equitum, qui vias obsiderent, praemiserant: sed nostris equitibus supra Gravelinas flumen vado trajicere incipientibus, Galli eodem tempore infra suas copias et tormenta, cum se maris aestus, quo flumen intumescebat, minuisset, trajectoque flumine, acie instructa constiterunt, et tormentis ante aciem longo ordine dispositis, in equitatum nostrum, qui peditatum lentius propter itineris fatigationem progredientem opperiendi causa constiterat, frequentissima tela cum magno nostrorum equitum detrimento contorquebant.

XL. Quam indignitatem et jacturam diutius non ferens Henricus Henriques equitum Hispanorum levioris armaturae praefectus, qui ceteris equitibus antesta-

bat, ad Comitem Agamontis mittit, peditatum properare juberet, ut conserto praelio, equitibus esset subsidio, nam se suorum miserabiliter cadentium perniciem, quos impune Galli tormentorum telis trucidarent, ferre jam amplius non posse, quin hostes invaderet, praeliumque committeret; paulisperque moratus, non tamen exspectato responso in hostilem equitatum procurrit, eodemque tempore Lalamini Comes cum suis invehitur, quos Germani equites imitantur; nec Comes ipse ductor instituto equestri certamine sibi amplius exspectandum putavit. Itaque noster equitatus omnis in Gallicum impetum facit, pulsumque in fugam conjicit, peditatu, cui adhaerebat, locum non deserente, quin etiam victoriam et Galliam ingeminante; impetum scilicet a nostris equitibus factum a desperatione potissimum ortum habuisse interpretabantur.

XLI. Nec diu moratus cum peditatu Benicurtus adest, qui peditatus triplici acie instructa hoc ordine pariter concitato gradu procedebat: dextram partem Federicus Carvajalus cum Hispanis et Burgundiis, sinistram Murletanus cum tribus Germanorum millibus obtinebat, medius cum totidem ejusdem nationis Lazarus Tuendus incedebat. In hos quoque appropinquantes frequentia tela tormentis jaculabantur, quo periculo nostri nihil retardati sunt, sed eo magis ad statariam pugnam festinaverunt, cumque proxime accessissent, scloppetariis ex intervallo lacessentibus, hastati, quorum maxima pars Germani erant, rem cominus tam acriter gerunt, ut eorum impetum Galli diutius ferre nequeuntes pedem referre in eam partem coeperint, ubi Carvajalus cum jacu-

cu-

culatoribus constiterat. Sed cum inde quoque acriter urgerentur, ad carros primum et impedimenta paulatim se receperunt, deinde effusa fuga in flumen, quod transierant, aestusque oceani nostris instantibus contenderunt, ubi multi eorum, qui se aquae commiserant, obruti perierunt; ceteri vivi in nostrorum potestatem pervenere. Ita ex omni copia, quam Termius induxerat, ne ducenti quidem desiderati fuisse feruntur, quin ferro aquave perirent, vel a nostris caperentur, ipso quoque Termio, et quibusdam aliis Proceribus captis. Equites enim, et siqui pedites in partem a flumine aversam nostris urgentibus ad salutem fuga contendebant, in Hispanos equites et scloppetarios inciderunt, quos pridie Agamontius ad obsidendas vias, et intercludendos commeatus miserat. A nostris igitur intercepti circumventique fere omnes conciduntur. Qui vero ad Donquerquium in praesidio relicti fuerant, cum de suorum adverso praelio ac edita strage cognovissent, locum deseruerunt, perterritique perfugerunt; quos in fuga dispersos rustici, quorum vicos agrosque vastaverant et incenderant, insecuti omnes fere vel conciderunt, vel captos armis et ceteris rebus exuerunt.

XLII. Interea Philibertus ad Cameracum manus cogere, Hispanos et Germanos, qui ad Namur et circum ea loca hiemaverant, et equitatum ad signa convocare, omniaque bello necessaria, ut a Philippo fuerat imperatum, comparare; conquisitoribus etiam in omnes partes dimissis, ut ex novo delectu copiis auctis, Galliam interiorem invadaret. Ex Cameraco Philibertus movens ad Marollum stativa castra possuit, qui locus a Lan-

Landresii tribus circiter passuum millibus abest. Ibi dies aliquot, ut manus convenirent, exspectavit, quo hi quoque pervenerunt, qui ad Gravelinas praelium secundum fecerant biduo post pugnam profecti. Huc etiam Philippus exercitum conspiciendi causa progressus est, eodemque biduo in montem Hannoniae reversus. Triduoque Philibertus castra movit, et paucis itineribus, ut spatium daret proxime conscriptis ad exercitum perveniendi, eo contendit, ubi Rex Gallus ad Ambianum consederat, quo appropinquans intervallo itineris unius diei ab Henrici castris castra posuit. Huc Germanorum duae praefecturae, et Namurensium Burgundiorumque magnus numerus pervenit. Itaque jam Philippi exercitus ad equitum novem, peditum quadraginta millium numerum pervenerat.

XLIII. Inter haec Anna Comestabilis, cum se magno pretio a Philiberto redemisset, in Galliam reversus Henricum Regem ad pacem coram cum Philippo per litteras et nuntios cohortari coepit, a qua cum neuter abhorreret, facile ab utroque impetratum ab eo est, ut legati cum liberis mandatis in certum locum utrimque mitterentur, qui de conditionibus transigerent. Quamquam enim Philippus supectam habebat Henrici fidem propter sinistra memoriae recentis exempla, tamen internuntiorum affirmatione, sed maxime Comestabilis, cujus gravitatis, fidei atque constantiae singularis erat opinio, adductus est, ut crederet, rem sincere agi, et pacem sine insidiis diuturnamque fore, atque eo magis, quod Henricus tum in Italia, tum in Gallia parum feliciter praeter suam opinionem belli fortunam adversus Philip-
pum

Digitized by Google

pum saepe tentaverat.

XLIV. Cum igitur Philippus in sua castra ad Usixateum processisset, Henricus in suis ad Ambianum persisteret; pactis induciis de pacis conditionibus per legatos disputari coeptum est. Hi autem fuerunt Dux Albanus, qui confecto bello Italico ad Philippum privatus reverterat, cum se Neapolitani Regni procuratione sponte abdicasset, Antonius Perenotus, Episcopus Atrebatum, Uraniae Princeps, et Rodericus Gomezius Silva a Philippo missi: ab Henrico autem Lorena Cardinalis, Anna Comestabilis, et Santandici Mariscallus. Locus vero colloquendi ad Cervani Abbatiam dictus est. Quibus saepe de officio convenientibus, cum non satis de conditionibus conveniret, tempus extractum est, quo tempore Maria Britannorum Regina diem suum obivisse nuntiatur. Quae causa fuit, ut facilius de conditionibus conveniret, propter pactum inter Philippum et Isabellam filiam natu maximam Regis Henrici matrimonium.

XLV. Pax igitur his potissimum conditionibus convenit. „Primum omnium, ut Christianorum bono pu-
„blico, maxime quod pertinet ad universale Concilium
„Religionis causa Tridentum coactum, omni ope ab u-
„troque consulatur; deinde ut alter alterius clientibus
„et popularibus privilegia in suis finibus irrogata con-
„firmet, et res ablatas restituat, et venia detur errato-
„rum, sive injuriarum pro altero in alterum illatarum,
„praeterquam Neapolitanis, Siculis, et Insubribus perfu-
„gis et exsulibus; ut oppida et castella bellis superio-
„ribus occupata invicem restituantur, Gallus Genuensi-
„bus Corsicam insulam restituat, oppidis et castellis ce-
„dat,

„ dat, quae bello Senensi ad Thusciam occupaverat; „ Carolai Comitatus ad Philippum, Comitatus sancti „ Pauli ad primariam matronam, quae Tutavillae cognominatur, sitque in Philippi clientela more majorum; „ Mantuano Duci, quidquid ab alterutro occupatum tenetur, restituatur: ut Rex Philippus Isabellam Henrici filiam natu maximam uxorem ducat, quadringentis „ scutatorum millibus dotatam: Emanueli Philiberto Margarita Henrici soror trecentis eorumdem nummorum „ millibus dotata in matrimonium collocetur, eodemque „ nomine Ducatus Berieus ab Henrico eidem Philiberto „ ad vitam tribuatur, et restituantur omnia a Gallis ablata, praeter Augustam Taurinorum, Pinarellum, Chivas, Puellum et Villam novam, quae oppida, sive „ castella Henricus in tres proximos annos sibi retinere „ velle dixit, dum de jure in ea datis judicibus disceptatur; Philippus Vercellam vicissim obtinebit, dum „ de his Gallus fidem praestat, ut Britannis Calesium „ intra octo annos restituat; nisi fecerit, quingentorum millium scutatorum poena mulctabitur, vadibus „ locupletibus mercatoribus extra Galliam fidei faciendae causa datis, sed ita ut poena etiam persoluta ad „ restituendum teneatur: ut pax non solum inter Gallum et Hispanum Reges, sed etiam inter utriusque clientes et foederatos constituta esse intelligatur; „ Gallus prior omnia restituet, initio intra mensem, restituendi fine intra sex menses facto; deinde intra proximum mensem Philippus idem faciet, quatuor obsidibus fidei faciendae causa ejus conditionis, qua Gallus contentus sit, datis.“

His

XLVI. His rebus constitutis, dum cetera promissa praestantur, et ablata restituuntur, Philippus Fernandum Toletum Albanum Ducem in Galliam legatum cum mandatis misit, perque eum cum Isabella Henrici filia pactum matrimonium, ut inter absentes fieri consuevit, contraxit, cum magna totius regni gratulatione, sed patris Regis maxima. Ceterum ea gratulatio Regi eidem perniciosa fuit: nam cum publicam laetitiam ipse in primis cum Proceribus et nobilibus ludis equestribus cataphractorum celebraret, quibus non sine periculo infestis hastis concurritur, in facie vulnus accepit, ex quo paucis post diebus naturae concessit. Moriens tamen liberis testamento mandavit, ut pacem in primis colerent, et pactas cum Philippo conditiones persancte conservarent.

XLVII. Interea Carolus Caesar diem suum obivisse nuntiatur; obiit autem ad Justi coenobium, et radices Orospedae montis in agro Placentino, quem amoenissimum secessum sibi ad vitam privatam in aetate annis, sed multo magis morbis ex bello contractis ingravescente peragendam delegerat, mense Septembri, qui fuit annus Christi M.D.LVIII. ut suo loco, dum ipsius res gestas persequeremur, memoravimus. Quo mortis paternae nuntio accepto, Philippus Bruxellis magna cum caerimonia summae pietatis filius patri plane regaliter justa exsequiarum persolvit.

JO. GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
DE REBUS GESTIS
PHILIPPI II. REGIS HISPANIAE

LIBER SECUNDUS.

I. EODEM anno Martinus Alfonsus Corduba Alcaudeti Comes, qui ad oram Mauritaniae Oranum oppidum cum praesidio, et Portum Magnum ac impositam arcem obtinebat, Philippi Regis voluntate bellum in Tremeceni tyrannum suscepit, qui excluso Nacaro, ad quem jus regni pertinebat, Tremeceniis imperitabat, inita cum Hazeno Argeliae Rege amicitia et belli societate, cujus fiducia pactum tributum Regibus Hispaniae tribuere recusabat. Nacaro igitur, ac ejus amicis Mauris hortantibus, et commeatus communi pretio, ac jumenta pollicentibus, Comes negotium suscepit; sed exercitu in Hispania undique coacto, et partim ex Carthagine Nova per Franciscum Benavidem, partim ex Malaca per Fernandum Carcamum militum tribunos in Portum Magnum, Oranumque trajecto, Comes, qui in eadem classe advectus fuerat, quae prior ex nova Carthagine solverat, magna difficultate afficiebatur, qua ratione tormenta, et quae his usui sunt, et commeatus et cetera impedimenta portarentur. Nacarus enim, qui sta-

statim presto fuit, inopia exclusus praestare nihil potuit.

II. Mauri perfidia inducti, cum essent a Comite litteris appellati et rogati, nihil responderunt, et de commeatibus camelisque fidem fefellerunt, non ignari videlicet, omnem Mauritaniam in primisque Argeliae, Cuci Tremecenique tres Reges in nostrum exercitum conspirasse. Hujus enim conspirationis fiducia Barbari sublati Comitis iram non admodum sibi extimescendam esse putabant; cujus rei causa Comes, si posset eos vel precibus, vel denuntiando, intentandoque periculo ad officium revocare, Tacellam versus copias inducit, Gabellumque progressus stativa castra posuit, atque inde rursus per litteras vicinos Barbaros rogavit et obtestatus est, ut fidem datam de camelis et commeatibus communi pretio suggerendis praestarent; quod cum frustra fuisset, nec ad epistolam Barbari respondissent, Tacellam, quae ab Orano passuum triginta circiter sex millibus abest, et inde vicum, qui Tacellae *Zocum* patria lingua, id est *mercatus* dicitur, agmen siti, labore et aestu confectum perduxit.

III. Erant enim inaquosa loca, mensis Julius, et vehicula tormentaria milites trahere cogebantur, amissis ad Gabellum triginta bobus, quos Nomades abegerant, ex Hispania transportatis, quo in itinere aedificia et agros, quocumque adiret, diripiebat et vastabat, ut ea ratione Barbari vel maleficium deprecandi causa ad se venire compelleret, ut compulit; cum enim paulo citra *Zocum* consedisset, nonnulli eorum affuerunt, qui de maleficio contra jus initae amicitiae ipsis illato cum eo expostulaverunt. Comes id jure factum esse dixit in eos, qui

datam fidem de camelis et commeatibus non praestarent; se tamen a maleficio abstinere, et illata damna sarcire, et res ablatas restituere pollicetur, si promissis starent, quae ad Nacarum ipsorum Regem reducendum pertinerent. Barbari fallendi morandique causa, ut spatium intercederet, dum se Reges ad bellum compararent, sibi ab amicis et vicinis de his rebus quidquam esse mandatum negaverunt, ideoque non esse sui juris, aliquid eis inconsultis constituere, se tamen rem ad eos relaturos, et quod placuerit, prope diem renuntiaturos, non tamen ab re fore, Nacarum in castra deduci, ut ejus praesentia fidem omnibus faciat, bellum ipsius reducendi causa fuisse susceptum.

IV. His dimissis, Comes Oranum ad Martinum filium mittit, ut cum ceteris copiis, quas Carcamus traduxisset, ad se venire, et Regem Nacarum adducere maturaret; quo diligenter administrato, adductoque Nacaro, Comes Barbaros certiores facit: „ Nacarum Regem „ adesse, si eum alloqui vellent, licere.“ Ad quod illi meditata responderunt: „ Se vero metuere, ne frustra Co„ mes contra tres potentes Reges et conspirantem Mau„ ritaniam bellum difficillimum susceperit; ne igitur fru„ stra, et cum suo magno periculo Nacari Christiano„ rumque partes secuti esse videantur, nihil se temere „ conaturos; pollicentur tamen, si Nacarus in regnum „ fuerit reductus, se imperata ejus obedienter esse fa„ turos.“ Hoc cum esset renuntiatum, Comes ne frustra diutius tempus tereret, et bellum inutiliter differretur, re infecta copias Oranum reducere, Nomadibus equitibus praelio subinde lacessentibus et iter demoranti-

tibus contendit. Nec vero Comes Maurorum pollicitis magnopere confidebat, qui ejusdem gentis in re simillima perfidiam non ita pridem expertus fuerat, cum ad bellum proficisceretur, quo Mahumeto Tremeceni Rege cum exercitu fuso fugatoque, Abaudillam fratrem receptae ac direptae urbis ejusdem Regem constituit; sed jumentorum inopiae simili ratione mederi cogitabat.

V. Concilio igitur praefectorum coacto ad jumentorum inopiam sublevandam placuit, ut sibi quisque miles quinque dierum viaticum portaret, equites praeterea pulverem et globos tormentarios; ad haec ut commeatus et res aliae necessariae in decem Liburnas, quos *bergantinos* recentiore vocabulo nautica consuetudo vocat, imponerentur, ut ab his littora legentibus necessaria peterentur, cum ante Mostaganum receptum non esset agmini a littore recedendum; praeterea ut vehicula cum impositis tormentis a militibus vicissim traherentur. Erant autem tormenta viginti quinque, cetera leviora, quinque magna, et muris quatiendis apta.

VI. His rebus constitutis et imperatis, agmen aquationis causa bipartitum duabus viis proficiscitur, cujus agminis alteram partem Comes, alteram cum tormentis Martinus filius duxit, donec trinis castris ad Zicum flumen processum est, ubi castra conjunxerunt. Mazagranum septimo die perventum est, parvum castellum et muris male munitum; itaque parvo negotio a nostris receptum est, castellanis aufugientibus, et sese Mostaganum, quod inde abest ad quatuor millia passuum, recipientibus. Hic praeter silicas nihil fere vel commeatus, vel praedae repertum. Eodem die ex monticulo, qui

qui Mazagrano impendet, actuariae naves undecim Regis Argeliae, quarum sex triremes erant, prospectae sunt a nostris, quae ab statione, quae contra Mostaganum est, profectae Liburnas nostras remis et velis insequebantur, quarum nulla desiderata est,. quin caperetur, spectante ipso quoque Martino, qui facto in Mauros, quorum maxima multitudo sese ostenderat, impetu, recedentes ad monticulum usque insectatus fuerat.

VII. Qua re permotus Martinus idem, qui cibaria deportantes milites jam defecisse, hostium infinitum numerum et ceteras suscepti belli difficultates non ignorabat, auctor patri fit, propositis difficultatibus, ut tempori cederet, copiasque Oranum reduceret, sed Comes pia monita filii, non ut falsa, nam ipse quoque rerum iniquitatem videbat, sed ut gloriae famaeque suae adversantia, non sibi audienda esse putavit. Itaque postridie agmine composito Mostaganum procedit, castraque loco ad oppidum oppugnandum idoneo ponit. Sequente die tormentis quinque murus cuncuti coeptus: tum levi praelio cum oppidanis erumpentibus dimicaretur, ex Hispania quidam transfuga in castra nostra perfugit. Ex hoc ad se deducto Comes percunctando de rebus omnibus ad bellum pertinentibus, quae ex captivis audierat, certiora cognovit, interceptas esse cum commeatibus omnes decem Liburnas, conspirasse omnem Mauritaniam ad Comitis bellum defendendum, et centum amplius armatorum millia, quorum major pars equis militaret, confecisse, easque copias Cuci et Tremeceni Reges in oram maritimam ad Mostaganum induxisse: advenisse praeterea Regem Argeliae cum militum veterano-

norum octo millibus ex Turcis, Graecisque et religionis desertatoribus Hispanis et Italicis, quorum sex millia jaculatores essent, magnoque tormentorum navibus advectorum numero.

VIII. Haec igitur perfuga, cui cuncta erant explorata, Comiti nuntiavit: quod cum per castra celeriter emanasset, magnus justusque timor cunctorum animos invasit. Nam qui cum Rege Tremecenio ejusque clientibus, ad summam cum parte Maurorum dumtaxat, ut bello superiore, sibi rem fore initio putaverant, quorum multitudinem male armatam et bellorum insolentem facile contemnebant, iidem nunc consentientem Mauritaniam, simulque veteranas bellicosarum nationum manus ad bellum defendendum convenisse videbant, quibus pares esse nequirent tam pauci (vix enim octo millium armatorum numerum explebant) tam male armati, commeatibus amissis, jumentis et rebus bello necessariis destituti, jam inopia frumenti tentati, viribus diminutis, quique nulla spe subsidii in terra penitus hostili subleventur. Quamquam igitur notum omnibus erat, Martinum a patre frustra de receptu precibus contendisse, ceteri tamen primorum ordinum praefecti consiliis communicatis ex communi sententia Comitem, ut idem cum ipso agerent, adierunt, si forte plurimorum consentienti judicio concedendum putaret, pro quibus Fernandus Carcamus, qui principem locum obtinebat (erat enim equitum praefectus, ac extra ordinem vagantis manus tribunus) in hanc sententiam locutus est.

IX. „Non ignoramus, magnanime Comes, prae„fectorum militarium officium esse in bello ducis im-

„pe-

„ perata obedienter facere, non autem ei de rebus ge-
„ rendis consilium dare, nisi forte deliberandi causa in
„ concilium vocati sint. Itaque non ignoratione officio-
„ rum, nec arrogantia communicatis consiliis fecimus,
„ ut non exspectaremus, dum nos, ut quandoque face-
„ re soles, in consilium adhiberes, sed necessitate, quae
„ saepe officiorum ordinem pervertit, et periculo com-
„ pulsi adsumus, quo te in hac rerum iniquitate, quid
„ nostri consilii sit, certiorem in tempore faciamus, ne
„ occasione praeterita, frustra de remedio consultemus.
„ Quo malorum atque discriminis exercitus noster ini-
„ quitate fortunae adductus sit, partim ipsi sentimus,
„ inopia rerum omnium laborantes, partim ex captivo-
„ rum consentiente voce, et perfugae confirmatione ha-
„ bemus exploratum. Cibaria, quae milibus ad Oranum
„ viritim distributa sunt, celeriter milites iidem consum-
„ serunt, sic ut jam dies aliquot silicis potissimum ex-
„ tremam famem sustentent, et cum res sit dura, nulla
„ spe melioris conditionis sublevamur. Terra omnis ho-
„ stilis est, mare obsessum hostili classe, interceptae
„ cum commeatibus et aliis rebus necessariis nostrae
„ Liburnae, quibus jumentorum extremae inopiae mede-
„ ri posse putabamus, hostium vires praeter omnium
„ opinionem non solum numero militum, sed etiam ge-
„ nere sunt auctae; rem nobis cum Rege dumtaxat Tre-
„ mecenio fore putaveramus, ut tibi fuit pridem cum
„ Mahumeto, quo tempore, ipso ejusque exercitu fuso
„ atque fugato Abaudillam Regem Tremeceno praefe-
„ cisti; num cum Rege novo illius civitatis, et cum
„ Rege Cuci omnis Mauritania omnesque Nomades in

„ nos

„ nos conspiraverunt, quorum ingens peditatus et equi-
„ tatus multitudo convenire non desistit, quae his no-
„ stris copiis tam paucis, tam male acceptis, magna ex
„ parte tironibus ipsa per se metuenda foret, etiam com-
„ meatu suppetente. Ad has difficultates et incommoda
„ accedit Argelianorum ex bellicosis nationibus veterana
„ manus, copiis nostris par numero, et omni belli ap-
„ paratu mari terraque superior, de qua initio belli
„ minime omnium suspicabamur, et quae jam periculum
„ nostrum ex omnibus una maxime auget. Sic igitur
„ nos omnes censemus, tibique auctores sumus, ut ex-
„ ercitum nulla interposita mora, antequam hostium ad-
„ ventantium majores copiae conveniant, Oranum re-
„ ducas, de quo jam a Martino filio magnae virtutis,
„ magnique consilii viro, et omnia sapientissime per-
„ pendente admonitus fuisti; neve committas, ut, dum
„ gloriae servis, mortemque ipse contemnis, exercitum
„ a Rege nostro Philippo tuae fidei commissum perdi-
„ tum eas, eumdemque jam fame et lassitudine confe-
„ ctum, et diffidentia fractum, integris et magna ex par-
„ te superioribus hostibus, quique victoria explorata ma-
„ gnos spiritus sumserunt, trucidandos sciens et volens
„ objecisse videaris, publico scilicet certoque periculo,
„ et ad Oranum et Magnum Portum, impositamque ar-
„ cem, quod est jam unicum ad hanc Africae mariti-
„ mam oram Hispanorum perfugium, recasuro. At est
„ fortis celsique animi magna pericula subire, mortem-
„ que contemnere. Fateor, sed ita, si temeritas absit,
„ si tempore fiat, si cum spe aliqua victoriae. Sed il-
„ lud in primis meminisse oportet, quod viri sapientis-

„ simi scripserunt, promtiores homines esse debere, prae-
„ sertim duces, ad sua pericula, quam ad communia.
„ Quocirca Cleombrotum et Callicatridam Lacedaemo-
„ niorum duces vituperant, qui nequam laudis, vel mi-
„ nimam jacturam facerent, cum hostibus impari con-
„ ditione conflixerunt, victique florentem rempublicam
„ sua temeritate labefactarunt; contraque Fabio Maximo
„ Cunctatori magnae laudi datum est, quod sua cuncta-
„ tione Romanam rempublicam restituit; ac, ut ceteros
„ omittam, Julius Caesar, cujus post homines natos pri-
„ ma laus est in bellis gerendis, post plurimas et prae-
„ claras victorias, tamen facto ad Dyrrhachium adver-
„ so praelio, non turpe putavit se suasque copias per-
„ territas magnis itineribus periculo subtrahere; cujus
„ salutaris ac prudentissimi receptus, quem invidi fu-
„ gam alieno fortasse nomine vocaverunt, praemium
„ fuit orbis terrarum imperium, quo paulo post eorum-
„ dem militum opera, cum animum recepissent, potitus
„ est, Pompejano exercitu fuso, duce fugato. Sed ut
„ vetera omittam, finemque dicendi faciam, nonne Fran-
„ cisco Gallorum Regi, et Henrico filio, principibus bel-
„ licosissimis et magni consilii, magnae laudi nuper da-
„ tum est, quod bello Gallico cum a Carolo impera-
„ tore Rege nostro multis rebus superiore, qui ad Lan-
„ dresinum castra castris contulerat, urgeretur, ignibus
„ ad speciem factis intempesta nocte silentio profecti ad
„ salutem fuga contenderunt, vitatoque periculoso cer-
„ tamine se suosque periculo subtraxerunt? Quo te igi-
„ tur humanitas, fides et officium hortatur, eodem non
„ modo verissima ratio, sed clarissimorum virorum exem-
„ pla

„pla vocant, ut in hac rerum iniquitate publicae saluti „consulas, Oranumque copias reducere properes. Quod „ut facias nulla interposita mora, tormentis, ne pro- „perantes morentur, relictis, te iterum atque iterum „oramus et obtestamur."

X. Haec apud Comitem cum dixisset Carcamus, ceteri praefecti constante claraque voce assenserunt, seque omnes et totum exercitum idem sentire, idem postulare et obsecrare dixerunt; quorum consensu Comes, verisque et necessariis rationibus permotus, de receptu se illorum voluntati morem gesturum esse dixit, de tormentis relinquendis negavit, non reddita ratione, hoc tamen consilio, ut si hostes, qui equitatu, et hippotoxotis plurimum valebant, instarent et urgerent, sic ut nostri pugnare cogerentur, quod fore non ambigebat, in acie potius armati, seque fortiter ulciscentes honeste caderent, quam abjectis armis miserabiliter ac turpiter trucidarentur, vel capti ad servitutem abstraherentur.

XI. Proximae igitur noctis secunda vigilia castra silentio movet; sed cum boum ac jumentorum inopia tormenta etiam majora a militibus traherentur, nulla parte noctis ad laborem et iter intermissa, aegre tamen quatuor passuum milibus confectis, e regione Mazagrani processum est. Hostes autem propere, Comitis consilio ex profectione cognito, exciti undique advolant, sic ut ad solis exortum armatorum hominum ex Mauritania supra centum millia, quorum major pars erat equitatus, sese nostris in conspectum darent, praelioque lacesserent, itemque Argeliana manus affuit, quae robur exercitus erat, ut genere militum, armatura, tormentis

et omni apparatu belli praestabat. Quibus prospectis Comes aciem instruit, locis idoneis tormenta collocat, ac suos hortatur, ut ope divina freti, memoresque Hispanorum bellicae gloriae impiorum multitudinem contemnerent, in hostes, qui jam accedentes eminus tela contorquebant, ipsi quoque tormentis et scloppetis contra jacularentur, et eorum impetum fortiter sustinerent, ac si res postularet, ultro etiam inferrentur. Quae omnia a nostris ad multum diem, multis vulneribus acceptis, sed longe pluribus illatis, fortiter administrata sunt, Comite ipso non modo strenui ducis, sed etiam militis fortissimi in ea rerum iniquitate, ne inultus caderet, fungente.

XII. Ceterum Argelianis jaculatoribus ingruentibus, et rem audacius acriusque gerentibus, tirones milites, quae major pars erat exercitus Hispani, viribus jam non modo corporis, sed etiam animi deficientibus, cedere, et Mazagranum sese recipere coeperunt. Martinus autem Corduba cum Oranensi veterana manu impetum hostium tam diu fortiter sustinuit, donec graviter vulneratus equo dejectus est, dextera quoque saucia et ad pugnam inutili reddita; tum vero pugna necessario excessit et Mazagranum sese recepit. Comes vero, animadversa suorum fuga, celeriter accurrit, et stricto gladio sese cedentibus opponit, et gravissimis verbis castigando sistere conatur: sed frustra perterritos, et in fugam versos, atque famelicos dehorteris; timor enim et fames dehortationes et ad gloriam pertinentia monita non audit, subsidia necessaria officio et omni laude potiora ducit. Itaque cum multi magno caecoque impetu ferren-

rentur, et ad castelli portam, quo Comes venerat, alii aliis impedimento essent, factum est, ut sequentium impulsu praecedentes nonnulli prosternerentur, et aliis super alios cadentibus obruerentur, atque intercluso spiritu pernecarentur, quorum fuit Comes ipse ductor exercitus, vir quidem magnus, et qui multa singularis praestantisque virtutis documenta ciendis pugnis praebuerat, sed promtissimis invictique animi ducibus magis, quam cautis, aut felicibus annumerandus.

XIII. Accidit autem in ea hominum trepidatione et rerum perturbatione, ut tormentarii pulveris cadi nonnulli igne, nescio unde concepto, conflagrarent, eoque incendio tormentarii jaculatores, et multi praeterea mortales miserabiliter deperirent; qui casus ut nostrorum diffidentiam, sic hostium alacritatem, quam sublato magno clamore declararunt, non mediocriter auxit; itaque rebus desperatis, reliqui omnes Mazagranum parum decore confugerunt. Quamquam si verum quaerimus, si aequi esse volumus, neminem illorum ignaviae nomine magnopere damnabimus, qui rebus tam afflictis atque adeo desperatis, ne frustra et cum certo periculo niterentur, ad salutem fuga contenderunt, praesertim cum pugna non prius excesserint, quam pugnando magnam partem suorum amisissent, multo plures hostium occidissent, qui tamen quota pars innumerabilis multitudinis fuit.

XIV. Idemque judico de deditione eodem die ab eisdem fame pereuntibus, duceque orbatis facta, auctore potissimum Jo. Vasco Ajora, qui magistratui praeerat, quem *generalem Commissarium* appellabant, praefectis con-

consentientibus, praeter Martinum Cordubam et Fernandum Carcamum, quos praefecti, ne forte necessariae deditioni obessent, consulendos, aut in consilium adhibendos non putarunt; dum enim milites portas obstruunt, et muros defendunt, et interrupta reficiunt, praefecti, consiliis communicatis, legationem de pace ac deditione ad Hazenum Argeliae Regem decernunt, missique cum mandatis sunt Legati tres, qui facile a Rege pacem his conditionibus impetraverunt: „ primum ut „ facta deditione cunctorum dedititiorum vitae parceretur, „ deinde ut ex his quinquaginta, quos ipsi nominassent, „ libertate donarentur. "

XV. Hoc constituto, Rex vicissim Legatum Mazagranum cum mandatis mittit, qui pacem et pactas conditiones cum Martino Corduba et ceteris praefectis suo nomine confirmaret, sed Martinus, cum Legatus ad eum venisset, et mandata Regis exposuisset, sacramento confirmavit, se non modo auctorem, sed ne conscium quidem consilii fuisse de mittenda de pace legatione, qui mori paratior esset, quam turpiter dedi. Tali responsione praeter opinionem audita, Legatus hinc periculis et difficultatibus, ac rerum omnium inopia, qua ipse cum manu illa premeretur, commemorandis, inde Regis voluntate deferenda, et fide arctius de liberandis dedititiorum quinquaginta obstringenda, coepit ipsum ad salutarem et necessariam deditionem adhortari; sed non ante ut conventis conditionibusque pactis subscriberet, persuasit, quam nuntiatum est, jam Turcarum praesidium in castellum esse receptum.

XVI. Ceterum deditione facta, nulla conditio a perfi-

fidis hostibus servata est. Nomades enim dedititios, qui ad ipsos ceterosque Mauros, quae major pars fuit, per pactionem pervenerant, omnes fere trucidaverunt, Rex autem cum suos Argeliam deduxisset, postulatus a captivis, ut datam fidem de liberandis quinquaginta praestaret, negavit se fide teneri eis data, qui secum fallaciter ac mendaciter egissent, affirmantes in petenda pace praefectos omnes consentire, cum Martinus Corduba et Fernandus Carcamus, qui principem locum obtinerent, ejus consilii essent prorsus ignari; quin sibi gratiam potius habendam esse, quod eos vivere pateretur. Impia vero vox, nec Rege, sed latrone perfido, et versuto praedone digna, quae levi et omni dolo vacans mendacium, et quod pactis ac pollicitis nihil obstitisset, causam, nec veram, nec probabilem sceleratae perfidiae, jure gentium et naturae violato, impudentissime praetendit.

XVII. Insequente anno, qui fuit Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus nonus, Philippus, ut supra innuimus, rebus ad imperii Belgici administrationem pertinentibus constitutis, ac illarum gentium, quae ipsius imperio parent, procuratione ad Margaritam sororem delata, ipse in Hispaniam per Oceanum navigavit, qui tam foeda tempestate jactatus est, ut classis omnis extremum periculum adiret, jacturamque facere cogeretur, et naves novem naufragio quoque perirent. Itaque disjecta classe, cum alii in alios portus, quo cuique proximum erat, et per ventum fluctusque licebat, appellerentur, ipsa regia navis tantis perfuncta periculis, fortunae beneficio, ac potius ope divina, nonnihil etiam nautarum diligentia Lareti portum in Cantabria tenuit, sexto ANN.M.D.LIX.

to

to idus Septembris, unde Valdolitum regium oppidum et summorum magistratuum sedem progressus, nulla obviam publice prodeuntium caerimonia excipi voluit, sed paucis nobilibus equitibus, qui privato consilio prodierant, comitantibus oppidum intravit, intraque aulam a sorore Joanna Caroloque filio, et aulicis virginibus et matronis magna cum laetitia receptus est.

XVIII. Jam vero quanta cura et solicitudine Carolus Caesar paulo ante obitum per litteras et nuntios, et moriens testamento, et item codicillis, tum liberis, tum magistratibus de plectendis et coërcendis Lutheranis haereticis in Hispania diligentissime mandaverit, suo loco est a nobis memoratum, quorum mandatorum, munerisque sui non oblitus Fernandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis, qui summo tribunali praeerat haereticorum causis privatim dicato, litteris per omnem Castellam dimissis diligenter inferioribus magistratibus, *Inquisitoribus* more nostro nuncupatis, pro suo jure praecepit, ut quaestiones accuratius exercerent, praesertim Valdolitensibus, Zamoranis et Hispalensibus; ad ea enim loca Lutheranam pestem ex Germania derivatam serpere, contagioneque vulgari delatum erat; cujus mali Monachi potissimum auctores et satores esse ferebantur ex familia Dominicana, et eorum quidam illustri genere nati, quos non tam mentis error, quam impune peccandi cupiditas abstraxerat, nam ea licentia facile se potituros confidebant, siqua ratione, siquove dolo pestis Lutherana per se facto initio latius Hispaniam occupasset; quam licentiam Martinum Lutherum in Germania nefarie secutum fuisse, pluribus verbis in eo libro testati sumus, quem

quem initio malorum in eumdem Lutherum ipsorum auctorem Romae elucubravimus edidimusque.

XIX. Complures igitur haeretici ad Vaccaeorum regionem, qua Pallantia, Valdolitum, Taurus et Zamora continentur, comprehensi sunt, et Valdolitum deducti, custodiaeque dati; quorum causa cognita principem impietatis locum Augustinus Cazalla tenuisse compertus est, Canonicus Salmanticensis, doctor theologus, non tam doctus, quam dicendi et concionandi facultate instructus; itaque in sacello regio non solum sacrificus erat, sed etiam concionator; unde nobis familiari consuetudine notissimus, praesertim antequam in Germaniam Carolum Caesarem secutus fuisset, cujus gentis consuetudine contagioneque morbi Lutherani labe contaminatus infestusque redivit; quin etiam post Caroli Caesaris, ejusque reditum, cum ipse longo intervallo Valdolitum in aulam ex patria revertissem, ut ex itinere Carolum ad aedem Justi, quo secesserat, suppliciter salutarem, saepe Cazallam eumdem in aula de religione et moribus disserentem audivi, quibus concionibus Reginae Caroli sorores Eleonora et Maria, itemque Joanna filia, et Carolus nepos aderant, simulque animadverti, id quod ex ipso etiam audivi, eum magna solicitudine cavere, nequod verbum excideret concionanti, quod ab aemulis et invidis, quos vehementer extimescebat, ad calumniam trahi posset, quo timore maxime solicitatur, ut quisque maxime ejus generis suspicione, qua ille non leviter premebatur, laborat.

XX. Itaque mihi saepe de casu Cazallae cogitanti demirari in mentem venit, quis furor, quaeve caecitas hominem intelligentem et cautum in tam nefarium, pe-

riculosum perniciosumque consilium pepulerit; sed me animo cuncta collustrantem timoris illius ac solicitudinis recordatio consideratioque in eam suspicionem induxit, ut eum similem Monachorum peccandi licentiam secutum fuisse existimem. Nam ut improbi Monachi incontinenter vivendi impunitatem scelere petebant, sic fortasse Augustinus Cazalla a se, et propinquis, et ceteris id genus hominibus periculum et timorem depellere nefaria molitione nitebatur, magnamque gratiam et laudem se ab eis consecuturum, non impie solum, sed etiam levissime et stultissime confidebat.

XXI. Haereticis igitur in secretiore tribunali damnatis, ut palam et coram omni populo sententiae pronuntiarentur, suggestum ex more in foro aedificatur, quo Joanna regni procuratrix, et Carolus fratris filius, cum magno Procerum et nobilium comitatu affuerunt; praeterea non solum ejus, quod more nostro *Sancti Officii* cognominatur, sed ceterorum omnium regiorum Consiliorum Senatores convenerunt, ut res cum majore auctoritate et caerimonia perageretur. Tum haeretici damnati numero viginti novem insignia legitima tali tempore consueta gestantes, atratamque crucem sequentes producuntur, omnes Lutherani praeter unum Gonsalum Vaecium ex Elvibus Lusitaniae, qui ut genus ducebat a Judaeis, sic Judaeum animum et mores christiana fronte nomineque occultabat. Erant ex utraque parte suggestus bini subselliorum ordines, quorum in superioribus morti addicti sedere jussi sunt, in inferioribus ceteri, quorum vitae magistratus pepercerant, quia tempore crimen confessi veniam suppliciter imploraverunt.

Sed

XXII. Sed primis locis superiorum ordinum, hinc Augustinus Cazalla, illinc Franciscus Biverus presbyter ejusdem Cazallae frater collocati sunt, quia insignius deliquerant, deinceps ceteri capite et bonorum publicatione damnati, omnes numero quindecim, quorum fuere Antonius Ferreruellus Tauriensis legulejus, Christophorus Padilla, et Christophorus Ocampus Zamorenses, Alfonsus Perezius presbyter Pallantinus, Franciscus Ferrera jure peritus Pegnarandensis: item ex feminis Beatrix Bivera, Monacha, Cazallae soror; et pro Leonora Bivera matre defuncta, ossa ejus et statua in rogum conjicienda. Infra hos levius damnati quatuordecim locati sunt, et in his claris familiis orti Petrus Sarmentus Marchionis Pozensis filius, ejusque uxor Maria Figueroa, sororque Maria Roxas Monacha, et Ludovicus Roxas illius principatus heres, Anna Henrica Marquesiae Alcagnizii filia, item Joanna Silva Montimajorensis Marchionis filia.

XXIII. Citatus primus omnium Augustinus Cazalla, qui quadraginta testibus convincebatur, cum sua scelera et sectas impias, quas docebat (eae autem omnium errorum Martini Lutheri, ac potius flagitiorum et impietatum summa erant) audiret, magna et clara voce cuncta confessus est, multisque lacrymis sententiam in se pronuntiatam probavit, suam damnationem justissimam esse confirmans. Nam ceteri ejusdem ordinis eodem modo vocati et condemnati intra silentium sese continuerunt, et item alii, quorum vitae magistratus pepercerunt, qui pro morte perpetuo carcere damnati sunt, bonis item publicatis.

M 2 His

XXIV. His rebus confectis alteri in carcerem retruduntur, alteri civilibus magistratibus ex more justis legitimisque poenis plectendi, id est rogis exurendi traduntur, qui dum in rogos ad portam campi praeparatos ducerentur, Augustinus Cazalla toto itinere, in ipsisque rogis usque ad extremum spiritum non cessavit ceteros piis doctisque verbis ad fidem et catholicam pietatem cohortari, sua scelera cum eorum magna detestatione confiteri, et veniam a Deo suppliciter ac miserabiliter implorare. Ita omnes fidem catholicam morientes agnoverunt, professique sunt, ideoque prius strangulati, quam usti, praeter Antonium Ferreruellum, qui ut erat ingenio pertinax, errorem pertinaciter tenuit, jureque vivus flammis corpore cruciatus miserrimam animam efflavit ad supplicia sempiterna. Nec vero solum in convictos mortales pro eorum delictis animadversum est, sed etiam domus Augustini Cazallae, quo disciplinae gratia haeretici ad ipsum conveniebant, dejici ac solo aequari jussa, in cujus area basis erecta est cum scriptione, qua res gesta summatim memoratur.

XXV. Ab eo tempore propter injectam suspicionem inquiri coeptum est in Bartholomaeum Carranzam ex Miranda Navarrae, Monachum Dominicanum, qui Joanni Martino Siliceo in pontificatum Toletanum successerat Philippi Regis voluntate, quem in Britanniam secutus fuerat; is enim non modo quorumdam ex damnatis haereticis testimonio, sed libello etiam edito premebatur, in quo quaedam scripserat, quae Lutheranismum sapiebant, ac ejusmodi, ut causa ex vinculis dicenda esse vide-

de-

deretur ; sed quia jure Pontificio cautum est, ut Episcoporum haeresis nomine suspectorum causae ad Romanum tribunal undique rejiciantur, idcirco summo Sacerdote inconsulto magistratus nostri nihil sibi conandum esse statuerunt ; sed postulata et impetrata a Pio IV. Pontifice Maximo facultate, ut Archiepiscopi causa in Hispania cognosceretur, judicium Apostolico tribunali reservaretur, datum negotium est ejus comprehendendi Jacobo Ramiro, qui Toleti et in omni Carpetania Inquisitorum alter erat.

XXVI. Ab hoc igitur, et Roderico Castro, qui ad eum cum litteris et mandatis praesidioque hujus rei causa missus fuerat, ad Torlagunam suae ditionis oppidum in Carpetania comprehensus est sine repugnantia: tantum objecit, nec jus esse, nec fas se a quoquam vel capi, vel judicari praeter Pontificem Maximum, sed prolatis litteris Pontificiis conticuit, manusque dedit. Ita comitatu praeter paucissimos dimisso, Valdolitum, ut erat imperatum, deducitur, et in aedes Petri Gonsali Legionensis custodiae datus, unde causam dixit aliquot annos, et dum haec proderemus anno Christi M.D.LXIV. dicebat, Philippo Rege non invito, a quo nullis Procerum precibus impetrari potuit, ut ipse Archiepiscopi causam extra ordinem cognosceret, negante se in causa catholicae religionis laesaeque Divinae majestatis quidquam ex legitimis et consuetis mutaturum, vel remissurum, non si Joanna soror in discrimen adduceretur.

XXVII. Ceterum cum diligenter quaestiones ab Inquisitoribus exercerentur, de multis praeterea haereticis compertum erat, quo tempore Philippus Valdolitum venit,

nit, qui cum Toletum progredi vellet, huc enim concilium Castellanorum indicere cogitabat, postulatum ab eo est, ne prius Valdolito proficisceretur, quam se praesente judicium in comprehensos haereticos exerceretur; quo impetrato, rebusque ex more, ut superiore mense Majo, comparatis, postridie Nonarum Octobris productis in suggestum haereticis res eodem modo gesta est, Philippo et Joanna sorore, Caroloque filio praesentibus, qui libenter Fernando Valdesio Hispalensi Antistite et Inquisitorum per omnem Hispaniam praefecto deferente, jure jurando polliciti sunt, se nullo loco Fidei Ecclesiaeque catholicae et Romani Pontificis auctoritati defuturos. Itaque actis causarum recitatis, pronuntiatisque sententiis tredecim capite damnati sunt, et civilibus magistratibus traditi, ut igne punirentur, quorum septem vivi in flammas conjiciuntur, quia in errore perstiterunt, Dominicus Roxas Pozensis Marchionis filius, Monachus Dominicanus, Carolus Fessus, Franciscus Sanctius Augustini Cazallae domesticus, et quatuor Monachae ex coenobio Bethleemitano, quod Cazalla frequentabat; multi praeterea viri feminaeque fuerunt perpetuo carceri condemnati.

XXVIII. Eodemque modo post aliquot menses ad Hispalim fuit in haereticos Lutheranos animadversum, quorum fuerunt ex clarissimis familiis Joannes Poncius Leo, et Dominicus Guzmanus Monachus Dominicanus, praeterea Constantinus et Aegidius theologi, concionatores celebres, qui cum ante morbo fuissent absumti, eo tamen die pro ipsis, quod licuit, in eorum ossa saevitum est, his in ignem injectis ignominiae causa.

In

XXIX. In Hispaniam igitur reversus Philippus in eam maxime curam insistebat, ut inchoatum Isabellae Regis Galliae filiae matrimonium ad exitum perduceretur. Itaque Legatis ultro et citro missis, et re cum principibus Galliae constituta, ipse duobus ex more viris principibus negotium dat Isabellae venienti obviam ad Galliae confinia prodeundi, et traditam a Gallis in Hispaniam et locum celebrandis nuptiis ad Carpetaniam destinatum deducendi. Hi autem fuerunt ex Ecclesiasticis Franciscus Episcopus Burgensis, et idem Ecclesiae Romanae Cardinalis, ex Proceribus Inechus Lupus Mendoza Dux Infantati, qui magno sumtu magnaque ambitione pro se quisque profectione comparata, cum grandi nobilium illustriumque virorum comitatu magnoque apparatu, multis mulis sumtuose et ambitiose stratis, commeatuque onustis, magnis denique impedimentis exercitus instar profecti ad Pompelonem Navarrae urbem regiam tertio Idus Decembris convenerunt, ibique, dum Isabella ad Hispaniae Galliaeque confinia perveniret, exspectaverunt, id est ad Kalendas Januarii sequentis anni. Quo die cum perlatum esset Isabellam Roscidae Valli, quod oppidum in ultimis Hispaniae finibus est ad saltum Pyrenaeum, appropinquare; Pompelone moventes, quarto die in Roscidam Vallem, quo jam Regina pervenerat, processerunt, in cujus Reginae grandi comitatu ac deducente multitudine principem locum obtinebat Lorena Cardinalis, et Bandoma Legati, ex feminis autem Bandomae uxor.

XXX. Erat in aedibus, quo Regina diverterat, latum conclave ad congressum praeparatum. Hic Regina no-

nobilissimarum matronarum et virginum frequente comitatu septa, principum quoque virorum corona circumfusa sedebat, cum Cardinalis et Dux Philippi Legati, ut officio suo fungerentur, introducti sunt, qui accedentes Isabellam supplices venerati sunt, suamque Reginam salutaverunt; tum Legati utrique, dicta redditaque salute, ad officium convertuntur, Reginaque solemni ritu et consueta caerimonia Philippi Legatis traditur. Hinc Gallis domum redeuntibus, Reginam nostri in Carpetaniam perducturi Pompelonem contendunt, quae civitas appropinquanti Reginae et Taconeram late patentem campum ingressae obviam progressa est cum Gabriele Çueva, qui Navarram procurabat, magnaque gratulatio ludis, choreis et tripudiis, atque intra urbem etiam tormentorum tonitribus et scloppetorum bombis ex muris et arce facta est.

XXXI. Triduo ad Pompelonem requietis causa consumto per Olitem, Tutelam, Soriam et Berlangam viam habuerunt, populis ubique magna cum gratulatione Reginam et comitatum liberaliter et comiter excipientibus. Inechus quidem Velascus Castellae Comestabilis Berlangae omnem aulam et viros primarios accepit apparatu principali, et omnem comitatum suis sumtibus aluit, capitis etiam poena constituta siquis suorum popularium quidquam, quod ad hominum victum, vel jumentorum pabulum pertineret, hospitibus vendidisset, ut sic omnes ex penu ejus, quae cunctis pateret, domoque gratis cuncta petere cogerentur.

XXXII. Ex Berlanga Regina Guadalajaram, quo jam Philippus et Joanna soror matrimonii causa convene-

ne-

nerant, Kalendis Februarii perducta est; postridie nuptiae celebratae, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus sexagesimus; fuerunt autem administri Sacramenti Franciscus Cardinalis Burgensis; sic enim vulgo nominabatur: paranymphus vero Inechus ipse Dux, paranympha Joanna Philippi soror, si licet haec verba pro patrino et matrina, jure Pontificio receptis vocabulis, usurpare. Perpaucis diebus Guadalajarae Philippus cum magna popularium jucunditate et gratulatione commoratus, Toletum, quo fuerat Castellae concilium indictum, cum uxore et sorore movet, atque per Complutum et Madritium, his quoque populis obviam Reginae prodeuntibus, et cum magna laetitiae significatione excipientibus, Idibus ejusdem mensis pervenit, cum jam civitatum Legati eodem, ut fuerat imperatum, convenissent.

XXXIII. Expugnato direptoque a nostris Aphrodisio, quod oppidum Dragutis archipiratae sedes erat, ejusque praesidio tenebatur, et post aliquot annos, nequa spes recipiendi perfugii praedonibus Turcis superesset, exciso et solo aequato, Dragutes idem Tripolim non invito Solymano Principe Turcarum occupavit, suis rationibus ad Christianos piraticis infestandos peropportunum, cujus oppidi occasione Caruani Regem finitimum regno illatis armis spoliavit, et in proximos montes cum amicis Nomadibus confugere coēgit. Is ad regnum recipiendum, et Dragutem ulciscendum, optimum factu esse judicavit amicitiam cum Christianis inire, praesertim cum religiosis Militibus sancti Joannis, qui Melitem insulam obtinebant, unde Tripolis non longissi-

N

sime abest ; quam vicinitatem Melitensibus suspectam esse Rex idem non ignorabat. Ita missa ad Magistrum Militum legatione, de suo casu, deque injuriis Dragutis communis hostis, ac de pessimo in omnes mortales, qualis praedonum esse soleat, animo certiorem facit ; periculum commune proponit, nisi mature provideatur ; si Christianorum classis cum milite adsit ad Dragutem opprimendum et Tripolim recipiendum, se magno cum Nomadum equitatu et popularium suorum peditatu praesto fore, et commeatus suggesturum, quibus agro potiatur, cum omnibus Dragutes suspectus esset et odiosus, seque rebus omnibus Christianos ad bellum Dragutis juvare liberaliter pollicetur.

XXXIV. Pergrata fuit Militum religiosorum Magistro benigneque audita Regis Caruani legatio, sibique negotium curae fore respondit, ut bellum tempore rebusque necessariis comparatis et consiliis diligentius communicatis administretur ; sed idem militum Magister, qui Caruanensis Regis legationem contemnendam non putabat, negotium tamen suis viribus majus esse intelligebat ; itaque Regem Philippum missa legatione de rebus omnibus certiorem facit, hortaturque, ut negotium ad omnes quidem Christianos communiter, sed ad ipsum Philippum maxime omnium spectantem susciperet, nec occasionem dissidentium hostium perire pateretur. Philippus vero, cum id temporis in curam Gallici belli totus insisteret, legationis negotium ac deliberationem in tempora commodiora rejecit, sed bello confecto cum pax inter Reges convenisset, rursus ab eodem religiosorum Militum Magistro solicitatus Philippus

de

de bello Dragutis cogitare coepit, quod reliqua aestate ejus anni, qui fuit Christi millesimus quingentesimus quinquagesimus nonus, nec magno sumtu confici posse multis erat persuasum, si praesidiis ex Insubribus, regnoque Neapolitano et Sicilia pacem agitantibus deductis, et in ordinariam triremium classem impositis, rebusque necessariis comparatis, diligenter administraretur.

XXXV. Primum igitur omnium Philippus Joannem Cerdam Methymnae Salonis Ducem, qui pro Rege Siciliam procurabat, toti bello praeesse et imperii summam obtinere jussit, litterisque dimissis Suessanum Ducem, qui Mediolanensem principatum obtinebat, et Petrum Poncium Henricum Alcalensem Ducem, Proregem Neapolitanum, certiores facit, deque praesidiis deducendis, et milite, ac tormentis reliquoque apparatu belli suggerendis, quod commodo reipublicae facere possint, praecipit. Ad haec Joannem Andream Doriam toti classi officioque maritimo praeesse jubet: naviumque onerariarum cura Andreae Gonzagae demandata est.

XXXVI. Sic rebus per Philippum profectionem ex Belgio in Hispaniam parantem constitutis, et ad mediam fere aestatem per nuntios et litteras imperatis, tamen dum res necessariae comparantur, milites partim ex praesidiis deducti, partim novo delectu confecti in naves imponuntur ac Messanam comportantur, quod reliquum erat aestatis paene consumtum est. Itaque circa Novembris Kalendas classis Messanam relinquens Syracusas compulsa est, quae classis triremium erat quinquaginta trium, sexdecim Genuensium, quae eumdem Jo. Andream privatim sequebantur, quindecim Neapolita-

narum, quibus praeerat Sanctius Leiva, Sicularum decem, quibus Berenguelus Requesensius, religionis militaris quinque, Pontificis Maximi trium, Florentinarum quatuor: praeterea quatuor biremium, quamquam ex triremibus quatuor Syracusas non pervenerunt: naves autem onerariae triginta tres convenerant et multa praeterea minora navigia. Copiarum vero numerus, ut putabatur (numquam enim toto navigationis bellique tempore census est habitus) novem millium Italicorum erat, Hispanorum circiter quinque, Germanorum mille, equites autem ducenti, nec levis armaturae, nec plane cataphracti; praeterea fabrorum et operariorum ad duo millia. Sed antequam classis et impositus exercitus Syracusis discederet, Italici milites, qui diutius navibus contenti fuerant, et angustius impositi, et parum commodis commeatibus usi, valetudine tentari coeperunt, invalescente latiusque serpente morbo, qui multos omnis generis absumsit.

XXXVII. Tandem navibus vectoriis ex portu Syracusano invitante vento remulco deductis, et in Pachynum promontorium, inde in Melitem insulam cursum dirigere jussis, ductor ipse Cerda et Joannes Andreas Doria postridie Kalendarum Decembris profecti cum triremibus antecedunt, et postero die primis tenebris Melitem insulam attigerunt. Cum autem vectoriae naves parumper processissent, nec dum Pachynum tenuissent, mutato vento Syracusas necessario redierunt, nec ante diem ejusdem mensis vigesimum sextum idoneam navigandi tempestatem nactae sunt. Tunc vero triremium decem et septem hujus rei gratia remissarum auxilio rur-

rursus eodem portu digressae Melitem omnes incolumes pervenerunt, sed morbo in milites etiam nunc grassante, sic ut in brevi tempore eorum vix dimidium superesset. Itaque supplementi causa conquisitores in Siciliam missi sunt, qui peditum duo millia conficerent.

XXXVIII. Huc quoque milites Hispani, qui in praesidiis Neapolitanis remanserant, a Prorege, ut exercitus paucitati mederetur, missi pervenerunt. Mense Februario sequentis anni, qui fuit Christi millesimus quingentesimus sexagesimus, naves onerariae e portu remulco deductae sunt, et in syrtem *Pali* cognominatam contendere, portumque capere jussae, qui a Tripoli abest passuum millibus circiter sexaginta. Duces autem cum longis dumtaxat navibus, nec his omnibus antecedentes in Meningem insulam ad Cantaram portum aquandi causa diverterunt. Ad hanc insulam interiorem unus dumtaxat aditus navibus patet perangustum alveum sive canalem, singularis modo triremis capacem. In hoc duae biremes hostiles erant, milite ac tormentis instructae, paulo a continente remotiores. Has vel expugnare repugnantes, vel desertas incendere non fuisset nostrorum rationibus alienum; per has enim Dragutes Byzantium properare jussus, ut postea compertum est, Solymanum Turcarum Principem de nostrae classis hostili adventu, et cum Tripoli illam maritimam oram occupandi consilio certiorem fecit, et subsidium implorans impetravit; quod ne tentaretur, obfuisse fertur locorum atque canalis angusti, brevis et sabulosi, cujusmodi syrtes esse solent, insolentia, quorum locorum peritus ex nostris esset nemo. ANN. M.D.LX.

XXXIX. Postridie mane Hispanorum, religiosorum-

rumque Militum manus ad trium millium et quingentorum in terram descendere jussa, ut aquantibus essent praesidio, cumque his Cerda ipse et Alvarus Sandius inexplorato descenderunt. Aquatione incepta Dragutes, qui paulo ante in Meningem cum Turcarum Afrorumque manu venerat, nostris, qui sine tormentis processerant, sese ostendit, eminusque a jaculatoribus praelium commissum est, et ad vesperam leviter pugnatum; sed aquatione peracta nostros se ad naves recipientes Dragutes ignotus adhuc cum equitibus circiter quadringentis paene usque ad naves urgere pergit, sic ut iidem nostri hostem repellendi causa consistere cogerentur, quo represso et per impetum a jaculatoribus factum pulso, longiusque remoto, liber fuit jam Christianis ad naves receptus, cum in eo praelio jactura centum circiter hominum facta esset partim vulneratorum, partim etiam occisorum. Ex hostibus multo plures ceciderunt, et vulnus acceperunt: nemo tamen vivus captus est a nostris id ipsum maxime cupientibus, quibus nihil erat de Dragute et rebus hostilibus exploratum.

XL. Ex Meninge cum classe duces biduo in syrtem Pali pervenerunt, non exspectatis novem triremibus, quae ipsorum injussu, ipsisque inscientibus ad Melitem per aquandi causam sine duce et imperio remanserant; sed postridie classis discessus Meningem tenuerunt, ubi cum aquari his quoque placuisset, et omnia sine unius imperio temere, ut assolet, gererentur; centuriones septem Hispani generis cum quinquagenis militibus jaculatoribus fere, ut praesidio aquantibus essent, in terram descenderunt, instructaque acie constiterunt. Aquatione pri-

prima sine hostili controversia confecta, primoque cadorum commeatu ad centum ex eis in naves redeuntibus, ceteri per ignorationem rei militaris, vel oblivionem et securitatem, sine hastatis, qui maxime solent in praeliis equorum impetum sustinere, remanserunt. Quo animadverso Dragutes, qui non procul ad palmetum in insidiis cum equitatu delitescebat, advolat, factoque in nostros jaculatores impetu, omnes fere, quoquo modo poterant, repugnantes cum centurionibus quinque concidit, perpaucis exceptis, hoc est septem, aut octo, qui diffugientes evaserunt; quod praelium triremibus spectaculo modo fuit, quae suis laborantibus tormentorum telis opem ferendi curam neglexerunt, quam opitulandi occasionem locus ipse dabat, quia res in littore gerebatur.

XLI. Cum ad syrtem Pali tota classis praeter vectorias tres naves, ut imperatum erat, convenisset, dies aliquot ad portum consumti sunt, nondum morbo represso, sed multis quotidie pereuntibus, quorum cadavera in mare projiciebantur. Eo tempore Caruani Rex per nuntium se propediem cum manu militari et commeatibus praesto fore pollicitus est, quod tamen nulla ex parte praestitit. Nomades quoque trecenti circiter ad Cerdam venerunt cum tribus praefectis, eique suam voluntatem deferentes liberaliterque polliciti, compulsum pecus communi pretio vendiderunt, quod nostris indigentibus et cupientibus pro gratuito et gratissimo munere fuit. Ex his de Dragute certiora cognita sunt, ut pulso Regulo Meningem cum praesidio obtineret, utque idem nuper nostris in duabus aquationibus negotium exhibuisset. Cum autem contrarii venti

cur-

cursum in Tripolim impedirent, placuit Cerdae, ne nihil agere videretur, ut classe in Meningem, quo ventus invitabat, breviore cursu reducta, ea insula tentaretur, et in ditionem redigeretur; qua occupata Tripolim recipi minore negotio, Dragutisque bellum facilius confici posse existimabat.

XLII. Cum igitur ad Meningem classis revertisset, expositis copiis acie propter hostilem manum, quae sese ostenderat, instructa in locum castris destinatum processum est, hostibus, qui iter morabantur, factoque in antecedentes jaculatores impetu signis infestis ad agmen usque procurrerant, pulsis. Erat autem castrorum locus non procul ab arce, quam Dragutis praefectus natione Turca ad appulsum nostrarum navium duabus conscensis scaphis per alveum profugiens deseruerat: Regulus autem receptam suorum praesidio firmaverat. Is enim jam aderat a Tunete paulo ante reversus, quo se fuga Dragute Meningem invadente receperat; ad famam vero adventantis nostrae classis et belli adversus Dragutem suscepti, recreato animo domum redierat.

XLIII. Regulus igitur, arce recepta, Cerdam per legatum certiorem facit, Dragutem ejusque praesidium omne Meninge discessisse, seque pollicetur cum suis omnibus in Cerdae Hispanorumque Regis potestate et clientela libentissime futurum, iis conditionibus, quas Reges Hispaniae pro sua humanitate non iniquas Afris clientibus dare consueverint. „Dragutem communem hostem et socios Turcas, a quibus fuisset regno crudeliter spoliatus, sibi esse justissimo odio, ut Hispanis „justissime et ex animo studere, in quibus omnem spem

„spem suarum rerum, ac salutis collocasset. Sic igitur „sese censere, et pro amicitia Cerdae auctorem esse, uti „copias primo quoque tempore Tripolim, quo se Dra„gutes cum praesidio receperit, perducendas curet; ne „occasio conficiendi belli, quae in celeritate posita sit, „elabatur, neve Dragutes se auxiliis transmarinis confir„met: nam eo debellato, perfacile fore omnem illam „maritimam oram, quae Dragutem eumdem ex animo, „et ceteros Turcas odisset, in ditionem et clientelam Re„gis Hispani traducere.“ Ad eam legationem Cerda pauca respondit: „Sibi vero Regis voluntatem tam liberaliter „delatam pergratam esse, nec ab ejus consilio se pro„cul abhorrere: rogare igitur, ut colloquendi causa „ad se in castra venire ne gravaretur, quod eum sine „suo periculo facturum sua fide, quae eadem publica „esset, confirmaret, ut commodius coram de re com„muni disceptaretur.“

XLIV. Postridie copias arcis oppugnandae gratia castris Cerda, quia Regulus non venerat, cum eduxisset; duo Legati ab eodem Regulo praesto fuerunt (nam ipsum in castra venire, non satis tutum fore putabat) per quos Legatos arcem statim dedere, seque cum suis popularibus Hispani Regis imperata obedienter facere, stipendiumque annuum, quod convenisset, pendere pollicetur. Qua conditione accepta arx protinus Hispano praesidio traditur, cetera explicatius constituenda ad Cerdae Regulique colloquium rejiciuntur. Eam arcem considerandi gratia Cerda cum processisset, opportunus ei visus est locus ad stativa castra muniendum, quae arcem quoque angustam et parum firmitudinis habentem

continentibus munitionibus complecterentur, et amplioris firmiorisque arcis vicem explerent, unde praesidium impositum facile Regulum insulanosque in fide ac officio contineret.

XLV. Sed hanc Ducis sententiam praefectorum probabat nemo, praeter Alvarum Sandium; nam locus erat inaquosus, fere undique siccis arenis quatuor millium passuum ambeuntibus; nulla intra munitiones aquae dulcis occasio; itaque extrinsecus aqua necessario ex puteo, qui tamen non procul aberat, petenda erat, si condititia in cisternis defecisset. Praeterea navibus in castra nullus erat aditus ad commeatus, vel auxilium in obsidione, si forte accidisset, importandum, praeterquam pertenuem alveum, sive canalem, quem diximus, idque in maris aestu, quo refluente alveus idem aqua destituebatur: quibus difficultatibus in concilio propositis, vicit tamen paucissimorum sententia. Itaque munitionibus et castris per ejus artificii peritos metatis, confestim opus inchoatur, vallum palmarumque trunci, quibus mixta terra murus erat exstruendus, ex proxima silva petuntur, et cetera necessaria comportantur magno militum studio, sed maxime Germanorum, qui castra in bello diligenter more veterum Romanorum munire consuevere; quae cura multas habet commoditates, sed illam in primis, quae ad tollendam animi solicitudinem valet, quod locis munitis exercitus non est hostium nec diurnis, nec nocturnis irruptionibus incursionibusque repentinis opportunus.

XLVI. Interea rebus ad hoc bellum pertinentibus in Sicilia, ut erat a Cerda nuntiis et litteris imperatum, di-

diligenter administratis, commeatus et tormenta, quaeque his usui sunt, in naves onerarias erant imposita, ad quas, ne diutius tempestate parum idonea impediantur, in Meningem deducendas triremes decem et octo cum Cigala praefecto mittuntur, cujus diligentia vectoriae naves septem rebus, quas dixi, itemque manu militari ex novo delectu coacta onustae affuerunt; quae res dum exponuntur, et intra munitiones, quae jam erant paene perfectae, conferuntur, Cerda et Regulus in locum minime suspectum extra castra, ut erat constitutum, colloquendi causa progrediuntur, uterque cum parvo comitatu, nec multis verbis ultro citroque habitis, Regulus se in Philippi Regis clientelam non iniquis conditionibus permittit, et, quid vectigalis Meninx ejusque Rex Hispaniae Regi in annos singulos penderet, constituitur: libenterque datis et acceptis conditionibus, laeti ambo sese ad suos dissoluto colloquio receperunt, ac postridie confectae scripturae subscripserunt.

XLVII. Cerda quidem in eam curam totus mente et animo insistebat, ut castra commeatu et rebus necessariis, quae ex Sicilia navibus erant importatae, permuniret, quo negotio perfecto discedere, domumque properare cogitabat; nam suam classem multis acceptis detrimentis et morbis afflictam et imminutam, militesque ex diurnis calamitatibus corpore et animo languentes, integris et alacribus hostibus, qui adventare putabantur, omni belli apparatu, numeroque superioribus objicere, ac navali praelio longe impari conditione decertare, ut erat, sic extremae dementiae fore judicabat; de adventu enim Turcicae classis non levis suspicio nostrorum

Digitized by Google

animis erat injecta auctore potissimum Joanne Andrea Doria, qui ex anni tempore (jam enim aestas et mensis Aprilis processerat) et locorum propinquitate conjecturam faciens, fore confirmabat, ut a Solymano Turcarum Principe, qui classe valebat, auxilium Draguti amico et clienti opem ejus, ut necesse esset, imploranti primo quoque tempore mitteretur.

XLVIII. Quae suspicio per nuntium ac litteras Neapolitani Proregis ipsis Kalendis Maii perlatas confirmata est; in quibus litteris scripserat, sibi ex Apulia nuntiatum esse, triremes octoginta diligenter milite et rebus omnibus instructas et paratas esse Byzantii, quas Solymanus primo quoque tempore Draguti subsidio proficisci jussisset; proinde censere, hortarique Cerdam, uti suam classem, quae tantis incommodis acceptis Turcicae par esse non posset, Meninge deduceret, suorumque saluti consuleret; aut si hoc consilium non placeret, rogare et obtestari, uti sibi milites ex praesidiis Neapolitanis deductos remitteret, ne ora illa maritima praesidio necessario destituta ad accessum Turcarum in discrimen adduceretur.

XLIX. Accepto hoc nuntio, cum de navium discessu magna festinatione properando cuncti consentirent; Germani, qui numero circiter quadringenti supererant, a Cerda per tribunos militum, et primorum ordinum centuriones precibus omnibus contenderunt, ne se relictis discederet, sed inter primos in naves imponendos mandaret, quod liberaliter ille et ex animo, si praestare potuisset, pollicitus est. Ceterum paucis diebus interjectis a Melite religiosorumque Militum Magistro nun-

nuntius, ex eorumdem Militum numero, scapha invectus quatuor horas ante solis occasum adest. Ex eo cognitum est, Turcarum classem ex Melite in transitu prospectam esse, et ad Gotium insulam tempestate delatam, unde ad Meningem paucarum horarum esset navigatio, nisi tempestate excluderetur: illud tamen simul nuntiavit, desertorem quemdam Meliten perfugisse, qui affirmaret, sermonem ad classem Turcicam increbuisse, cursum ejus Tripolim esse directum, ut communicatis cum Dragute consiliis commodius de ratione belli gerendi deliberaretur.

L. Hoc ducibus renuntiato, Joannes Andreas Doria propere ad Cerdam mittit, sui consilii esse, ut nulla interposita mora sublatis, qui in ea festinatione naves conscendere possent, classem impendenti periculo subtraherent, cujus jactura plurimum esset omni reipublicae Christianae, sed maxime Philippo Regi ejusque clientibus nocitura. Sic compellatus Cerda in triremem praetoriam ad Joannem Andream, qui ex diutino morbo non satis convaluerat, venit, nauticorumque praefectorum concilio convocato, de nuntio Melitensi refert, et sententias exquirit. Berenguelus Requesensius naves omnes onerarias compellere censebat, et his alterne triremes interponere, et sic acie instructa hostium impetum exspectare et sustinere, praelioque decernere. Huic Scipio Doria assensus est, ceteri omnes refragati, sed omnium maxime Joannes Andreas, qui tam imparem dimicandi conditionem subire, extremae dementiae fore magna voce confirmavit. Placere igitur, ut nulla interposita mora conscensis navibus ad salutem receptu contenderetur.

tur. Sanctius Leiva optimum factu esse judicabat, ut praemissis navibus onerariis, triremes in altum ad passuum viginti millibus a littore secederent, ibique rei eventum exspectarent, ut si hostis, quemadmodum existimabatur, proxima nocte pervenisset, tutior nostris receptus atque liberior esset: sin aliter, postridie aquandi, et Germanos, quorum cura Cerdam magnopere solicitabat, tollendi causa in eamdem stationem reverterentur.

LI. Hanc sententiam reliqui fere, ipse quoque Joannes Andreas probaverunt. Itaque Cerda jam nocte appetente, post longam disputationem ex consilii sententia sic statuit imperavitque, ut naves onerariae confestim se vento dederent, deinde triremes sequerentur, et mediocri spatio a littore digressae consisterent, sibi, qui in castra, quae opus esset, imperandi gratia necessario rediret, una dumtaxat trireme, qua subsequi posset, relicta. Cerda igitur, dum castrorum curam, ut commeatu et rebus necessariis permunirentur, cunctis rationibus praeferendam putat, ad munitiones regreditur; imperata vero non satis diligenter, nec pro instante periculo et necessitate administrantur. Itaque naves onerariae prima vigilia, triremes tertia proficisci coeperunt, praemisso cum trireme speculandi gratia Scipione Doria, quod tamen frustra fuit.

LII. Scipio enim Turcicas naves praetervectus non ante prospicere valuit, quam ad nostras pervenissent; tum vero fuga Meliten necessario sese recepit. Pervenerunt autem albente caelo triremibus nostris fere adhuc circa littus haerentibus, quae, ut erant imparatae,

at-

atque perterritae, prospectis hostibus, qui secundo flatu ferebantur, dissipatae sine imperio et ordine diffugere nituntur; sed neque ventorum, nec locorum ratio extremum fugae praesidium miseris reliquerat. Tanta fuit rerum omnium iniquitas et fortunae jampridem saevissime reflantis pertinacia! Quod animadvertentes hostes ad naves et homines nostros non jam oppugnandum, sed capiendum, alacres discurrunt. Itaque sine certamine multis navibus, multisque mortalibus potiti sunt cum magna nostrorum jactura et infamia; nec enim fuit ulla nostrarum navium, quae se telo defendere niteretur, praeter Neapolitanarum triremium praetoriam, qua cum Sanctio Leiva praefecto duo filii, et Inechus Furtadus centurio, et alii viri nobiles vehebantur; quorum fuere Fernandus Argoteus et Martinus frater. Haec enim non sine praelio a duabus triremibus capta est, sed non pertinace.

LIII. Hoc in loco nautici militis natione Graeci facinus non est silentio praetereundum, qui ceteris, ne frustra temere diutius propugnarent, cedentibus deditionemque facientibus, ipse solus in puppe cum gladio et scuto permansit, nec ullis suorum vocibus, ne temere et inutiliter amplius repugnaret, dehortantium deterreri potuit, quin urgentibus hostibus pertinaciter repugnaret, donec multorum concursu telis confossus egregie sese ultus et multis vulneribus illatis caderet, dum scilicet magno constanteque animo mortem honestissimam turpi servituti longe praeferendam putat. Captae sunt igitur ex vectoriis navibus octo, quae cum aliis cursum tenere nequierunt, ex triremibus triginta duae cum quatuor,

tuor, quae in alveum sigillatim confugientes munitionibus successerunt; nam hae quoque postea cum castris et munitionibus in hostium potestatem pervenerunt; sexdecim dumtaxat aequiore fortuna utentes manus hostium effugerunt.

LIV. Joannes Andreas cum facta jactura suam praetoriam onere sublevasset, quo posset breviore aqua per alveum navigare, paulum progressus in terram descendit et incolumis ad castra cum suis, excepto remigio, pervenit. Hoc idem Sicularum praetoria cum conaretur, in brevia delata arenis carinam fixit ad ostium alvei, ubi a duabus triremibus hostilibus et una bireme circumventa et capta est, et in ea Berenguelus ipse praefectus, ejusque gener Joannes Cardona, et simul Gaston Cerdae ductoris filius, tredecim annorum puer. Nautica vero turba haerentem vado triremem deserens in terram evasit, ad castraque profugit. Flaminius Ursinus Pontificiarum triremium praefectus, cum praetoria, qua vehebatur, in alto caperetur, interfectus est.

LV. Hujus miserrimae calamitatis et malorum, quae inde secuta sunt, culpa in quo potissimum residerat, Deus viderit, qui cuncta novit; homines saepe suo judicio falluntur, quorum plerique solent ex eventu de factis judicare; intelligentiores enim consilium magis intuentur; sed consilia solerter inita quandoque temeritate et iniquitate fortunae impediuntur, et contra temeritas interdum feliciter cedit. Quocirca veteres Romani, viri sapientissimi et rerum bellicarum peritissimi, in exercitus ductore deligendo non solum virtutem animi, atque solertiam et rerum bellicarum usum, sed fe-

felicitatem etiam in bello gerendo spectabant; nam studium et diligentiam, ne rerum gerendarum occasiones elabantur, item diligentiam et celeritatem in rebus lentius deliberatis exsequendis a rei militaris scientia et usu belli non sejungebant; verumtamen hoc in bello et navigatione multa, ut multorum sermo est, tam lente, tanta incuria et securitate, praeterque rei militaris rationem administrata sunt, quae pereuntibus occasionibus rem longissime traherent, tot incommoda et difficultates nostrorum ducum mentes conturbarunt, ut non humanitus errantes, sed fatali quadam necessitate abstracti offendisse videantur, id est, voluntate Dei, cui resistere nemo valet, sic Deo volente et eo tempore et paucis ante annis ad Mazagranum Mauritaniae nostra scelera justis et temporariis poenis vindicare, ut olim Hebraeorum servitute Babylonica.

LVI. Joannes Andreas Doria in castra cum se recepisset rebus profligatis, magnaque ex parte amissis, non tamen sui oblitus est, vir magni tum animi, tum etiam consilii, qui ut erat rei nauticae peritissimus, non ignorabat actuarias naviculas et scaphas noctu inter hostiles triremes tenebrarum beneficio et remigum diligentia posse incolumes evadere, quod saepe nostra memoria in obsidione Neapolitana usuvenisse, Philippino Doria ejus propinquo illam oram cum triremibus obsidente, ex eodem Philippino fortasse didicerat; cujus rei ipsi quoque testes sumus, qui Cajetae id temporis morabamur, et scaphas Neapolim cum commeatu proficiscentes et reduces omnibus fere diebus conspiciebamus, et nautas ipsos, ut hostilem classem per medium

praetervecti latuissent, nonnumquam etiam invadentium impetum declinatione et flexibus elusissent, commemorantes libenter, nec sine admiratione audiebamus. Huic igitur simili ratione Joannes Andreas uti cum instituisset, consilium cum Cerda communicat, eique persuadet, ut simul proficiscantur, ne Sicilia Cerdae, triremes ereptae periculo suo Doriae, id est, praefectorum absentia majus aliquod detrimentum capiant; quod consilium Alvarus quoque Sandius certior factus comprobat, sibique negotium sumit castra et remanentem manum pro suo officio tuendi.

LVII. Proxima igitur nocte Cerda et Joannes Andreas unam scapham; alteram viri quidam nobiles non invito Cerda conscenderunt, quorum fuere Antonius Ocampus et Ludovicus Ossorius: nam Bernardinus Mendoza Granatensis, et Guiliermus Barba Sardus, Gamaque Lusitanus centurio, quamquam hortante Cerda, adduci tamen, ut idem facerent, non potuerunt, qui postea in obsidione castrorum suum officium cum egregia sua laude reipublicae praestiterunt. Verumtamen scaphae ne eadem nocte sese in altum darent, obstitit frequentia hostilium triremium, quae ad ostium alvei contraque castra in statione constiterunt. Postridie tamen cum se paulum classis dilatasset, et a canali removisset, silentio noctis egrediuntur, hostemque latentes feliciore navigatione Meliten sine offensione tenuerunt, et inde in Siciliam incolumes pervenerunt.

LVIII. Sic igitur Cerda et Joannes Andreas ductores extremum periculum vitaverunt prudente et utili consilio, nec a reipublicae rationibus abhorrente. Ad castra ve-

Digitized by Google

vero tuendum non natura loci, non operibus, non commeatu, rebusque ceteris necessariis satis munita Alvarus Sandius vir magnae virtutis atque consilii, si par belli gerendi conditio contigisset, cum militum ad quatuor millibus et equitibus septuaginta relictus est cum imperii summa: cetera paucorum virtuti fortunaeque mandata. Pialius Bassa victoria magna sine certamine praeter omnium opinionem potitus Dragutem certiorem facit, et ad se venire jubet, ut de reliqua belli ratione deliberetur: ille suorum parte per terram properare jussa, ipse cum tribus triremibus Tripoli profectus celeriter adest, communicatisque consiliis castellum obsideri placet, quod brevi tempore, si non armis, at victus et potus necessarii inopia ad deditionem cogi posse confidebant, eoque magis quod finitimi Afri fidem cum fortuna mutaverant, seque ab amicitia Christianorum averterant.

LIX. Interea nostri dolia et cupas aqua ex propinquo puteo complere, ligna et vallum ex proxima silva comportare, puteum eumdem fossa circumdare, munitiones inchoatas perficere, et cetera ad perferendam obsidionem necessaria, quacumque licebat, comparare; in quibus rebus curandis et imperandis Sandius, administrandis milites nihil sibi reliqui ad summam diligentiam faciebant. Paucis diebus, quibus obsideri castra coepta sunt, Sandius cum ab speculatoribus nuntiatum esset, hostes sine ullis munitionibus consedisse, delectos milites quingentos bipartitos binis centurionibus attribuit, et quid fieri velit, ostendit. Ii peracta tertia noctis vigilia castris educti properant, et hostes duabus par-

tibus de improviso adoriuntur, nonnullisque concisis, ceteros repentino periculo perculsos dant in fugam, sed effuse fugientes parumper consectati nostri, turpi ac perniciosa cupiditate ad diripienda tentoria multi convertuntur. Quo animadverso Alojalius quidam transfuga, qui magnum usum in castris habebat, quique ordinem ducebat, suos revocare coepit, nostrorumque paucitatem praedicans fugam sistit, et revocatorum magnum numerum in nostros reducit, quibus facile fuit, paucos et dissipatos sua multitudine repellere. Itaque rejectos, et se properanter recipientes multis vulneribus illatis urgere non desistunt, donec eo ventum est, quo tormentorum tela ex castris adigi possent, quibus insequi prohibiti in sua se castra receperunt.

LX. Hoc successu Turcae sublati audacius quotidie munitionibus accedebant, erumpentibusque nostris pedestri praelio leviter dimicabatur, initio etiam equestri, dum equi septuaginta numero relicti supererant; nam paucis diebus amisso, quem dixi, puteo, equi iidem peremti sunt, ne aquam anguste suppetentem celerius absumerent. Ejus aquae inopia brevi tantopere crevit, sic ut ea jam quotidiana consuetudine militibus singulis parce necessario distribueretur; itaque multi sitim ferre nequeuntes ad hostes perfugiebant. Puteo deinde potiti hostes castra circum eum locum transtulerunt, et cuniculis apertis ducendis proprius cum accessissent, castra circumvallare coeperant et modis omnibus obsidionem urgere, nostris interdum impediendi causa eruptione repugnantibus, languidius tamen, viribus per sitim attenuatis.

Quin

LXI. Quin etiam aggeribus tribus excitatis hostes, impositisque tormentis nostros frequentibus eorum telis intra castra infestabant. Quibus tot tantisque malis Christianorum manus ipsa per se tenuis tantopere jam imminuta erat, ut vix militum duo millia superessent. His difficultatibus affectus Sandius, cum jam tempus obsidionis in diem quadragesimum processisset, nec diutius sustineri posset, dum turpe quacumque ratione deditionem facere putat, nocturna eruptione extremum auxilium experiri statuit, tertiaque noctis vigilia advocata militum concione in hanc sententiam locutus est:

LXII. „In quas rerum angustias, commilitones, nos „iniquitas fortunae conjecerit, videtis, amissa per grassantem morbum exercitus majore parte, deinde triremibus fere cunctis per hostium repentinum incursum „desideratis. Nos reliqui perpauci numero in hunc locum coacti, in terra longe lateque hostili castra munivimus, operibus quidem mediocriter, sed aqua et „commeatibus interventu hostium exclusi in paucos dies „suffecturis, aqua praesertim, quae jam vasibus exhaustis vix quatuor digitis transversis a solo cisternarum „exstat, et cum res durissima sit, spes subsidii omnino nulla superest, interclusis nostrorum navigationibus. „In tanta igitur rerum iniquitate novum nobis consilium capiendum censeo, quod animo concepi, non „tutissimum illud quidem fortasse, (quid enim tutum „esse possit in tantis malis?) sed tamen necessarium, „si quidem viri esse volumus, et ad laudem honestissimum, praeterea Christianis hominibus conveniens, et „siquid nobis accidat, ad gloriam et praemium sempi-

„ter-

„ ternum aptissimum. Id autem est, ut minore parte „ copiarum praesidio relicta, ceteri omnes erumpentes „ impetum in hostes faciamus, et omne praesidium et „ spem in virtute et ope Dei Christi collocemus, qua „ pii et christianae religionis cultores sese non deseren„ tes, saepe de impiis et sceleratis pauci de multis in„ speratas victorias, ut in historiis legimus, et a majo„ ribus accepimus, retulerunt. Vos igitur, commilitones, „ hortor et rogo, et per Deum Christum obtestor, ut „ me ducem sequamini, eoque animo in hostem obsi„ dentem erumpentes irruamus, ut nobis insitum sit e„ dita strage vincere, vel pro libertate, pro religione, „ proque republica christiana fortiter pugnantes, nosque „ ipsos probe ultos pulcherrimam mortem oppetere."

LXIII. Hanc orationem et sententiam, ut erat speciosa dictu, cum probare omnes visi essent, seque ad praelium comparassent; per portulam, quae solem orientem spectabat (hac enim aditus ad hostes expeditior erat) deductis militibus, quos pugnae destinaverat Sandius, cum his in hostem per viam cuniculis apertis interruptam contendit; cumque aegre ad hostes pervenissent, et vallum excidentes praelio lacessere coepissent, excitati hostes facile sua multitudine paucos et iniquum locum subeuntes rejecerunt, pedemque referre coëgerunt: ceteri ergo re infecta et desperata, qua venerant, in castra insequentibus hostibus sese receperunt; Sandius et Marotus Hispanus soli et in aliam partem rejecti alveo aestu minuente se commiserunt, nec aditum in castra reperientes ad triremes confugere constituunt; sed conantibus hostium quinque infestis armis occurrerunt,

runt, quorum duo Marotum vulnere, quod femore acceperat, tardum aggreſſi capiunt, et ad Baſſam reducunt, tres Alvarum adoriuntur, ſeque manu fortiter defendentem oppugnant. Ceterum Clemens Siculus centurio ſtrepitu et clamore decertantium ex proxima noſtrarum trireme exaudito cum nonnullis ſuorum manipularium accurrens laborantem Alvarum pulſis hoſtibus eripuit, incolumemque in triremem deduxit.

LXIV. Pialius Baſſa factus certior Alvarum Sandium triremibus contineri, has jubet frequentibus telis tormentorum quati, quod cum diligenter adminiſtraretur, et res eſſet ad extremum perducta caſum, cuſtodibus nauticis remigioque miſerabiliter pereuntibus, et rebus omnibus tum ad triremes, tum ad caſtra deſperatis, Alvarus Sandius ad mentem redivit, nec prudentis hominis eſſe putavit, in malis non deligere minima, praeſertim, qui non de ſua ſolum, ſed etiam de multorum ſuae fidei commiſſorum ſalute deliberet. Itaque ſtatuit deditionem facere, ſeque Pialio Baſſae in poteſtatem permiſit, idemque eodem die, qui erant ad caſtra, omnium fere conſenſu fecerunt, prudente ſcilicet conſilio et ab ignavia procul abhorrente; non enim mortem quamcumque contemnere fortis eſt, ſed eam mortem, qua ſibi, aut etiam ſuis ſit profuturus, pro patria, vel republica propugnans cum ſpe aliqua victoriae. Atque ea via eſt fortibus viris ad alteram vitam et praemium ſempiternum compendiaria, Deoque grata; aliter enim injuſſu Dei, temereque pugnando ad mortem voluntariam properare, viri ſapientes et chriſtianae religionis interpretes fas eſſe negant.

Nam

LXV. Nam qui fortiter, cum esset spes aliqua, pugnaverint, si rebus desperatis, victuque aut potu necessariis orbati tempori cedunt, ac dedi malunt, quam inutiliter perire, ii ducem naturam sequuntur, quae minora mala majoribus anteponit, et legem aeternam, id est voluntatem Dei, qua ordinem naturalem ubique conservare jubemur. Praeterea qui semel perierit, is non amplius pugnabit, nec proderit reipublicae; qui vero nulla sua ignavia vel culpa, sed iniquitate fortunae necessitati cesserit, is nullam existimationis jacturam apud viros prudentes facit, et poterit recepta libertate, si forte amiserit, iterum cum sua laude pugnare, et reipublicae prodesse, ut multis fortibus viris accidisse constat, et quibusdam etiam accidit ex iis ipsis, qui huic infelici bello interfuerunt praefueruntque, quorum Joannes Andreas Doria non multo post illam malam pugnam nostris ad Oranum Portumque Magnum laborantibus renovata classe subsidio cum primis ducibus venit, qui Argeliae Rege cum ingente Turcarum et Afrorum exercitu fugato ex maximo periculo nostros eripuerunt.

LXVI. Fernandus quoque Argoteus Cordubensis ex antiquissima patriciaque familia, quem cum Sanctio Leiva, eademque nave captum fuisse supra memoravimus, ex Byzantio recepta libertate cum Martino fratre germano, multisque aliis ejusdem calamitatis sociis, in Siciliam reversus, et Augustae eique orae maritimae a Cerda Prorege praefectus, exsultantem Dragutem cohibuit, et acceptarum ad Meningem injuriarum partem ultus est. Nam cum Dragutes ad eam oram viginti septem actuarias naves appulisset, quarum quatuordecim tri-

Digitized by Google

triremes erant, et aquandi maleficiique causa cum mille quingentis jaculatoribus in terram descendisset; Fernandus Argoteus idem certior factus cum equitibus quinquaginta et jaculatoribus ducentis occurrit, factoque impetu hostes fudit et magno illato detrimento, multisque occisis ad naves re infecta confugere cum minima suorum jactura coëgit.

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
DE REBUS GESTIS
PHILIPPI II. REGIS HISPANIAE

LIBER TERTIUS.

I. POST duas insignes calamitates, alteram ad Mazagranum Mauritaniae castellum, alteram ad Meningem insulam a nostris acceptas illa tertia secuta est non minus miserabilis et deploranda, qua triremes viginti quinque cum magna hominum multitudine naufragio perierunt in portu, qui *Ferratura* ex figura cognominatur, in ora Hispaniae Baeticae non procul urbe Malaca; qui casus hoc horribilior nostris videri potuit, et apertius irae Dei nostris sceleribus succensentis argumentum, quod non vi aut fraude hostili, non ducum militumve nostrorum, aut nautarum negligentia vel culpa id malum contractum fuit, nec in alto naufragium factum, sed in ipso portu, quo nostri vim tempestatis metuentes confugerant: caelestium scilicet causarum vi, quae non hominum, sed unius Dei nutu et voluntate gubernantur.

II. Venerat ex Italia Neapolique paucis ante diebus Joannes Mendoza Bernardini filius, cum duabus et triginta triremibus, quarum sexdecim Iberici maris praesidio destinatarum Joannes ipse Mendoza praefectus erat ordinarius, ex Neapolitanis sex Gonsalus Morillus pro San-

Digitized by Google

Sanctio Leiva, qui ad Byzantium captivus aberat, ducebat, reliquis sex, quae Antonii Doriae Neapolitano praesidio contributae, Scipio Doria praeerat ejusdem Antonii filius; Marius et Bendinellus binis suis praefecti erant, sed in ea navigatione tota classis, ut erat imperatum, imperio Joannis Mendozae parebat. Qui cum Barcinonem pervenisset, quatuor ex Hispanarum numero ibi, ut mandatum erat, reliquit, ut refectae Alvaro Bazano filio traderentur (jam enim pater suum diem obierat) ut cum his et alteris quatuor regia impensa armandis et instruendis Hispalensium mercatorum, qui ad Orbem novum negotiantur, sumtibus alendis oram Atlantici Oceani ad Gades, et circum ea loca tueretur, et ultro citroque naviganribus adversus praedonum injurias praesidio esset. Fuerat autem ea classis in Hispaniam evocata, ut praedones Turcas reprimeret, aut etiam deleret, qui Velezii Gomerae praefectum sequentes mare nostrum ad fretum Herculeum piraticis infestabant.

III. Joannes igitur Mendoza cum triremibus viginti octo paulo post Idus Septembris Malacam attigit; inde in fretum cum processisset, neminem hostem offendit, quippe omnes ad nuntium nostrae classis adventantis in sua latibula diffugerunt. Malacam reversus dies aliquot ibi commoratus est, dum pecunia vestisque confertur Oranum ad praesidii stipendium militare deportanda; quae cum esset imposita, et eurus increbesceret, tota classis in *Ferraturam*, de quo dixi, portum ab eo vento tegentem, ut inde Oranum navigaret, compellitur. Vix autem portum intraverat quarto Kalendas Novem-

 bris

ANN.M.D.LXII. bris mane, qui fuit annus Christi millesimus quingentesimus sexagesimus secundus, cum eurus repente sese vertit in austrum, ei portui maxime adversarium ventum, qui cum saevire coepisset magnos fluctus in portum evolvens, exitum obsepsit, et naves interclusas sic afflixit mutuo maxime concursu, ut omnes naufragio perirent, tribus exceptis ex Hispano praesidio, quae, ut erant ad ostium, sese celeriter extra portum ejicientes vim tempestatis effugerunt.

IV. Hoc miserabili naufragio mortalium amplius tria millia desiderata sunt, et in his ductor ipse Joannes Mendoza, ejusque propinquus Franciscus Mendoza Mondejarae Marchionis filius, et duo filii Alcaudeti Comitis, qui cum praesidio Oranum Portumque Magnum obtinebat, pueri ambo, quorum stirpis maximus pubertatem non attigerat, et Michaël Sanctius Aragonensis Hispanae classis prospector, quod est praefecturae nomen, et ex ceteris earumdem triremium praefectis quatuor; praeterea, qui in Neapolitana classe officio praeerat, quem inspectorem appellant, earumque sex pro ductore praeerat. Gonsalus Morillus meus conterraneus, cujus supra mentionem feci, vir fortis et industrius magis quam fortunatus, bis fuerat a Turcis bello captus et Byzantium in servitutem deductus, primum ad castellum novum in ora Dalmatiae, nuper ad Meningem insulam, bis a fratribus viris optimis et singulari pietate non parvo pretio redemtus, qui cum in castra Neapolitana utroque tempore redivisset, honori fuit a ductoribus habitus et praefecturis voluntate Regis auctus; quibus laboribus et periculis exhaustis, dum se putat me-

meliori et laetiori fortunae fuisse reservatum, velut in alto tempestatibus ereptus, in portu miserabili naufragio periit. Tanta est rerum humanarum inconstantia, tam fallaces spes saepe fortuna mortalibus ostentat.

V. Cum auster resedisset, seque tempestas remisisset, triremium praefecti superstites, quorum Scipio Doria jam principem locum obtinebat, nuntiis et litteris Malacam et Granatam propere dimissis, unde Rex quoque Philippus factus est certior, in necessariam curam convertuntur, quod naufragio supererat, conservandi. Sed nuntio accepto Inechus Mendoza Tendillae Comes, cui rerum bellicarum cum ad Granatam Baeticaeque maritimam oram, siquis tumultus exsisteret, demandata erat, ex Granata, et alii Regis praefecti ex Malaca celeriter affuerunt, quorum communi consilio res administrari coepta est. Primum omnium saluti superstitum naufragorum consulitur, deinde nequis servorum, vel quoquo modo remigio addictorum effugeret, providetur, tum de ratione tormenta, armamentaque reliqua et arcis contentam pecuniam eruendi deliberatur. Quae omnia cum diligenter administrarentur, et undique conquirerentur; viginti septem arcae quadratae figurae repertae sunt, in quarum singulis vicies milleni argentei nummi continebantur, *regales* appellati; harum novem dumtaxat voluntate Regis impositae fuerant, Oranum, ut demostratum est, deportandae, reliquae clam doloque, prohibente lege, ut in Italiam perferrentur, Italicarum triremium praefectis ab Italicis negotiatoribus, ut creditum est, commendatae; ideoque postea a Xuario praetore aulico, eo properare jusso, cognita causa publi-

blicatae fuerunt, et fisco ex lege adjudicatae, doli etiam auctoribus, si de iis compertum fuisset, capite damnatis.

VI. Ex tot confractarum triremium materia nulla navis refecta fuit; commodius visum est, ut quae possent harum, adhibito ferro ex nova materia instruerentur. Itaque materia omnis combusta est, ferrum, tormenta et cetera, quae novis triremibus usui esse possent, Malacam navibus deportata, inde Barcinonem, ubi postea triremes paucae aedificatae sunt, et fractarum remigio, tormentis armamentisque instructae.

VII. Tot tantisque detrimentis brevi tempore a nostris hominibus acceptis, Hazenus Rex Argeliae, qui novis nocendi occasionibus imminebat, eos spiritus et arrogantiam sumsit, ut Regis Hispaniae vires fortunamque in Africa, quam saepe infeliciter tentasset, contemneret, nec magni negotii fore putaret, Oranum cum Portu Magno et arce imposita, quod oppidum jam paene solum in Africa Hispanorum praesidio, amissa Bugia teneretur, recipere, si consentiente Mauritania, ut nuper ad Mostaganum, negotium bellumque se potissimum auctore et duce susciperetur adversus Alfonsum Cordubam Alcaudeti Comitem, qui in demortui Martini patris ad Mazagranum se duce non ita pridem exstincti locum praefecturamque Orani successisset. Nam praesidium, quo Oranum et contributae arces tenebantur, vix hominum mille quingentorum esse consentiente exploratorum voce constabat. Itaque tam paucos Turcarum suorum Argelicae manui cum tormentis et reliquo belli apparatu, magnaeque Maurorum multitudini pares diu fore non pu-

putabat ; laborantibus autem subsidio ex Hispania veniendi omnem facultatem sublatam esse judicabat, triremibus fere cunctis partim ad Meningem insulam, partim ad *Ferraturam* portum amissis. Quibus rebus per legatos proponendis et praedicandis, et quasi explorata victoria liberaliter pollicendo facile omnem Mauritaniam in suam sententiam perduxit.

VIII. Consiliis igitur per nuntios et litteras communicatis, atque rebus terra marique comparatis, magnis undique peditatus et equitatus manibus Oranum versus, ut erat constitutum, contendentibus, Hazenus ex Argelia, classe multarum navium tormentis omnique apparatu belli et commeatu onusta cum jaculatorum trium circiter millium praesidio navigare ac properare jussa, ipse per terram cum parte copiarum proficiscitur, bona parte cum Cathano praefecto, quae tridui itinere antecedebat, praemissa. Conveniunt autem in eadem castra juxta Oranum mense Aprili, qui fuit annus Christi mil- ANN.M.D.LXIII. lesimus quingentesimus sexagesimus tertius, quae castra tam longe lateque patebant, ut magnae urbis instar ex locis editis aspicientibus essent. Ea multitudo cum se in Orani conspectum territandi et jaculandi causa dedisset, non parum detrimenti ex tormentis per muros et turres dispositis capiebant, interdum etiam nostris erumpentibus levibus praeliis pugnabatur.

IX. Erat extra urbem brevi intervallo turris, quae *Sanctorum* cognominatur, viginti hominum praesidio tribusque tormentis munita, ut fontem proximum tueretur, et hostem aquatione prohiberet, qui extra Oranenses munitiones longius passuum septem millibus cum

ma-

magno suo incommodo aquari cogebatur. Huic inopiae Hazenus ut mederetur, primum omnium eam turrim oppugnari jubet, sed quia graviora tormenta in naves ad Argeliam imposita nondum erant in castra convecta, hanc oppugnandi rationem inivit. Erat ipsa turris firmitudinis gratia extrinsecus aggesta terra paulo altius statura humana contra tormentorum ictus circummunita. Huic munitioni appositus agger circumducitur arboribus ex proximo petitis, nam consiti agri hortique passim vastabantur: quod opus dum altius exstruitur, oppugnatores simul conscendebant, qui loco idoneo parietem suffoderent, et aditu patefacto in turrim irrumperent. Quae omnia dum magno studio et constanter ab ingenti multitudine circumfusa administrarentur, custodes, ne opus impedire possent, frequentissimis telis undique jactis impediebantur, nisi quod iidem tormentorum tela in paulo remotiores jaculabantur, multosque trucidabant, nec interim ab urbe reliquisque turribus quies erat, unde in aggerem excirantes, oppugnantesque tormentis tela mittebantur; sed cum multi alii super alios caderent, ceteri tamen ab opere urgente praesentia Regis non desistebant. Quarta circiter oppugnationis hora cum agger ad fenestram, quae grandiori tormento patebat, pervenisset, ferramentis dilatata est, et aditus ad irrumpendum patefactus. Quo animadverso, custodes rebus desperatis sese et turrim Regi in potestatem permiserunt.

X. Hac turri et fonte Hazenus cum ingente totius exercitus gratulatione potitus, magni interesse ad bellum conficiendum putavit, propugnaculum, quod *Salvatoris* co-

cognominatur, deinde *Almarzam* expugnare, quo nomine principem arcem impositam portui patrio nomine nuncupant. His enim arcibus receptis, quod non difficile fore putabat, urbem obsistere non posse, et sine certamine in deditionem venturam non dubitabat. Comes quoque eodem turris casu admonitus ceteras extra urbem positas turres et arces praesidio firmavit, maxime *Salvatoris* propugnaculum ab urbe remotius, cui magis metuebat; Martinusque frater, ut erat constitutum, cum scloppetariorum manu *Almarzam* proficiscitur, jussus pro sua virtute et consilio ea loca tueri. Interea Comes ipse ad urbis infirmiorum partium munitionem conversus, nihil ad summam diligentiam sibi reliqui faciebat.

XI. Hazenus bona parte exercitus ad urbem obsidendi causa cum mille jaculatoribus Turcis, qui captae turri et fonti praesidio essent, relicta, reliquas copias proxime *Salvatoris* propugnaculum deducit, locoque ad oppugnandum idoneo castra ponit. Erat *Salvatoris* propugnaculum arx medriocris in latere Osaxosi montis non procul *Almarza* sita, muro fossaque circumductis, sed non admodum nec opere, nec loco munita, in cujus muri locis opportunis sex parva tormenta fuerant collocata. Ad hoc propugnaculum custodiae gratia trecenti circiter milites missi sunt cum Francisco Bivero praefecto magna ex parte jaculatores.

XII. Hazenus positis castris propugnaculi formam, locique naturam cum quibusdam praefectis obequitando diligenter consideravit, ejusque infirmitate, atque muri brevitate contemta, dum custodes ex illorum natura metiretur, qui *Sanctorum* turrim amiserant, omnia

liberaliter sibi pollicebatur. Itaque postridie mane suos corpora jentaculo curare, expletaque fossa et conscenso muro propugnaculum capere jubet, praesertim Turcas, quibus, ut erant robur exercitus, maxime fidebat. Vocantur autem Turcae consuetudine militari quicumque ex nationibus imperio Turcarum subjectis in has occiduas regiones piraticae bellive causa descendunt, quos tamen fere omnes Graecos vel Thraces esse constat, ut alio quoque in loco est a nobis declaratum.

XIII. His igitur potissimum Hazenus Rex, ut corporibus jentaculo curatis propugnaculum expugnarent, imperavit, quorum quidam ex praefectis arridens: *Ad capiendos*, inquit, *parietes illos nihil est opus jentaculo. Ibimus, capiemus, deinde jentabimus.* Cui voci ceteri, qui aderant, annuerunt: usque adeo hos omnes arrogantia et magni spiritus incesserant. Itaque breve spatium militibus ad se comparandum datur, qui acie instructa cum signum accepissent, ad fossam usque procurrerunt, multis ex magna multitudine nostrorum tormentorum scloppetorumque telis cadentibus, maxime, quae per fenestras et foramina emittebantur, nam superne et aperte in muro consistere jaculatorum multitudo nostros prohibebat.

XIV. Ubi ad fossam ventum est, considerato loco, nulla interposita mora regrediuntur, sed paulo post multo major Turcarum et Maurorum multitudo cratibus, virgultis scalisque onusta revertitur, impletaque fossa per scalas appositas promtiores cum signis militaribus conscendere coeperunt. Tum vero custodes arma omnis generis expedientes in apertum produnt, alii scloppetis emi-

eminus rem gerunt, alii subeuntes hostes de scalarum gradibus in terram praecipitant, quidam artificiosos omnis generis ignes injiciunt, qui ignes quemcumque comprehendissent, miserabiliter excruciatum exstinguebant, simulque crates et virgulta, in fossa concepta flamma, multos exanimabant; edebatur ubique caedes horrendo scilicet spectaculo. Quod malum hostes non ferentes paulo longius sese a fossa removerunt, paucis exceptis, qui cum vexillis post saxa quaedam tela vitantes latitabant, ne a tergo scloppetorum telis exeuntes configerentur, quibus ut essent praesidio, ceteris paulo longius remotis, mille quingentorum scloppetariorum manum propius propugnaculum collocarunt, quae custodes in aperto muro consistere, aut in fossam descendere prohibebat. Nec ante noctem ab ea cura et vexillorum custodia revocati sunt, sed cum prima vigilia processisset, beneficio tenebrarum utentes omnes magno clamore procurrunt, et latitantes cum vexillis et signis evocant educuntque. Sic omnes hostes multis vulneribus tamen acceptis decedunt. Ceciderunt eo die ex hostibus ducenti amplius; plures, ut ferebatur, grave aut etiam letale vulnus accepere. Ex nostris decem desiderati, vulnerati octo.

XV. Hostibus in castra digressis, custodes ad spoliandos occisos in fossam descenderunt, inter quos desertor quidam Christianae religionis femora trajectus jacebat; is nostris accedentibus opem eorum suppliciter implorare coepit, se Christianum esse, patria Toletanum, qui quod religionem deseruisset, maxime doleret, eique ante mortem per Christiana sacramenta restitui percuperet; orare igitur pro Christiana caritate, ut se

intra munitiones reciperent et Christiane tractarent; sed hac oratione contemta reversus quidam miles irruit in eum stricto gladio et caput ejus haec praefatus abscidit: *Satis superque temporis habuisti, sceleste; nunc igitur, ut meritus es, sequere tuos commilitones ad inferna loca damnatos.* Spoliatis hostibus, maxime Turcis, qui cultius erant ornati, et armis, quae jacebant, collectis et quadraginta capitibus amputatis, laeti sese recipiunt, hostiliaque capita Oranum in scapha ad Comitem miserunt, quae civitatem exhilararunt, puerisque fuere ludibrio.

XVI. Magno dolore animi Rex Hazenus affectus fuit ex suorum mala pugna, frustraque suscepta oppugnatione, tum ob multorum ex suis necem, quos virtutis causa in pretio habebat, tum quia sua opinione deceptus speque lapsus rem multo majoris negotii, quam putasset, fore ex illa pugna et hostium perspecta virtute intelligebat; ac temeritatis esse statuit, rursus certaminis fortunam ante advecta tormenta, quibus murus quati et solo aequari posset, tentare. Itaque decrevit classem, quae contrariis ventis distinebatur exspectare. Ab eo igitur die, qui fuit Kalendarum Maii quintus decimus, desita fuit oppugnatio, nec ante exactum mensem et compulsam classem repetita.

XVII. Ceterum ad urbem infirmiora loca vallo ex hortis non sine contentione quandoque petito diligenter reficiebantur, et omnia, quae ad perferendam obsidionem pertinerent, per summam Comitis vigilantiam administrabantur, qui tum ipse omnia lustrabat et opportune operibus intentos appellabat, tum praefectos et curatores per singulas urbis partes disposuerat, dies noctes-

que,

que, libentibusque cunctis, labore continuato; non senibus, non pueris parcebatur, nec Clerici vel Monachi vacationem habebant; interdum etiam eruptione parvisque praeliis decertabatur, tormentis simul ex turribus frequentia tela in hostes jaculantibus ac detrimentum magnum inferentibus.

XVIII. His rebus dum essent occupati, et de commeatibus anguste suppetentibus soliciti; in ipso mensis Aprilis exitu, pridie quam classis hostilis adesset, magno casu accidit, ut navis quaedam ex earum genere, qui *corchiapini* nominantur, a passuum millibus circiter octo directo in Oranum cursu cum magna civitatis laetitia sese ostenderet, quae, ut postea cognitum est, ex Malaca proficiscens se tritico, et oleo biscoctoque pane et aliis commeatibus, praeterea pulvere tormentario et ceteris, quae tormentis usui sunt, compleverat; sed magister navis et nautae timore perterriti, dum objecta falsa specie hostiles triremes in littore prospicere sibi viderentur, *corchiapino* deserto, scapha se in Portum Magnum, prospectantium laetitia in maximum dolorem mutata, receperunt.

XIX. Quo malo ex percunctatione cognito, Martinus Corduba vinctos Oranum ad Comitem fratrem cognoscendi puniendique gratia mittit; ille vero timoris et erroris non tam puniendi, quam corrigendi tempus esse judicans, Gasparem Fernandum ad se vocat, magnae virtutis hominem, et rei nauticae peritissimum, eique praemio et pollicitationibus persuadet, ut negotium suscipiat desertam navem deducendi, scapha cum nautico comitatu attributa; sed eo scapham vespere conscenden-

den-

dente jam navis ventis apogaeis repulsa ex oculis prospectantium evanuerat. Itaque Gaspar totam noctem solicitus nequidquam vagabundus oberravit: ceterum cum illuxisset ad Arzaeum in littore navis prospecta est, atque inde Oranum deducta, cujus navis adventus et appulsus tali tempore, et in ea rerum iniquitate tam opportunus accidit, ut res non humano consilio, sed divinitus gesta esse crederetur. Eo enim temporis vestigio navis eadem appulsa est, quo classis hostilis post proximum promontorium ab ortu solis sese nostris ostendere coepit.

XX. Kalendis igitur Maii hostilis classis prospecta est, et cum advesperasceret, jactis anchoris substitit in statione ad Canastellum. Erant actuariae naves triginta quinque, earum triremes tres, biremes viginti quatuor, ceterae minores, praeterea quinque naves onerariae Gallicae, quae mercede conductae majora tormenta et commeatus comportabant. Postridie Oranum Portumque Magnum naves praetervectae eum locum, qui promontorium *Falcum* et *Aquae* nominatur, cum ingente hostium gratulatione et acclamatione tenuerunt, nullaque interposita mora, tormenta, quaeque his usui sunt, exponuntur. Quorum tormentorum erant graviora et quatiendis muris accomodata decem et octo, et in his duo, quae consuetudine militari *basilisci* nominantur, sexagenarum quinarum librarum ferreos globos jaculantes, et una *colubrina*, quae quadragenarum, reliquae ex eorum genere, quas *coronas* et *pelicanos* appellant. Magnus quoque armorum omnis generis numerus comportatus, aenei thoraces quingenti, totidemque galeae. Item pulveris tormen-

mentarii, ferramentorum et scalarum ceterarumque rerum, quae ad muros oppugnandos et feriendos pertinent, magna vis. Praeterea biscocti panis et salitarum carnium magna copia convecta, nam recentes socii Mauri communi pretio suppeditabant.

XXI. Nec vero modo tormenta primum omnium exposita sunt, sed etiam incredibili celeritate in montem juxta propugnaculum, et locum oppugnationis unius diei opera subducta, nostris demirantibus, qui dierum multorum fore putabant, propterea quod viam arduam et impeditam ab hoste diebus superioribus, dum esset ab oppugnatione quies, expeditam fuisse et concinnatam ignorabant. Itaque biduo tormenta exposita sunt, et excitato vallo ex vastioribus sex loco ad propugnaculum oppugnandum idoneo collocata. Interim ad propugnaculum nostri inchoactas munitiones refecerant, tormenta sex parva locis opportunis disposuerant, et ad propugnandum necessaria cuncta comparaverant; praesidium quoque, cujus praefectus erat, ut dixi, Franciscus Biverus, ad quadringentorum custodum numerum creverat, Balthasare Moralio Petroque Mendoza cum suorum manipularium parte in supplementum a Comite missis.

XXII. Rex Hazenus vastiorum tormentorum sex, ut docuimus, ad vallum dispositis, suos praefectos propugnaculum magno impetu percutere jubet. Hi facto initio a prima luce usque ad noctem per singulare studium perseverarunt, dieque sequente continenter eodem modo usque ad meridiem murum quatere non destiterunt: quo tempore cum aditus, quantum satis esset, patefactum esse videretur, magnus eo Turcarum numerus,

Digitized by Google

rus , sed majore Afrorum multitudine antecedente , ut constitutum et imperatum erat , irrumpendi causa procurrit. Eo cum perventum esset, primis conscendere et irrumpere conantibus nostri in apertum prodeunt , acriterque resistunt, in quos Hazenus non scloppetorum modo , sed rursus etiam tormentorum tela jaci dirigique jubet ; sed eis , ut temere torquebantur , multo plures Afrorum, quam Hispanorum necessario cadebant, ut erant multo magis expositi. Quod Hazenus prospiciens , parum tamen laborabat , modo Turcis subsequentibus parceretur, et hostibus noceretur aliquid. Ita cum tormentis et scloppetis ad eum modum acriter utrimque dimicaretur, et nostri in accedentes ignes quoque omnis generis inferrent, magna hostium, praesertim Afrorum, strages edebatur ; ad extremum hostis repulsus est, quamquam a tormentorum concussu non est ante noctem cessatum. Ex nostris eo die duodecim omnino desiderati, vulnerati paulo plures, qui proxima nocte in *Almarzam*, inde Oranum curandi causa in bireme missi sunt , datis etiam mandatis , ut Comitem de periculo certiorem facerent, simulque ut centum milites subsidio laborantibus mitteret, orarent.

XXIII. Martinus Corduba custodum cognita lassitudine, confestim militum fabrorumque manum ex *Almarza* precantibus submittit, qui cistas terra complerent pro vallo et munitionibus objiciendas , dum ipsi vires diurno et continenti praelio extenuatas nocturno somno recrearent; quae manus cum nemine iter impediente in propugnaculum venisset, quod non diligenter, nec continentibus castris obsidebatur , officio suo functa post me-

mediam noctem *Almarzam*, ut erat imperatum, moestissimis custodibus redivit, quibus hostium clamores, clangoresque et strepitus per simulationem excitati, quasi ad oppugnationem nocturnam sese comparantium, somnium adimebant. Tertia vigilia cum processisset, et subsidium moraretur, custodes interclusum idem hostium diligentia pro certo habentes rebus suis plurimum diffidere coeperunt: nam muro per partes diruto et solo aequato, tam pertinaci hosti cunctisque copiis omni belli apparatu rem studiosissime gerenti se tam paucos, tam lassitudine confectos et subsidio destitutos diu pares esse non posse judicabant.

XXIV. Itaque Biverus praefectus et centuriones, communicatis consiliis, metuentesque, ne in tanta rerum iniquitate et desperatione aliqui fortasse postero die acrius, ut exspectabatur, hoste urgente novum sibi consilium caperent; ceteris auctores fiunt persuadentque, ut de rebus ad communem salutem non modo corporum, sed etiam animarum, item ad pietatem Deo, et officium Regi praestandum, simulque ad hominum existimationem et famam pertinentibus Christiana caerimonia statuatur. Quod ubi conspirantibus animis facile convenit, res ad hunc modum gesta est.

XXV. Custodibus cunctis in unum locum coactis, Monachi duo imaginem Christo cruci affixo similem atratam in eorum medio constituunt. Hanc milites omnes genibus flexis circumsistunt et venerantur, et manibus ex more tangentes in haec verba, ut erat constitutum, juraverunt: *Propugnaculum hoc, a Rege nostro Philippo per suum ducem nostrae fidei custodiaeque commissum,*

quoad vires suppetent, omnes, qui adsumus, alii alios ope mutua juvantes tuebimur, et pro se quisque adversus impios hostes defendet; nullo metu, nullo periculo ab officio discedemus; deditioni injussu ducis, servituti, omnique sceleri et infamiae pulcherrimam mortem pro republica et religione pugnantes praeferre, et, si officium poscat, oppetere non dubitabimus. Haec unus pro cunctis cum pronuntiasset, omnes clara voce consenserunt. Tum a Deo Christo supplicibus mentibus piisque veniam comprecati eriguntur, seque mutuo amplexantes erratorum veniam poscentes, et communem salutem commendantes discedunt, et ad loca, quae cuique tuenda erant attributa, revertuntur. Sed brevi spatio interjecto subsidium praeter opinionem paulo ante lucem ad numerum affuit, moestosque custodum animos refecit et exhilaravit.

XXVI. Vix insequens dies illuxerat, qui fuit Nonis ejusdem mensis Maii, cum murus tormentis concuti coeptus est, dum familia quoque Regis cum ceteris copiis, ut erat imperatum, sese ad praelium compararet, quas copias Hazenus bipartito dimisit; alteram partem ad vallum, quem propugnaculo proximum excitaverat, constituit, ut eminus tela scloppetis jacularetur: alteram irruptioni destinavit, ex qua sic aciem instruxerat, ut promtissimum quemque et optime armatum in fronte collocaret, quo in numero fuerunt treceriti amplius ferreis thoracibus et galeis induti, ut hi cum vexillis antecedentes hostiles ictus exciperent et frustrarentur, aditumque sequentibus aperirent. His cum maxime confideret Hazenus, omnes tamen paucis verbis hortatus est: „ut hostium paucitatem contemnerent; turpis-

„ si-

„simum esse tam multos a tam paucis, et tam male jam „munitis repelli; darent operam, ut quam infamiam bi„duo superiore cedendo et male pugnando contraxis„sent, hanc eo die constantia et virtute delerent, quod „armis ordinibusque mutatis facile iis fore confideret.“

XXVII. Haec effatus signum dedit; illi evolantes dejectas munitiones per diversas partes irrumpentes celeriter tredecim vexillis intra murum illatis compleverunt, sed ita ut cistarum vallum nostris accerrime propugnantibus non transcenderent; ad quem vallum diu cum fuisset utrimque magna contentione dimicatum, ad neutros tamen victoria inclinare videbatur, nisi quod ex hostibus, ut erant telis magis expositi, multo plures concidebant. Ceterum nostri, qui scloppetis, hastis, gladiis, omnique armorum genere acerrimo, ut viri fortes in extrema spe salutis consueverunt, propugnantes, aegre tamen vim tantae multitudinis sustinebant, ab ignibus artificiosis praesidium maxime petendum esse putaverunt. Ignibus igitur in omnes partes jaciendis tantum profecerunt, ut urgentium hostium parte magna exusta et in fossam praecipitata, ceteros perterritos in vallum, ad quem Hazenus oppugnationis spectator substiterat, se recipere compellerent.

XXVIII. Quo ille animadverso, ex vallo prosiliens magna verborum contumelia fugientes castigat, et *turbantem*, id est capitis gestamen in terram projicit, qua velut caerimonia more gentis magna fit irascentis indignantisque Principis significatio, et ad pugnam redire praecipit. Milites quamvis perterriti, tamen pudore metum superante in hostem signa referunt, sed ita ut mu-

ro, ejusque ruinis succedentes jaciendis eminus telis praeliarentur, non ut manus conserentes cominus praelium redintegrarent. Sed nec sic quidem periculum vitabant, quin ignibus illatis multi perirent. Itaque meridiano fere tempore, receptui canente tuba, re infecta sese in castra receperunt, tormentis tamen murum concutere non intermittentibus.

XXIX. Hazenus magno animi dolore affectus eodem die vesperi summis copiis omnique conatu oppugnationem renovat; sed praelio redintegrato, cum nostri undique ab innumera multitudine acriter urgerentur, animis tamen cum periculo et desperatione (ut est Hispanorum ingenium) crescentibus, non solum hostium impetum sustinuerunt, sed eos etiam per injectos ignes magno illato detrimento submoverunt: ex viris quoque principibus nonnullis interfectis, quibusdam vulneratis, ipso quoque Rege in humero, quamvis leviter, scloppeti telo sauciato; nec tamen ante noctem eminus tormentis et scloppetis jaciendi tela finis est ab hoste factus.

XXX. Qua propugnaculum per quatuor continuos dies paene continenter concutiendi pertinacia tantum profecerant, ut multis partibus murus, ceteraeque munitiones corruissent, sic ut eis custodes parum, aut nihil tegerentur. Hac illi necessitate inducti, ne frustra et cum suo certo periculo amplius niterentur, consilium ceperunt, propugnaculo relicto, si Martino, qui summam ad ea loca imperandi tenebat, placuisset, silentio noctis sese recipere; cujus rei gratia viginti homines mittuntur prima vigilia, qui Martinum de rebus omnibus, et quid

quid sui consilii esset, edocerent, properanter ire redireque jussi. Sed Hazenus, qui diebus superioribus vias obsidendi curam neglexerat, ea tamen nocte negligendam non putavit; credo quia de subsidio nocte superiore misso, et in propugnaculum recepto cognoverat, et ne rursus id fieri posset, providendum existimabat. Itaque centum delectorum militum manum mittit, quae locis inter *Almarzam* et propugnaculum opportunis obsessis commeatus interciperet, in quam manum cum vicenarius ille nostrorum comitatus incidisset, seque a circumvenientibus manu defenderet, quatuordecim interfecti sunt, unus vivus captus, quinque in *Almarzam* incolumes pervenerunt.

XXXI. Custodes ad propugnaculum diu nuntiis nequidquam exspectatis, id, quod erat, suspicantes, atque eo magis, quod pugnantium strepitum quamvis tenuiter audierant, haud amplius sibi exspectandum judicarunt, sed discessum, atque receptum accelerandum, antequam excitis hostibus major multitudo conveniret, et vias praeoccuparet, eos, qui graviter vulnerati erant, necessario relinquentes, ex propugnaculo sese celeriter ejecerunt. Cum vero ad hostes, qui ex oratione capti Hispanorum adventum exspectabant, processissent, quia eorum consilii et voti summa erat, ut *Almarzam* pervenirent, per medios hostes, qui obviam contra veniebant, perrumpere statuerunt; quod dum facto in eos impetu conantur, fremitu exaudito, Martinus centum jaculatores laborantibus subsidio mittit, qui tamen cum jacularentur, non minus nostris, quam hostibus incommodum inferebant, donec hostibus subsistentibus nostri

mul-

multis vulneribus illatis et acceptis *Almarzae* munitionibus successerunt. Quibus intra arcem receptis, qui paulo gravius erant vulnerati, ii in biremem injecti Oranum mittuntur; ceteri ad *Almarzae* obsidionem et oppugnationem perferendam comparantur.

XXXII. In Hispaniam quoque litterae et nuntii saepe repetita legatione in navicula a Comite mittuntur, qui Regem Philippum non immemorem officii sui, sed objectis difficultatibus morantem de rebus omnibus certiorem facerent, et auxilium saepius iteratis precibus orarent. Sed longioris morae non securitas aliqua, sive negligentia Philippi in causa fuerat, at primum longarum navium ad Hispaniam inopia, postremo casus quidam inopinatus, et cupiditas atque ambitio Joannis Andreae Doriae. Philippus enim de motu Regis Argeliae et Orani obsidione ex litteris Comitis praefecti initio cum cognovisset, quia nulla erat in Hispania post naufragium ad *Ferraturam* factum classis conficiendae facultas, litteras in Italiam ad triremium praefectos dimittit, sed maxime Petro Poncio Proregi Neapolitano per litteras mandat, ut negotium suscipiat classem cum milite Oranensibus subsidio primo quoque tempore mittendi. Is triremes Philippi nomine, quotquot potuit, Neapolim evocavit, duodecim Joannis Andreae Doriae, quatuor Marci Centurionis, Nomelinorum tres, civium omnium Genuensium, et duas Pontificis Maximi; quibus cum Neapolitanae quatuor accessissent, viginti quinque triremium classis confecta est.

XXXIII. In has militis veterani ex praesidiis Neapolitanis deducti, quantum satis esse visum est, imposuit,

suit, easque Joanni Andreae, qui principem locum in praefectis obtinebat, deducendas tribuit, Oranum subsidio properare jusso. Hac classe per sinum Narbonensem navigante suborta tempestas est, qua disjectae naves cursum, quem Barcinonem direxerant, tenere nequiverunt, et ad majores Baleares rejectae compulsaeque sunt, duabus exceptis ex duodecim numero; unde si Joannes Andreas nulla interposita mora in Portum Magnum, quod breviore trajectu facere poterat, classem perduxisset, cujus conatum hostilis impedire non poterat, parvo negotio et impendio rem maximam cum sua magna gloria et gratia confecisset; sed cum duas triremes ex suarum numero desiderari animadverteret, harum perquirendarum causa Barcinonem ceteras reduxit, ubi certior est factus de Philippi Regis voluntate, qui Franciscum Mendozam imperii nautici summam obtinere jusserat. Quo decreto Joannes Andreas velut sibi injurioso et contumelioso vehementer est commotus: nam quod bello superiore ad Meningem cum Dragute et Turcica classe gesto ipse imperii summam in classe nostra Philippi voluntate obtinuisset, perpetuam sibi eam potestatem fore nimis cupide interpretabatur ratione fallaci, et quae Philippum in diversum deduxerat; non enim res utcumque gestae Reges ad imperia eidem iterum et saepius mandanda cohortantur, sed res bene et feliciter gestae, a qua felicitate Joannes Andreas cum tota classe in eo, quod dixi, infelicissimo bello procul abfuerat.

XXXIV. Omissa igitur nostris ad Oranum et Almarzam laborantibus subveniendi cura Joannes Andreas suas

Digitized by Google

suas naves Pagano Doriae fratri commendatas ad Barcinonem relinquens Madritium per equos dispositos ad Philippum venit, cumque eo de illata injuria expostulavit, Philippus ad ejus querimoniam hoc unum respondit: „In Orani Magnique Portus tanto periculo, in quo „Hispaniae maxima res ageretur, tantaque rerum o„mnium iniquitate, qui laborantibus subsidio mittuntur, „eos rebus omnibus comparatis tempus navigandi am„bitiosis contentionibus consumere contra officium esse „et inhumanum; rediret confestim ad naves, daretque „operam, ut obsessis et laborantibus, ut erat impera„tum, auxilio venire omni festinatione properaret; com„muni periculo primum omnium, ut fas esset, depul„so, commodius honestiusque posse de privatis inju„riis, siqua esset accepta, disceptari.“

XXXV. Hoc accepto responso Joannes Andreas pari celeritate, atque venerat, ad naves Franciscumque Mendozam redivit, qui tres praeterea triremes ex remigio et armamentis ad *Ferraturam* confractarum reficiendas curaverat, deductasque cum ceteris conjunxerat. Ita cum viginti octo triremibus Barcinone profecti Carthaginem novam progrediuntur, ubi sex praeterea triremes offenderunt, duas, quibus Abbas Lupianae praeerat, quatuor ex octo, quae Alvaro Bazano fuerant nuper attributae, ut navibus ab Hispania in novum Orbem proficiscentibus, et redeuntibus praesidio esset adversus piraticas, vel hostiles incursiones, quibus Oceanus Atlanticus non procul continente infestari quandoque solet per Gallos et Britannos, iis maxime navibus insidiantes, quae auro argentoque onustae ex Orbe novo in Hi-

Hispaniam revertuntur; ut enim huic malo iretur obviam, mercatores, qui ex Hispali ad novum Orbem negotiabantur, a Philippo Rege impetraverunt, ut triremes octo instructae cum suo praefecto ei muneri destinarentur, non Regis, sed ipsorum sumtu ex novis mercium portoriis alendae. Cum his quatuor triremibus Bazanus idem superioribus diebus, ut erat imperatum a Rege, commeatu duorumque signorum veteranis militibus impositis, Oranum subsidii gratia ex Malaca profectus fuerat, jamque non procul Portu Magno processerat, cum auster reflare coepit, a quo rejectus Carthaginem novam sese recepit, idemque eodem fere tempore accidit Abbati Lupianae, cujus supra mentionem fecimus, ex Barcinone cum duabus triremibus profecto.

XXXVI. Rex Hazenus, qui has subsidii moras suam occasionem esse probe noverat, posteaquam de classis in Hispaniam adventu cognovit (cuncta enim ad eum ex Hispania per exploratores perferebantur) Almarzam omni ope acrius oppugnare coepit, jam omni spe victoriae in celeritate collocata; initio enim lentius agere jubebat, muroque et munitionibus parcere, et domos maxime, atque homines tormentorum telis lacessere, existimans terrore injecto, et auxilii diffidentia praesidium posse ad deditionem compelli. Itaque munitiones integras sibi reservari velle jactabat, ut cum Almarzam deditione recepisset, suorumque praesidio firmasset, si, ab Hispania novo exercitu submisso, bello et armis repeteretur, facilius et minore impensa veteribus, quam novis munitionibus posset obsisti. Sed cum nullus dies ab incepta obsidione sine tormentorum jaculatione prae-

terivisset, et fossae vallique propius arcem ad arctius obsidendum, et commodius oppugnandum essent producti, nec vana spe abjecta, ullam deditionis vel mentionem, vel significationem a nostris fieri videret; rem sibi serio gerendam statuit, ad tertiumque Idus Maii murum octo maximis tormentis magno impetu concuti jubet, quae oppugnatio a prima luce incepta usque ad solis occasum nullo diei tempore intermisso perducta est, eodemque modo postridie et deinceps novem continuis diebus singulari militum et tormentariorum artificum studio res gesta fuit, quo temporis spatio duae muri partes dirutae sunt, quae passus sexdenos vulgares brevi intervallo disjunctae patebant.

XXXVII. Interea custodes arcis, qui cum iis etiam, qui ex propugnaculo accesserant, vix quingentorum numerum explebant, tormentis et scloppetis hostem obsidentem lacessere, debiliores munitionum partes confirmare, cuncta necessaria ad obsistendum imperante Martino diligenter administrare, praefectis quoque curantibus, et sua munera vigilanter obeuntibus, in primisque Fernando Carcamo, qui Mattino erat vetere necessitudine et consanguinitate conjunctus. Nec erat omnium quisquam, qui aut laborem recusaret, aut cibi et potionis vilitatem et incommoditatem aspernaretur, cum omnes biscocto pane et salitis asinorum carnibus, quos triginta in hunc usum conciderant, alerentur, quoniam porcinarum quod erat, vix in unum, aut alterum diem omnibus suffecit; farinis autem dimidiati mensis, quae paulo ante duabus scaphis ex Orano silentio noctis advectae fuerant, diligenter parcebatur, ut item vino, quod

quod cum tenuiter suppeteret, ad dies dumtaxat pugnae reservabatur.

XXXVIII. Ut autem muro dejecto aliquid munitionis ad propugnandum superesset, Martinus, qui sero de classis in Hispaniam adventu cognovit, et omnem spem communis salutis in virtute collocaverat, arcis eam partem, qua murus extrinsecus tormentis quatiebatur, fossa et vallo intrinsecus muniendam curavit. In qua fossa ignes artificiosi dispositi erant, quos tabulae praefixae clavis acutis occultabant. Sed duplici aditu patefacto, cum se hostes ad irrumpendum compararent, quod est ab eis ad undecimum Kalendas Junii tentatum, nostri tormenta tum contra interrupta muri, tum ex obliquo collocarunt, etiam extra murum, sed ad portae appositas munitiones, ubi octoginta quoque jaculatores, ut erat imperatum, constiterunt.

XXXIX. Hazenus, cum pugnae dies illuxisset, acie instructa suos hortatur, magna praemia proponit iis, qui primus, qui secundus munitiones intrasset, aut conscenso muro vexillum intulisset, invadendique signum cupientibus dat. Quo accepto illi magno clamore sublato, magnoque ululatu procurrere coeperunt, hoc potissimum ordine servato. Ab ea parte, quae *Marloca* nominatur, ad sinistram veterani milites Graeci, qui *Genizari* dicuntur duo signa sequentes procedebant, ad dexteram *Mazabi* ferebantur, mediam aciem Maurorum multitudo tenebat, quae telis nostrorum, ut viliora capita, sic Hazeno dilectorum periculo consulente, magis patebat. Hos Regis familiares, et primores galeis et thoracibus ferreis induti, gladiisque et arcubus armati

 cum

Digitized by Google

cum regiis vexillis subsequebantur. Sed cum omnes citatissimo gradu murum peterent, ne diutius in via nostrorum telis impune paterent, custodibus tamen undique lacessentibus multi cadebant; verum tanta erat procurrentium hostium multitudo, ut multis amissis nemo tamen desiderari videretur..

XL. Ubi est munitionibus successum, non per loca dejecta solum irrumpere nitebantur, sed quidam etiam Regis pollicitationibus incitati scalis murum diversis partibus conscenderunt, duoque militaria signa seorsum intulerunt, sed his per custodes, quibus obvenerunt, confossis et trucidatis, reliqui subeuntes facile rejiciuntur, in praecepsque dantur. Ceterum cum ad interrupta ingens multitudo concurrens pertinaciter irrumpere conaretur, nostri partim tormentorum contra ea loca collocatorum, scloppetorumque telis rem acriter gerentes, partim ignibus, hastis et gladiis ex aequiore loco propugnantes sic illorum vires animosque multis interfectis, compluribus vulneratis fregerunt, ut pedem referre cogerent, indignante Rege et prae dolore lacrymante, frustraque praefectis fugam, ut erat imperatum, gladiis intentandis sistere nitentibus. Discessum est autem a pugna, cum in duas amplius horas esset perducta, imbre quoque, qui consecutus est, non mediocriter dehortante, et vulneribus illatis multum periculi, ut natura fert, adjiciente. Ex nostris in eo conflictu duodecim desiderati sunt, et in his Ludovicus Alvarus Sotomajor Almarzae praefectus; decem vero vulnerati.

XLI. Hazenus diuturna tormentorum oppugnatione et ictibus bonam muri partem demolitus, cum Almarzam

Digitized by Google

zam multis suorum amissis frustra tentasset; spatium interponendum putavit, dum perterritorum, ut erant plerique omnes, animi recrearentur, nec interim tamen a comparandis rebus oppugnationi futurae necessariis cessabatur: nam tormenta gravissima, quae ad id tempus usui fuerant, in naves reposita sunt, cum telorum inopia facta essent inutilia, globis, qui ex ferro ad eorum magnitudinem formati erant, numero quinque circiter millium in propugnaculi primum, deinde in Almarzae concussionibus exhaustis. Praeterea duo valli inter infimum et supremos perducti, ibique octo paulo minora tormenta collocata, cum quibus septimo die oppugnatio partim ad eadem muri loca renovata est, ut majores ac expeditiores aditus patefierent, partim ad arcis portam et appositas munitiones, unde hostes ex obliquo magnum nuper detrimentum ceperant.

XLII. Eodem die Hazenus a perfuga, qui ex Orano transfugerat, admonitus peninsulam, quae ad Almarzam bonam portus partem curvo fastigio ab occasu complectitur, occupandam mandavit. Hanc Martinus sexaginta hominum tripartito praesidio firmaverat, quo liberius ex urbe naviculae silentio noctis commearent, nec essent ab ea parte hostium incursus repentini metuendi. Sed proxima nocte magna Turcarum multitudo longis navibus invecta peninsulam invasit, frustra nostris, ut erant longe numero inferiores, propugnantibus, qui diutius eorum impetum ferre nequeuntes sese in Almarzam receperunt. Postridie vesperi, qui fuit pridie Kalendarum Junii, vallus infimus, et arci proximus, dum tormentis hostes acriter rem gerunt, ignem ne-

nescio quo pacto concepit, sic ut tormentorum rotulae conflagrarent, inutilesque redderentur, et hostes vallum desererent, nostrorumque telis fierent opportuni, qui occasionem arripientes in eam maxime partem tela converterunt, atque multos occiderunt.

XLIII. Hunc casum non defuere, qui superstitiose prodigii loco interpretarentur infelicem successum hostibus portendentis, atque eo magis, quod eodem die duae speculatoriae naviculae, altera ex Malaca, altera ex nova Carthagine Orano appulsae sunt, quae nostrae classis adventum appropinquare et Carthagine nova pridie Kalendarum Junii exspectari nuntiarunt, unde Oranum brevissimus est trajectus: quamquam hic gratissimus nuntius aegre die tertio natationem fluctibus impedientibus ad Martinum est a natatore quodam perlatus, qui custodum animos magna cum alacritate, tum fiducia complevit.

XLIV. Hazenus, ad quem omnia liberius ex Hispania exploratores perferebant, cum eadem de nostris triremibus cognovisset; ex copiis, quas in Orani obsidione reliquerat, jaculatores Turcas ad se venire, ceteros in loca tutiora longius ab Orano, nequid inde incommodi caperent, discedere jubet. Itaque Mauri mediterranea petentes duodecim millia passuum ab Orano recesserunt; Turcae in castra Regis se contulerunt, qui jam omni fiducia in celeritate posita Almarzam rursus summis opibus terra marique oppugnare parabat. Postridie igitur Kalendarium Junii totus pedester exercitus ad irrumpendum paratus, ut erat imperatum, adest ab ea potissimum parte, qua murus erat dejectus, a mari ve-

vero, qua dicitur *Marloca*, viginti naves longae tormentis militibusque Turcis instructae affuerunt, acceptoque signo res undique magno impetu geri coepta est; sed ad interrupta muri accerrime utrimque pristina ratione dimicabatur; a *Marloca* ex omnium triremium, biremiumque tormentis et item scloppetis nautici frequentissima tela jaculabantur; quod cum facere remisissent, et nostri tela ex tormentis retorquerent, quibusdam depressis sese illi removerunt, expositis tamen mille Turcis, qui gladiis potissimum armati cum scalis procurrerunt, et iis applicatis murum conscendere coeperunt.

XLV. Hispani robore animi durissimis rebus, ut eis saepe solet, augescente, pristinis armis alios praecipitabant, alios confodiebant, quosdam illatis ignibus comburebant, et hostium conatus modis omnibus frustrabantur. Quo in praelio cum multis ex primoribus caderent, multique sauciarentur; Tremecenii quoque praefectus, qui principem locum inter Regis amicos obtinebat, vulnus accepit, sed praelio excedens, ne telis nostrorum pernecaretur, idoneum saxum forte nactus, huic adhaesit et sese post illud occultavit. Hoc Hazenus cum rescivisset, amici periculo permotus caduceatorem ad Martinum mittit rogatum, ut viro nobili, sibique caro, qui saxo tegeretur, suos parcere juberet, sibique beneficii non immemori futuro condonaret. Ad ea Martinus facturum se respondit, dummodo, cui parceretur, non ignoraret. Hoc responso relato Hazenus indicaturum se negavit, illud tamen polliceri, et per Solymani Turcarum Principis caput sancte jurare, si hoc impetraverit, obsidione se intra diem tertium Almarzam soluturum. Mar-

XLVI. Martinus his auditis, se non periculi, nec obsidionis metu moveri (quod ope divina et suorum virtute fretus contemneret) ut Regis voluntati morem gereret, sed sua natura, et morum facilitate duci, et praesertim etiam consuetudine, qui honestas piasque preces, praesertim principum virorum, pro salute amicorum solicite deprecantium non aspernari, et bonum pro malo reddere humanitatis, ac ingenui animi esse putet, etiam si te de te male meritus oret. Mitteret igitur, nec eum modo, quem peteret, sed ceteros etiam vulneratos, siquos caros haberet, abduceret. Sic Tremecenii praefectus, et qui cum eo saxo tegebantur, sine periculo deductus est, discedensque Martinum suppliciter salutavit et gratias egit Hispana lingua, nostrorum enim longa consuetudine Hispane sciebat, et custodibus bene precatus est. Ceterum in conditione deferenda Regem adventum nostrae classis spectasse puto, Martinum in aspernanda Regis etiam perfidiae, non solum humanitatis rationem habuisse, qui quantum Hazeni fidei committendum esset, ipse non ita pridem intellexerat, et cum ceteris dedititiis Christianis in Mazagranensi calamitate senserat. In quintam jam horam certamen processerat, cum Hazenus, ne suorum stragem nihil proficientium magno animi dolore diutius spectaret, receptui canere jubet, ducentis circiter promtiorum amissis et compluribus vulneratis, quo die vesperi habito censu compertum est Turcarum ex Argelia deductorum duo millia nongentos et quinquaginta desiderari.

XLVII. Biduo proximo tormentorum concussio repetita et continuata est. Tertio die per partes irruptio sae-

Digitized by Google

saepe tentata; tripartito enim exercitu per vicos hostes integri fessis succedebant, ut nullum diei tempus certamine intermisso, quibus virtute pares esse non poterant, eos labore, et fatigatione fractos superarent. Martinus inter haec, ut in propugnationibus solebat, modo suos appellare et Hispanorum bellicae gloriae saepe durissimis temporibus perspectae commonefacere, modo piis verbis ad mortem contemnendam, et pro Christo, cujus crucifixi imaginem duo Monachi euntibus ad praelium ostentabant, aequo animo, si usus esset, oppetendam adhortari, vicissimque spe appropinquantis subsidii confirmare; tum defessos et languidos cibo et potu largius reficiendos curare: nam die pugnae non solum panis biscocti, et asinorum salitarum carnium diurnum duplicabat, sed vini etiam in haec tempora non sine causa reservati (alit enim vires moderate sumtum, et animos confirmat) cyathum singulis suggeri praecipiebat. Toto igitur eo die vicibus hostes continenter decertaverunt; nostri ubique ex loco superiore invadentibus fortiter obsistebant, sed ii maxime omnium stragem edebant, qui ad tabulata parti muri inter duos aditus patefactos relictae apposita constiterant; hi enim in eos, qui ex alterutra parte conscendere et irrumpere nitebantur, artificiosi ignis omnia genera intentis animis inferebant, quae genera haec aetas pulveris *alcanzias* ac *bombas* et *alchitranum* appellat, multumque tum incommodi, tum timoris hostibus incutiebant.

XLVIII. Itaque sub solis occasum multis suorum amissis in castra trepidantes sese omnes recipere coeperunt, fremente Hazeno, frustraque, et injuria magna

voce eorum ignaviam increpante; perterriti enim nullis vocibus revocari poterant, nec illorum ignavia, qui acriter diuque depugnaverant, offensum fuerat, sed nostrorum virtute atque constantia locus defensus. Ab eo die remissius ab hostibus omnia gerebantur, et cum magna diffidentiae significatione, partim propter nuntium adventantis classis, quae in dies et horas exspectabatur, partim quia, nisi siqua nova oppugnandi ratio iniretur, Hazenus omnem spem recipiendae arcis amiserat. Cujus rei gratia ingenio factoque nostrorum admonitus magnam vim artificiosorum ignium ad Argeliam comparasse, eoque duas biremes deportandi causa missas exspectare ferebatur. Itaque raris tormentorum telis hostes Almarzam, ne nihil agere viderentur, quatiebant; civitas tamen sato per castra de biremibus, ignibusque rumore, qui Oranum permanaverat, et classis nostrae mora solicita obsessis multo magis metuebat, praesertim cum jam easdem, de quibus dixi, biremes revertisse increbuisset.

XLIX. Dum haec ad Portum Magnum gererentur, jam nostra classis novam Carthaginem convenerat, eodemque magna voluntariorum militum multitudo ex nobilibus illustribusque familiis studio bellandi, et cum impiis hostibus pro Christiana republica suis stipendiis militandi confluxerat; quos Franciscus Mendoza, coacta triginta quatuor triremium classe, collaudatos in naves libentissimus recepit, magnoque honori habuit, et rebus necessariis comparatis Nonis Iunii ejusdem solvit, sed usus tempestate parum idonea non ante quintum diem in conspectum Orani processit, quo illucescente die ex con-

continente prospecta classis ut nostrorum animis solicitudinem ac timorem excussit, sic hostium animos magnopere conturbavit. Itaque nulla interposita mora naves hostiles sese fugae mandaverunt. Hazenus soluta obsidione castra movit, frumenti et reliqui commeatus bonam partem illic relinquens, et item ad vallos septem graviora tormenta, quibus Almarza postremo quatiebatur, sic ut discessus fugae similis esse videretur.

L. Franciscus Mendoza prospecta navium hostilium fuga, triremes octo, quae se commeatibus largius impleverant, Francisco Cordubae fratri Comitis attribuit cum iis recta properare jusso; ipse et Joannes Andreas cum reliquis viginti sex fugientes insequi coepit. Sed ne longius insequerentur, factum est vel spe consequendi per fugientium celeritatem sublata, vel quia ducum animis dissidentibus res non satis nec imperio, nec ratione gerebatur. Itaque nulla navis hostilis actuaria capta est, praeter unam biremem ab hostibus subductam, et septem scaphas, praeterea quinque oneraria navigia Gallica, quae supra memoravi, cum septem illis gravissimis tormentis in easdem, ut demonstratum est, repositis. Quorum nautae patibulo dignisimi remigio addicti fuerunt, qui habita quaestione, se confessi sunt a principe quodam Gallo jussos cum illis quinque navibus, quae tormentario pulvere, et ferreis globis, ceterisque rebus, quae tormentis bellicis usui sunt, sese compleverant, Argeliam navigasse.

LI. Melita urbs est in ora Mauritaniae ex adverso Hispaniae Baeticae, et urbis Almeriae sita, vasta quondam, ut ejus vestigia ruinaeque declarant, cum Ro-

manorum, vel Hispanorum imperio Mauritania parebat. Postea vero quam eadem provincia in Saracenorum ditionem concessit, Melita Christianorum armis rursus recepta cum fuisset, interioribus moenibus et fossa in multo angustius a nostris contracta est, quo minore praesidio in terra hostili defendi posset; quod Ceptae quoque et aliis maritimis oppidis in eadem Mauritania usu venisse constat. Hanc obtinente Petro Venega, qui

AN. M.D.LXIV. fuit annus Christi millesimus quingentesimus sexagesimus quartus, accolae barbari Nomadesque vagantes Melitensem agrum incursionibus cum infestarent, nostri eruptione facta praelium equestre cum hostibus commiserunt, quo in praelio praefectus ipse Petrus Venegas, dum cedentes cupidius insequeretur, hasta ex obliquo conjecta crure vulnus accepit.

LII. Paucis diebus interjectis ab exploratoribus perlatum est, sacerdotem quemdam Mahumetum nomine, cognomento Bonajussi, qui se vatem esse, et magicis artibus potentem profitebatur, provinciales popularesque suos ad Melitam tentandam solicitare, se duce, qui non armis et equis, sed ope divina et virtute verborum niteretur; et hunc ad Alcajalam montem cum sexdecim discipulis, et quatuor praeterea litteratis hominibus, tentoriis quinque consedisse, confectas manus exspectantem prope diem affuturas, ut Melitam occupandi gratia contenderent, qua sine vulnere eos potituros esse polliceretur. Nam portas reclusas et Christianos custodes stupidos, et attonitos ipsis accedentibus fore.

LIII. Hoc nuntio accepto Petrus Venegas, vir magni consilii et virtutis, quamquam ceteris fere, quos in

Digitized by Google

in concilium coëgerat, res improbabilis et ridicula videbatur, ipse tamen allatum nuntium in tanta gentis credulitate et levitate haud penitus contemnendum esse putavit, quin ad omnes casus, quae usui essent, comparanda curaret. Verum sacerdotis properatio non satis spatii ad comparandum dedit, qui perpaucis post diebus paulo post solis exortum affuit, magnaque Barbarorum multitudo numero, ut putabatur, ad decem millia sese ostendere coepit, quos Mahumetus sacerdos cum discipulis antecedebat, velario tectus ex palmeis foliis contexto. Qui Barbari ubi ad priora et vetustiora moenia pervenere, portas offenderunt, consulto a nostris patefactas, quominus Barbari de sacerdotis divinatione dubitarent, securiusque in insidias praecipitarentur. Nam portae interioris et recentioris oppidi occlusae custodiebantur, fossae, quae ante murum erat, ponticulis sublatis, et in sublime reductis. Intraverunt autem nemine propugnante, magno strepitu magnoque clamore divorum suorum opem implorantes. Sed bona jam parte intra veterem murum recepta, qui turrim ad portam, quae dicitur *cremata*, tenebant, accepto signo crassiorem tabulam pro cataracta demiserunt. Sic Barbaris liberiore receptu interclusis, nostri ex locis superioribus ignes artificiosos scloppetorumque tela in hostes, ut a Venega fuerat imperatum, intus et foris jaculari coeperunt. Qui cum frequentes praeter opinionem caderent, multique cum cruciatu perirent, omnes hinc inde perterriti dissipantur, et qui fuerant ingressi, per interrupta muri fuga ad salutem contendunt, ipseque sacerdos duobus vulneribus acceptis effugit, ad mille trecentis desideratis.

Hac

LIV. Hac accepta clade sacerdos, ejusque levitate rebus ipsis convicta, nihilo tamen magis ad sanitatem redivit, quin bellum Melitense renovare, et fortunam rursus tentare moliretur, quod auctore Deo futurum Barbaris praedicabat; nam bello superiore nescio quo errore offensum fuisse causabatur. Hoc cum Melitam per Barbaros eosdem negotiandi causa fide publica ventitantes nuntiaretur, rumoribusque perferretur; Petrus Venegas sacerdotis amentiam sibi quoque credulitatis et timoris simulatione alendam esse putavit, quo facilius eum in temeraria sententia, et pernicioso consilio confirmaret, et graviore damno temeritatem ejus coërceret. Itaque apud eosdem nuntios sacerdotis incantamenta, quae nuper cum suis paene dementatus sensisset, et vix ope divina depulisset, sese magnopere vereri dicebat, et ficto dolore simulabat, eisdemque nuntiis pacis interpretibus uti coepit, quasi nullas pacis conditiones, tolerabiles modo, recusaturum. Ceterum sacerdos, eo majoribus spiritibus sumtis, a suscepto consilio nulla ratione deduci potuit, in quod suos populares et finitimos leves et credulos mortales eo facilius perduxit, quod quaedam ab eodem praedicta evenisse animadverterant. Nam quae casu ceciderant, haec per divinationem praecognita et antedicta fuisse credebant. Huc cum accederet Melitensis praefecti manifestus, ut ferebatur, timor et incantationis vis, quam sensisset, confessio; divini hominis affirmationi fidem non adhibere, atque parere nefas esse existimabant.

LV. Multas de pace legationes ad se per timoris simulationem missas Mahumetus aspernatus, Mauritaniae ma-

magnam partem in belli consilium perduxit, ac rebus necessariis comparatis, manibusque coactis ad diem decimum tertium Kalendarum Julii ejusdem anni ingens Barbarorum, et multis partibus major, quam nuper, armata multitudo, quae sacerdotem eumdem sequebatur, sese nostris in conspectum dedit. De quorum adventu Petrus Venegas per Judaeum exploratorem proxima nocte cognoverat, cum jam ante necessaria, quaeque usui essent ad rem gerendam, comparasset. Nam collapsa veteris muri refecerat, et cataractas ratione conficiendas mandaverat, et omnis generis artificiosos ignes congerendos. Barbari planiciem, quae ante Melitam est, mane ingressi diu ad locum, qui *Vadum Palmae* nominatur, progrediuntur; ibique religiosis vocibus et certis caerimoniis ad sacerdotis praescriptum, qui cuncta religione moderabatur, Deum venerantur; quo munere cunctis superstitiose functis, primum agmen procurrere coepit, et nemine prohibente, aut iter demorante per patentem portam in urbem irrumpit, nec ante subsistit, quam ad fossam et moenia interioris oppidi ventum est.

LVI. Huc Petrus Venegas processerat, qui parumper, dum hostium major numerus intrasset, moratus, ubi tempus esse existimavit, signum campana dedit, quo accepto porta *cremata* ab iis, qui turrim impositam tenebant, demissa cataracta occluditur, simulque tormentorum et scloppetorum telis intra et extra moenia res acriter geritur, et ignibus artificiosis hostes undique praeter opinionem exagitantur, tantoque terrore afficiuntur, ut ex sexaginta Barbarorum millibus, quae convenisse existimabantur, brevi nullus omni planicie, de

qua

Digitized by Google

qua demonstratum est, usquam compareret; tum toto nostrorum impetu in interclusos converso, praeter quadringentos circiter captos, ceteri omnes conciduntur; qui cum iis, qui per planiciem ceciderunt, ad tria millia fuisse memorantur.

LVII. Cum esset in Belgio Rex Philippus, bellumque in Henricum Gallorum Regem propter violatas inducias compararet, nuntios et litteras in Hispaniae cuncta regna dimisit, stipendii militaris gratia; de quo ut a Castellanis, qui sunt Regiae Majestatis perstudiosi, nonnihil a Valentinis quoque etiam extra ordinem impetrare non fuit difficile, sic ab Aragonensibus et Catalanis nullis precibus impetrari quidquam potuit, pro ipsorum scilicet instituto et consuetudine, qui summo jure cum suis Regibus agere consueverunt, eosque in dandis et accipiendis ad calculos revocare, et instituta legum omni officio in eum paulo liberaliori potiora ducere. Est autem harum gentium instituti Regem suum nullo stipendio juvare, nisi praesentem, conventibusque peractis.

LVIII. Itaque reverso in Hispaniam Philippo, cunctorum erat opinio, ipsum primo quoque tempore Montisonem oppidum conciliis in confinio regnorum ab illis destinatum progressurum; sed longe aliter Philippus cogitabat, qui ea repulsa et indignitate tantopere exarserat, ut animum ab his gentibus averteret, nec ut iis officium suum praestaret, satis animum induceret. Itaque vix anno quinto ab ejus in Hispaniam reditu exorari potuit, ut Montisonem ad Concilium ex more peragendum proficisceretur. Quamquam profectionem morbus quoque Caroli filii demoratus est, quo is subinde, ut

Digitized by Google

ut erat natura valetudinarius, tentabatur. Ita cum diu frustra, dum convalesceret, exspectasset, aegrotantem invitissimus necessario reliquit, quae causa eidem concilio ad Montisonem justa et necessaria visa est, ut Carolus absens pro successore Regni, dato et accepto ex more jure jurando, solemni caerimonia reciperetur; quo facto successori filio cogendi concilia et conventus peragendi, vivente etiam patre, et quarumdam aliarum rerum jus et auctoritas earum gentium legibus tribuitur.

LIX. Conventibus brevi tempore anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto peractis, Philippus ex Montisone paulo post aequinoctium Barcinonem processit, ut duos Mariae sororis, et Maximiliani Bohemiae Romanorumque Regis filios pueros intra pubertatem classe advectos exciperet, Fernandum majorem natu, et Carolum avorum nomina referentes, quos deinde indulgenter habuit, et pro cognatione et generis dignitate regifice tractabat, armatorum quoque praesidio ex Pannoniorum Germanorumque gente tributo, cujus generis erant ceteri fere domestici et administri; quos regios pueros Philippus idem ex Germania deducendos curaverat, ne impia haereticorum consuetudine teneris animis, matre invita et prohibere nequeunte, vitii aliquid adhaeresceret; nam pater Maximilianus eam curam negligebat. Quibus cum magna laetitia receptis, cum eis Valentiam processit; inde paulo post cum his in Carpetaniam et Madritium ad Joannam sororem et Carolum filium, Regiaque Consilia revertit. AN. M.D.LXIV.

LX. Philippo Valentiae commorante, Ajaja praedo

natione Turca, qui ad exercendam piraticam invitatus anni tempore prodierat, jam enim aequinoctio peracto mensis Aprilis agebatur, e regione urbis ejus pervenerat. Is prospecta oneraria nave, quae mercibus onusta, ut stationem ante Graum jactis anchoris caperet, appropinquabat, in eam cum sex biremibus advolat, circumventamque acriter tormentis oppugnat, Rege ipso ex palatio suburbano cum animi sui dolore vidente, et per fenestram spectante, et, quod laborantibus subvenire non posset, magnopere dolente; eamdemque expugnatam captivam remulco abducens in suum receptaculum redire properavit; hoc erat perexigua insula ad oram Mauritaniae brevi a continente spatio disjuncta, quam saxum ingens efficit *Velezii ad Gomeram* cognominatum, cujus occasione praedones impune multa incommoda tum navigantibus nostris, tum oram incolentibus praesertim ad Baeticam inferebant.

LXI. Est quippe locus natura munitissimus, et quem pauci viri fortes contra quamlibet magnam multitudinem, absit modo dolus, tueantur. Non enim sine fraude hostili amissus est, cum a nostris teneretur hac memoria Caroli Caesaris Regis nostri principatu, Villalupo praefecto conciso, et arcis suprema et munitissima parte occupata, per exploratorem et eumdem plagiarium, duosque adolescentes Mauros, qui ab hoc fuerant pugiones occultantes muliebri habitu quasi virgines ancillaeque venales introducti.

LXII. Hujus igitur receptaculi opportunitate Turcae praedones maritimas Hispaniae praesertim Baeticae regiones

nes

Digitized by Google

nes repentinis incursionibus tum navalibus, tum etiam pedestribus nocturnis infestabant, magnasque calamitates inferebant. Eae cum saepe Philippo essent auditae, hic navis vectorumque casus et moestissimum spectaculum, omnium auditorum incommodorum, et suis illatarum calamitatum memoria renovata, dolorem quasi refricavit. Hanc indignitatem, et calamitosam ad multosque pertinentem contumeliam Philippus minime ferendam ratus, cunctis rebus enitendum statuit, etiamsi res magna mercede contingeret, ut praedonum illud receptaculum a nostris reciperetur. Cujus rei causa Garsiam Toletum accersiri jubet, quem diebus superioribus toti officio maritimo praefecerat, eique summam imperii ad navalia praelia detulerat propter singularem, quae de ipsius virtute et consilio habebatur, opinionem, jam tunc ab eo tempore, cum Aphrodisium oppidum in Africae ora munitissimum a nostris Dragute pulso receptum fuerat; quo in bello Garsiae Toleti cum virtute ingenium quoque et vigilantia imprimis enituit.

LXIII. Hunc igitur Philippus, cum vocatus adesset, de instituto suo certiorem facit, communicatisque consiliis cum litteris et mandatis in Italiam eum properare jubet, et, quid fieri vellet, ostendit; simulque missa legatione Sebastianum Lusitaniae Regem in belli societatem vocat, quippe ad quem res nonnihil pertinebat propter oppida, quae in propinquo Velezii Lusitani habitant, praesidiisque in eadem ora tenent. Conquisitores etiam per Hispaniam dimittit, a quibus peditum quatuor millia confecta sunt, et in vicos non procul Ma-

laca deducta cum parvo armaturae levioris equitatu. Tum Annibali Nisio, qui Romae aderat, per litteras mandavit, ut in Germaniam proficisceretur, atque ejus gentis peditum delectum haberet, pro Regum Hispaniae consuetudine, qui ad bella gerenda libenter et utiliter solent Germanos cum Hispanis militibus conjungere, quippe quorum hi ad statarias pugnas accommodatissimi sunt, illi ad incursiones et excursiones faciendas, expugnandasque urbes opportunissimi; confectaque ab eo sunt peditum tria millia, ut erat imperatum, et in Liguriam, unde navibus tolli possent, adducta.

LXIV. Garsias Toletus in Italiam cum navigasset, compellendi triremes, et milites nostrae gentis veteranos ex praesidiis Siculis, Neapolitanis et Mediolanensibus, ut in mandatis acceperat, deducendi munus tam diligenter administravit, ut cum mense Majo Barcinone solvisset, paulo post Idus Augusti proxime secuti cum Italicarum omnium, item Sicularum et Melitaearum triremium classe Malacam redierit, cumque Hispano milite veterano. Germani enim ad novam Carthaginem remanere jussi, dum Lusitana classis manusque Malacam, qui locus conveniendi dictus erat, perveniret, quo tandem triremes octoginta octo undique compulsae convenerunt, ex Hispania viginti, ex Melite insula quinque, ex Sicilia decem, Romanae, id est Pontificiae tres, totidem Allobroges, octo Florentinae, viginti duae Genuenses, octo Lusitanae; praeterea *galeones* duo, et naves onerariae circiter triginta, et Liburnae, id est *bergantini* duodecim, praeter alias naviculas.

Cum

LXV. Cum Malacam Lusitana classis pervenisset, Garsias Toletus, imposito exercitu Germanisque Carthagine nova devectis, cum parte triremium Malaca profectus, Tormolinum processit, qui locus inde octo millibus abest, ibique in anchoris reliquas naves exspectavit, quas se subsequi jusserat, reliquas actuariis remulco deducentibus; in quem locum proxima nocte universa classe compulsa, Garsias aquatione peracta sub lucem solvere jubet, idoneaque tempestate ad navigandum usus, postridie vesperi terram Africam attigit, ad stationem, quae *Alcalae* cognominatur, abestque a saxo Velezio passuum millium circiter sex, loci opportunitatem secutus ad egrediendum navibus, et impedimenta exercitus exponenda, et vim hostilem repellendum accommodatissimi; nam planicies hinc mari, illinc montibus altissimis continetur. Itaque eodem die nemine impediente, aut iter demorante exercitus navibus egressus est, montiumque latera missis jaculatoribus occupata, quo tutiora essent castra a Barbarorum incursionibus repentinis.

LXVI. Postridie ad radices montis altissimi locus ad commeatus importatos, et, si bellum duceretur, importandos, ceteraque impedimenta deponendum et asservandum communitur, praesidioque firmatur, cujus rei gratia arx quoque vetus et deserta, quam Lusitani olim in latere montis stationi Alcalae impendentis tenebant, occupata est, et praesidium impositum, ex tironibus tamen, ut illud alterum, ne veterani ab officio magis necessario et utiliore avocarentur; 'quae omnia magna Garsiae cura, magnoque studio fabrorum militumque

que administrabantur, dum Lusitana et Melitaea classis pervenirent, quae longiore intervallo exercitum subsequebantur, Lusitanum *galeonem*, id est, vectoriam navem plurimis maximisque tormentis gravatissimam in consecuta malacia remulco, ut a Garsia fuerat imperatum, ducentes. Ceterum cum utraque proxima nocte pervenisset, et milites in terram descendissent, quod non sine molestia et difficultate factum est, jam fluctibus naves longas jactantibus, profectio per terram in Velezium nulla interposita mora comparatur, et agmen duodecim circiter millium peditum tripartitum in hunc modum ad omnes casus componitur: veteres novique milites, qui numero erant ad octo millia praeter Germanos, miscentur inter se firmioris virtutis causa, et ex eis acies duae, prima et media constituuntur, tertia et postrema Germanorum trium millium erat, cum Hispanis sexcentis veteribus scloppetariis. In prima Sanctius Leiva, in media, quo Lusitani conjecti fuerant numero ad octingentorum, Franciscus Barretus eorum praefectus, cumque eo Ludovicus Ossorius curare jussi sunt, in postrema Comes idem Annibal, quem supra memoravimus.

LXVII. In has acies multi viri nobiles, qui ad hoc bellum amore cum Saracenis et pro religione pugnandi sponte sua undique confluxerant, ut cuique libitum fuit, conjecerant, nam milites id genus, ut sine stipendio, sic extra ordinem militant. Equitatus, qui centum equitibus constabat levioris armaturae ex eo genere, quod nostri *ginetam* vocant, cum Joanne Villaroelo praefecto a la-

Digitized by Google

latere agminis procedebat. Tormenta sex mediocria, et reliqua exercitus impedimenta inter primam et mediam aciem ferebantur; quibus tormentis iter alioquin multifariam impeditum demorantibus, factum est, ut paene totus ille dies tam parvo spatio sex milliariorum consumeretur. Hostes enim qui pauci, seroque diei sese in conspectum agmini dederunt, atque eminus jaculando postremos lacessere coeperunt, non diu jaculatorum nostrorum repugnantium impetum sustinuerunt, seque fuga celeriter ad interiora loca receperunt.

LXVIII. Garsias Germanis in latere montis, qua iter habebat, considere jussis, cum reliquis appetente nocte Velezium pervenit, castellum in littore situm, et brevi alveo ab arce saxea disjunctum, idque ab hostibus, et castellanis timore desertum occupavit, et in propinquo per opportuna loca praesidia disposuit. Deinde appulsis navibus, quae littora legentes majora tormenta muris quatiendis idonea devehebant, tormenta eadem exponuntur, ac idoneo loco ad oppugnandam arcem collocantur, utrumque Sanctio Leiva potissimum, quem Garsias ei muneri praefecerat, diligenter administrante; primaque luce arcis oppugnatio coepta est, et ad noctem usque acriter perducta, sic ut eodem die summum arcis propugnaculum conquassatum disjiceretur, usque adeo perterritis custodibus, qui numero erant ad centum sexaginta, ut protinus de loco deserendo cogitarent; itaque proxima nocte partim naviculis, quas nacti sunt, partim enatantes ad nota continentis tutioraque loca difugerunt, et tenebrarum beneficio servati

sunt,

Digitized by Google

sunt, perpaucis exceptis, quibus neutra contigit facultas. De qua fuga per transfugam, qui ad nostros indidem enatavit, Garsias cum eadem nocte rescivisset, nuntio laetissimus sexcentorum hominum manum cum Jacobo Arnalto praefecto, quae arcem occuparet, nulla interposita mora submisit. Itaque cum dies illuxit, jam arx sine contentione in nostrorum potestatem pervenerat, qui dies fuit postridie Nonarum Septembris, annus vero
An. M.D.LXIV. Christi millesimus quingentesimus sexagesimus quartus.

IN-

Digitized by Google

INDEX

TRIUM LIBRORUM DE REBUS GESTIS

PHILIPPI II. HISPANIARUM REGIS.

Aegidius Theologus haeresi damnatur. 60.

Agamontis Comes Somam cum equitatu trajicit. 24. Gallis occurrere a Philippo Rege jubetur. 32. Ad Gravelinas castra castris confert. 33. In hostes impetum facit. 34.

Ajaja praedo. 127. E regione urbis Valentiae pervenit, navemque onerariam expugnat. 128.

Ajora Joannes Vascus *generalis Commissarius* deditionem paciscitur cum Hazeno Argeliae Rege. 51.

Albanus Dux (Fernandus Alvarus Toletus) a Philippo jubetur, ut Pauli Pontificis injustos conatus impediat. 6. Pontemcorvum, Frusinonem et Ananiam occupat. 9. Ad Phoebum Cappellam Veneti Senatus scribam pacis interpretem respondet. 16. Inducias paciscitur, et in Neapolim saeva hieme revertitur. 17. Civitellae oppugnationem magnopere impedit. 18. Neapolitani Regni procuratione se abdicat, et privatus ad Philippum Regem in Flandriam revertit. 37. Pacis Legatus ad Cervani Abbatiam mittitur. 37. In Galliam Legatus pro Rege Philippo cum Isabella Enrici Regis filia matrimonium contrahit. 39.

Alcajala mons ad Melitam. 122.

Alcalae statio non longe a saxo Velezio ad Gomeram. 131.

Alcalensis Dux (Petrus Poncius Henricus) Neapolis Prorex mandata Regis accipit de apparatu ad bellum Draguti inferendum. 65.

Alcaudeti Comes (Martinus Alfonsus Corduba) bellum suscipit in Tremezeni tyrannum. 40. Frustra Barbaros rogat, ut fidem datam de camelis et commeatibus suggerendis praestent, et exercitum siti, labore et aestu confectum Tacellae Zocum perducit. 41. Ad Martinum filium Oranum mittit, ut cum ceteris copiis Nacarum adducat, adductoque Barbaros alloquitur. 42. Re infecta copias Oranum ducere contendit. 42. Pia filii monita, ut copias Oranum reducat, non sibi audienda esse putat. 44. Moztaganum oppugnat. 44. Per transfugam omnia de hostium rebus florentibus cognoscit. 44. Orationem Carcami ipsum a bello dehortantis audit. 46. Ejusdem veris rationibus permotus de receptu se illi morem gesturum dicit, de tormentis relinquendis negat. 49. Suos ad pugnam hortatur, et non modo strenui ducis, sed etiam militis fortissimi officio fungitur. 50. Stricto gladio suis militibus cedentibus sese opponit. 50. A multitudine fugiente obrutus intercluso spiritu pernecatur. 51. Ejusdem laudes. 51.

Alcaudeti Comitis filii duo naufragio ad *Ferraturam* portum pereunt. 60.

Almarza arx ad Oranum. 95.

Digitized by Google

Almeria Hispaniae urbs. 122.
Almirallius Duajum male munitum esse Henrico Regi nuntiat. 20. Duajum cum militum manu contendit, sed re infecta copias domum reducit. 20. Sanquintini obsessis subsidium ferre jussus irrumpit. 22.
Alojalius Christianus transfuga. 82.
Ambianum oppidum. 36.
Anania a Duce Albano occupatur. 9.
Andelotius Almirallii frater Sanquintini obsessis subsidium ferre frustra conatur. 22.
Aragonenses summo jure cum suis Regibus agunt. 127.
Argoteus (Fernandus) a Turcis capitur. 77. Ex Byzantio recepta libertate redux exsultantem Dragutem cohibet. 86.
Argoteus (Martinus) a Turcis capitur. 77. Ex Byzantio recepta libertate redux exsultantem Dragutem cohibet. 86.
Artheseum oppidum. 32.
Augusta Taurinorum. 38.

B

BAndoma Legatus, et Bandomae uxor Isabellam sponsam Philippi Regis in Hispaniam deducunt. 61.
Barba (Guilielmus) Sardus optime de republica meretur. 80.
Barretus (Franciscus) Lusitanorum militum praefectus. 132.
Basilisci tormentorum genus. 100.
Bassa Pialius. Dragutem de victoria certiorem facit, et Hispanorum castra obsidet. 81. Triremem, qua Alvarus Sandius continebatur, tormentis quati jubet, eaque et castris per deditionem potitur. 85.
Bazanus (Alvarus) diem suum obit. 89.
Bazanus (Alvarus) filius cum triremibus oram Atlantici occeani adversus praedonum injurias tuetur. 89. Cum classe Oranensibus subsidio missus ab austro novam Carthaginem rejicitur. 111.
Benavides (Franciscus) militum tribunus. 40.
Bendinellus triremis praefectus. 89.
Benicurtus Sanquintino oppido copias admovet. 21. Gravelinas cum praesidio obtinet. 32. Ad Gravelinas impetum in hostem facit. 34.
Bergantini, id est Liburnae. 43. et 130.
Berieus Ducatus. 38.
Berlanga oppidum. 62.
Bivera (Beatrix) haeretica capite damnatur. 57.
Bivera (Eleonora) haeretica, capite damnatur. 57.
Biverus (Franciscus) haereticus capite damnatur. 57.
Biverus (Franciscus) ad Salvatoris propugnâculum ad Oranum tuendum mittitur. 95. Rebus paene desperatis, militibus auctor fit, ut Christiana quadam caerimonia de rebus suis statuant. 103.
Bonajussus Mahumetus Sacerdos et vates suos ad Melitam tentandam solicitat. 122. Duobus vulneribus acceptis effugit. 123. Nihilo tamen magis bellum Melitense renovat. 124.
Britanni navibus auro argentoque ex Orbe novo revertentibus insidiantur. 110.
Burgensis Episcopus (Franciscus) Legatus a Philippo II. Rege fit ad Isabellam sponsam deducendam. 61. Sacramentum nuptiarum Philippo II. et Isabellae administrat. 63.

Ca-

Digitized by Google

C

CAceres praefectus. 26.
Calesium oppidum oppugnatur. 30. Intra octo annos ab Henrico Britannis restituendum constituitur. 38.
Canastellum ad Oranum. 100.
Cantara portus. 67.
Capilupus Herculis Gonzagae domesticus, custodiae a Pontifice datur. 6.
Capizuchus Papirius ad Ascanium Corgnam comprehendendum mittitur. 8.
Cappella Phoebus Veneti senatus scriba pacis interpres in Albani Ducis castra se confert. 16.
Carcamus (Fernandus) militum tribunus. 40. Equitum praefectus orationem ad Alcaudeti Comitem habet. 45. Deditionis conditionibus subscribere recusat. 52. Almarzam ad Oranum arcem strenue tuetur. 112.
Cardona (Joannes) a Turcis capitur. 78.
Carolai Comitatus. 38.
Carolus V. translaturus Regnorum imperium in Philippum filium inducias quinque annorum cum Henrico Gallorum Rege paciscitur. 1. Cum Eleonora et Maria sororibus in Hispaniam navigat. 1. Ad Justi coenobium obit mense Septembri. 39. Paulo ante obitum de plectendis haereticis diligenter mandat. 54.
Carolus Maximiliani Romanorum Regis filius a Philippo II. Rege ejus avunculo in Hispaniam deducitur. 127.
Carolus Philippi II. filius patrem e Belgio redeuntem Valdolitum recipit. 54. Haereticorum supplicio adest. 56. Morbo tentatur. 126. Natura valetudinarius. 127. Absens pro successore regni recipitur in concilio ad Montisonem celebrato. 127.
Carranza (Bartholomaeus) in Britaniam Philippum II. sequitur. 58. Martino Siliceo in Pontificatum Toletanum succedit. 58. Haereseos suspicionem de se inducit. 58. Comprehenditur, et custodiae datur. 59.
Carthago nova. 40.
Caruani Rex regno a Dragute spoliatur. 63. Auxilium a Melitensibus Religiosis militibus poscit. 64. Se propediem cum commeatibus praesto fore pollicetur, sed fidem non liberat. 69. Meningis arcem recipit, et se Hispaniae Regis clientem fore promittit. 70. Methymnae Salonis Duci auctor fit, ut copias Tripolim perducendas curet. 70. Meningis arcem ipsi tradit. 71. Cum Methymnae Salonis Duce colloquitur et in clientelam Regis Hispaniae se permittit. 73.
Carvajalus (Federicus). 32. Ad Gravelinas dextram exercitus partem obtinet. 34.
Carvajalus (Ludovicus) Hispanicae classi praeest. 32.
Castellae Comestabilis (Inechus Velascus) Isabellam Philippi II. sponsam Berlangae apparatu regio accipit. 62.
Castrus (Rodericus) Bartholomaeum Carranzam comprehendit. 59.
Catalani summo jure cum suis Regibus agunt. 127.
Cathanus Argeliae Regis praefectus. 93.
Cazalla (Augustinus) Carolum Caesarem in Germaniam sequitur, unde Lutherani labe contaminatus redit. 55. Citatus suam damnationem justissimam esse confirmat. 57. Usque ad extremum spiritum socios

Digitized by Google

ad fidem et catholicam pietatem cohortari non ceſſat. 58. Strangulatur et uritur. 58.
Centurio (Marcus) civis Genuenſis. 108.
Cepta urbs Mauritaniae. 122.
Cerda (Gaston) a Turcis capitur. 78.
Cervani Abbatia. 37.
Chirandulus militum tribunus. 22.
Chivas oppidum. 38.
Cigala triremium praefectus. 73.
Civitella obſidione cingitur. 18.
Columna (Alexander) copiis Urbanis praeficitur. 10.
Columna (Aſcanius) Talliacozii Princeps ex vinculis cauſam dicit. 3.
Columna (Camillus) a Paulo IV. cuſtodiae datur. 2.
Columna (Marcus) Antonius cum parte copiarum in agro Romano ab Albano relinquitur. 18.
Colubrinae tormentorum genus. 23. et 100.
Comeſtabilis (Anna) cum exercitu ad Santumquintinum adverſus Hiſpanos adeſt. 22. Subſidium incaſſum ſubmittere nititur. 24. Suos Hiſpanorum impetum ſuſtinere jubet. 24. A noſtris capitur fuſo fugatoque exercitu. 24. Magno pretio a Philiberto ſe redimit. 36. Henricum Regem ad pacem cohortatur. 36. Inducias et pacem Regis nomine ad Cervani Abbatiam paciſcitur. 37.
Conſtantinus Theologus haereſi damnatur. 60.
Corchiapini navium genus. 99.
Corduba (Martinus) Alcaudeti Comitis filius alteram agminis partem cum tormentis ducit. 43. Auctor patri fit, ut tempori cedat, copiaſque Oranum reducat. 44. Graviter vulneratus pugna neceſſario excedit, et Mazagranum ſeſe recipit. 50. Deditionis conditionibus ſubſcribere recuſat. 52. Cum praeſidio Oranum Portumque Magnum obtinet. 90. et 92. Adventante Hazeno cum magno exercitu arces praeſidio firmat. 95. Humanitatis exemplum praebet. 99.
Corduba (Martinus) Alfonſi Alcaudeti Comitis frater Almarzam arcem ad Oranum ſibi tuendam recipit. 95. *Salvatoris* propugnaculi cuſtodibus ad Oranum auxilium ſubmittit. 102. Almarzae murum foſſa et vallo intrinſecus muniendum curat. 113. Humanitate ductus Tremezenii praefectum incolumem abire patitur. 118.
Corgna (Aſcanius) Velitras praeſidio obtinendi cauſa mittitur. 8. In ſuſpitionem adducitur, et a Pallani Duce revocatur. 8. Incolumis Neapolim ad Ducem Albanum pervenit. 9.
Corona tormenti genus. 100.
Corſica inſula Genuenſibus reſtituenda. 37.
Cremata turris ad Melitam. 123.
Cuci Rex. 44.
Cueva (Gabriel) Iſabellae Philippi II. ſponſae Navarram ingreſſae obviam prodit. 62.

D

DOnquerquium a Termio diripitur. 32.
Doria (Antonius) Scipionis pater. 89.
Doria (Joannes Andreas) toti officio maritimo a Philippo Rege praeeſſe jubetur ad bellum Draguti inferendum. 65. Meliten cum claſſe attingit. 66. Ex anni tempore et locorum propinquitate Turcicae claſſis adventum conjicit. 74. Nulla interpoſita mora ſublatis anchoris claſſem impendenti periculo ſub-

Digitized by Google

subtrahendam censet. 75. Suam praetoriam navim onere sublevans paulum progreditur, et a Turcis fugiens incolumis ad castra pervenit. 78. Scapham conscendit, et hostem latens canali egreditur, incolumisque in Siciliam pervenit. 80. Subsidium Oranensibus ferre jubetur. 108. Barcinonem tempestate rejectus Philippum Regem Francisco Mendozae imperii nautici summam obtinere jussisse, vehementer queritur. 109. Madritium per equos dispositos proficiscitur, cumque Rege de illata injuria expostulat. 110. Celeriter ad naves Barcinonem redit. 110. Fugientes hostes cum classe insequitur. 121.

Doria (Paganus) Joannis Andreae frater. 110.

Doria (Scipio), acie instructa, hostium impetum sustinere censet. 75. Turcicas naves speculandi missus, illas praetervehitur. 76. Sex triremes ducit. 89. Hispanae classis ad Ferraturam portum naufragio superstes, Regem certiorem facit. 91.

Dragutes Tripolim occupat, et Caruanum Regem Regno spoliat. 63. De classis Hispanae Tripolim adventu certiorem Solymanum facit et subsidium ab eo impetrat. 67. Methymnae Salonis Ducem et Alvarum Sandium, qui cum militum manu in Meningem insulam aquandi gratia descenderant, ad naves usque urget. 68. Aliam Hispanorum manum concidit. 69. Meningem deserit. 70. A Pialio Bassa certior fit, et Hispanorum castra obsidet. 81.

Duajum oppidum. 20.

E

ELeonora Caroli V. soror cum fratre in Hispaniam navigat. 1.

Elves Lusitaniae oppidum. 56.

F

F*Alcum* et aquae promontorium ad Oranum. 100.

Farnesius (Octavius) Margaritae conjux. 11.

Fernandus (Gaspar) rei nauticae peritissimus. 99.

Fernandus Maximiliani Romanorum Regis filius a Philippo II. Rege ejus avunculo in Hispaniam deducitur. 127.

Ferrariensis Dux (Estensis Hercules) Philippi Regis clientes infestat. 19.

Ferratura portus. 88.

Ferrera (Franciscus) haereticus capite damnatur. 57.

Ferreruellus (Antonius) haereticus capite damnatur. 57. Errorem pertinaciter tenet, et vivus flammis animam efflat. 58.

Fesus (Carolus) haeresi damnatur. 60.

Figueroa (Maria) Petri Sarmenti uxor haeresi damnatur. 57.

Fregosus(Aurelius) praesidii causa trans Tiberim considet. 10.

Frusino a Duce Albano occupatur. 9.

Furtadus (Inechus) a Turcis capitur. 77.

G

GAbellum oppidum. 41.

Gades urbs. 89.

Galli navibus auro argentoque onustis ex Orbe novo revertentibus insidiantur. 110.

Gama Lusitanus optime de republica meretur. 80.

Garrafa (Carolus) Cardinalis a Pontifice ad Henricum Gallorum Regem mit-

mittitur, eumque de bello Neapolitano suscipiendo facile persuadet. 7.

Garrafa (Joannes) Cardinalis Pallani Dux a Paulo IV. constituitur. 3. Copiis omnibus Ecclesiasticis praeficitur. 7. Ad castra cum Albano colloquitur, et inducias paciscitur. 17. Venetos ad belli societatem frustra tentat. 17.

Genizari. 113.

Gineta equitum levioris armaturae genus. 132.

Gisa oppidum. 21.

Gonzaga (Andreas) onerariarum navium curam suscipere a Philippo jubetur ad bellum Draguti inferendum. 65.

Graum Valentiae. 128.

Gravelinae oppidum. 32.

Guadalajara oppidum. 62, et 63.

Guinesium oppidum a Gallis recipitur. 31.

Guisanus Dux imperii summa ab Henrico Rege accepta cum exercitu Alpes trajicit. 13. Copias Ariminum perducit, et per equos dispositos ad Pontificem contendit, celeriterque in castra revertitur. 18. Neapolitani Regni fines intrans Civitellam obsidione cingit. 18. Ab Henrico Rege evocatus copias in Galliam reducere maturat. 29. Calesium oppugnat. 30. Exercitus parti ad Flandriam invadendam ab Henrico Rege praeficitur. 31. Teunvillam expugnat. 32.

H

HAzenus Argeliae Rex pactum tributum Regibus Hispaniae tribuere recusat. 40. Hispanos ad Mazagranum superat, et oppidum per deditionem recipit. 52. Sceleratae perfidiae causam nec veram, nec probabilem praetendit. 53. Oranum cum Portu Magno et arce imposita recipere constituit. 92. Sanctorum turrim oppugnari jubet. 94. Eam tandem per deditionem recipit. 94. *Salvatoris* propugnaculum oppugnat. 95. Frustra suos irrumpere jubet. 98. Suorum irruptionem frustra fuisse vehementer dolet. 106. Scloppeti telo in humero sauciatur. 106. Omnem victoriae spem in celeritate collocat. 111. De classis Hispaniae adventu certior fit. 118. Ad Martinum Cordubam rogatum mittit, ut Tremezenii praefecto vulnerato et saxo tecto suos parcere jubeat. 117. De classis Hispanicae adventu certior fit. 118. Receptui canere jubet. 118. Suorum ignaviam frustra et injuria increpat. 120.

Hannoniae mons. 36.

Hannum a Philippo Rege recipitur 28.

Henrica (Anna) Marquesiae Alcagnizii filia haeresis damnatur. 57.

Henricus Gallorum Rex Pontifici omnia liberaliter ad bellum Neapolitanum suscipiendum pollicetur. 8. Vasconum manum ex Corsica Romam mittit, et totius Romani praesidii stipendium ex duobus tertiis partibus sustentat. 12. Reginaldum Philippi Legatum ad se vocat, et se, quod pertinet ad Pontificis Maximi injurias repellendas, bellum indicere declarat. 12. Duci Guisano exercitus imperii summam tradit. 12. Bellum ad fines Belgicos auspicari constituit. 19. Almirallio negotium dat Duajum tentandi. 20. Almirallium Sanquintini obsessis subsidium ferre jubet. 22. Tot calamitatibus acceptis ad Ducem

Digitized by Google

cem Guisanum mittit, ut omisso bello Italico copias ad se reducere maturet. 29. Manus cogit, ut Calesium oppidum oppugnet. 30. Guinesium recipit, et copias in hiberna deducit. 31. Bipartito exercitu Flandriam invadit. 31. Ad Ambianum considet. 36. Pacem ad Cervani Abbatiam cum Philippo Rege per Legatos constituit. 37. Ipsi Isabellam filiam in matrimonium collocat. 38. Nuptias Isabellae filiae cum Philippo Rege celebrans vulneratur et naturae concedit. 39. Moriens liberis mandat, ut pacem colant. 39.

Henriques (Henricus) Hispaniae equitatus praefectus. 24. In hostilem equitatum procurrit. 33. et 34.

Herembergae Comes Xatelletum oppugnandi gratia a Philippo Rege mittitur. 27.

Hispalenses mercatores triremes octo suis sumtibus alunt. 111.

I

INfantati Dux (Inechus Lupus Mendoza) Legatus fit ad Isabellam sponsam deducendam. 61.

Inquisitio publica in haereticos supplicia exercet. 57.

Joanna Philippi II. soror Regni Procuratrix fratrem e Belgio redeuntem Valdolitum recipit. 54. Haereticorum supplicio adest. 56. Paranympha fratris et Isabellae nuptiis adest. 63. et 127.

Isabella Henrici Regis filia Philippo II. nuptura quadringentis scutatorum millibus dotatur. 37. et 38. Philippi II. sponsa ad Hispaniae confinia e Gallia deducitur. 61. Guadalajaram pervenit. 62. Philippo II. nubit. 63.

Julianus militum tribunus. 22. Ex aggere suburbano tormentis cymbas oppugnat. 23. 25. et 26.

L

LAlamini Comes in hostes invehitur. 34.

Landresium oppidum. 36.

Lassus (Garsia) a Philippo II. Legatus ad Paulum IV. mittitur. 4. Quae Romae gerantur, ad Albanum Ducem scribit, sed interceptis litteris a Pontifice custodiae datur. 6.

Leiva (Sanctius) Neapolitanarum navium praefectus ad bellum Draguti inferendum. 66. Sententiam suam de discessu in ducum concilio exponit. 76. A Turcis capitur. 77. Ad insulam Velezii ad Gomeram recipiendam concurrit. 132. et 133.

Lorena Cardinalis pacis ab Henrico Rege ad Cervani Abbatiam Legatus. 37. Isabellam Philippo II. sponsam in Hispaniam deducit. 61.

Lucemburgum oppidum. 32.

Lupianae Abbas triremium praefectus. 110. Frustra subsidium Oranensibus ferre conatur. 111.

Lutherana pestis Valdoliti, Zamorae et Hispali praesertim grassatur. 54.

M

MAdritium Philippo II. et Isabellae Reginae obviam prodit. 63.

Madrucius (Christophorus) Cardinalis Mediolanensem Principatum procurat. 13.

Malaca oppidum. 40.

Manricus (Joannes) militem conducendi causa in Germaniam a Philippo Re-

Rege mittitur. 21.
Margarita, Henrici Regis soror, Sabaudiae Duci in matrimonium collocatur. 38.
Margarita Octavii Farnesii uxor. 11. Philippi II. soror Belgii procurationem a fratre accipit. 53.
Maria Britannorum Regina et Philippi II. uxor diem suum obit. 37.
Maria Caroli V. soror cum fratre in Hispaniam navigat. 1.
Marius triremis praefectus. 89.
Marloca ad Oranum. 117.
Marollum oppidum. 35.
Marotus Hispanus hostibus insequentibus alveo se committit, vulneratur, et a Turcis capitur. 84. et 85.
Maximilianus Romanorum Rex Mariae Philippi II. Regis sororis conjux. 127.
Mazabi. 113.
Mazagranum oppidum. 43.
Megae Comes. 26. Praesidio Sanquintinum obtinet. 27.
Melita urbs in ora Mauritaniae. 121. Ejusdem situs describitur. 121.
Melite insula, eamque incolentes Religiosi milites. 63.
Mendoza (Bernardinus) Granatensis optime de republica meretur. 80.
Mendoza (Franciscus) Mondejarae Marchionis filius naufragio ad *Ferraturam* portum perit. 90. Imperii nautici summam obtinere jubetur. 109. Subsidium Oranensibus laturus nova Carthagine proficiscitur. 120.
Mendoza (Joannes) Bernardini filius sexdecim triremium praefectus. 88. Cum classe Malacam attingit. 89. In *Ferraturam* compellitur. 89. Naufragium totius classis subit, et perit. 90.
Mendoza (Inechus Lupus) Paranymphus Philippi II. et Isabellae nuptiis adest. 63.
Mendoza (Petrus) *Salvatoris* propugnaculum ad Oranum tuetur. 101
Meninx, insula. 67.
Messana oppidum. 65.
Methymnae Salonis Dux (Joannes Cerda) Siciliae Prorex toti bello adversus Dragutem praeesse a Philippo Rege jubetur. 65. Meliten cum classe attingit. 66. In Meningem insulam aquandi causa inexplorato descendit. 68. A Dragute ad naves usque urgetur. 68. Meningem occupari ad Tripolim facilius recipiendam existimat. 70. Legationem a Caruani Rege accipit, ut copias Tripolim perducendas curet, eumque ad colloquium invitat. 71. Meningis arcem Caruani Regis voluntate recipit. 71. Stativa castra ad arcem constituit probante nemine praeter Alvarum Sandium. 72. Cum Caruani Rege colloquitur et foedus init. 73. Castra permunit et domum cum classe properare cogitat. 73. Plures nuntios de classis Turcicae adventu accipit. 74. Ducum sententias exquirit. 75. Imperat, ut naves onerariae vento se dedant, et ad munitiones ipse regreditur. 76. Scapham conscendit, et hostem latens canali egreditur, et incolumis in Siciliam pervenit. 80.
Moralius (Balthasar) *Salvatoris* propugnaculum ad Oranum tuetur. 101.
Morillus (Gonsalus) Cordubensis Neapolitanarum sex triremium praefectus. 88. Bis captivus bisque non parvo pretio redemtus, magnis laboribus et periculis exhaustis naufragio ad *Ferraturam* portum perit. 90. et 91.
Mosa Fluvius. 22.
Mostaganum oppidum. 43.
Murletanus ad Gravelinas sinistram exercitus partem obtinet. 34.

Ne-

Digitized by Google

N

NAcarus Tremeceni Regno excluditur. 40. Commeatus Alcaudeti Comiti promissos ad regnum recipiendum praestare nequit. 40.
Namur oppidum. 35.
Navarretus, ne Andolotius Sanquintini obsessis subsidium ferat, impedit. 22. 25. et 26. Ad Hannum praesidio relinquitur. 28.
Nela oppidum capitur et incenditur. 29.
Nisius Annibal. 130. et 132.
Nomelini, cives Genuenses. 108.

O

OLite oppidum. 62.
Ocampus (Antonius) scapham conscendit, et hostem latens canali egreditur, et incolumis in Siciliam pervenit. 80.
Ocampus (Christophorus) haereticus capite damnatur. 57.
Oranum oppidum. 40.
Osaxosus mons prope Oranum, 95.
Ossorius (Ludovicus) scapham conscendit, et hostem latens canali egreditur, et incolumis in Siciliam pervenit. 80. Ad insulam Velezii ad Gomeram recipiendam concurrit. 132.

P

PAdilla (Christophorus) haereticus capite damnatur. 57.
Pali syrtes. 67.
Pallani Dux. *V.* Garrafa (Joannes).
Palmae vadum ad Melitam. 125.
Paulus IV. Pontifex Maximus Henricum Gallorum Regem adversus Hispanos solicitat. 2. Cardinalem Sanctae Florae Camillumque Columnam custodiae dat. 2. Joannam Aragoniam domi se contineri jubet, et Marci Antonii ejus filii bona publicat. 3. Joannem Garrafam Pallani Ducem constituit. 3. Ad Philippi Regis legationem pauca et injusta respondet. 5. Joannem Garrafam copiis omnibus Ecclesiasticis praeficit. 7. Cardinalem Garrafam de bello Neapolitano suscipiendo Legatum ad Gallorum Regem mittit. 7. Camillum Columnam Julianumque Caesarinum in Molem Adriani custodiendos mittit. 8. Venetos ad bellum Neapolitanum frustra solicitat. 13. Hoc unum agit, ut tempus ducat, dum exercitus Gallicus perveniat. 17. Venetos rursus ad belli societatem frustra tentat. 17.
Pelicanus, tormenti genus. 100.
Pepolus Bononiensis ad castra ab Albano Duce relinquitur. 17.
Perenotus (Antonius) Episcopus Atrebatum ad Cervani Abbatiam pacis Legatus mittitur. 371.
Perezius (Alfonsus) haereticus capite damnatur. 57.
Philippus II. Hispaniae Rex annum agens XXVIII. a bellis regnum exorditur. 1. Per Garsiam Lassum legationem ad Pontificem mittit. 4. Responsum haud aequum a Pontifice accipit. 5. Ad Albanum Ducem scribit, ut Pauli Pontificis injustos conatus impediat. 6. Henrici Regis injuriam dissimulanter fert. 13. Accepta a Venetis legatione respondet. 14. Magnis poenis interdicit, nequis suorum popularium Romam intret. 19. Duajo ab Almirallio frustra tentato injurias sibi omni ope persequendas constituit.

Digitized by Google

20. Federicum Gomezium Silvam in Hispaniam ad pecuniam in stipendium curandam mittit, et Joannem Mauricium militem conducendi causa in Germaniam proficisci jubet. 21. In Britanniam transjicit et auxilio impetrato in Belgium redit. 21. Sabaudiae Ducem copias suas in Galliam Regiam inducere jubet, et Cameracum ipse procedit. 21. Ad Sanquintinum in castra pervenit, ac oppidum oppugnari jubet. 25. Sanquintino capto atque direpto de feminarum pudicitia solicitus eas dato praesidio deduci et liberas abire praecipit. 27. Comitem Megae Sanquintinum obtinere jubet. 27. Herembergae Comitem Xatelletum oppugnandi gratia mittit. 27. Xatelletum Hannumque recipit. 28. Philiberto cum exercitu in Galliam interiorem penetrare jusso Bruxellas hieme jam appetente revertit. 28. Calesii praefecto praesidium, si opus sit, missurum ostendit. 30. Agamontis Comiti negotium dat, ut Gallis Flandriam invadentibus occurrat. 32. Sabaudiae Ducem ad Namur omnia ad bellum renovandum comparare, et Galliam interiorem invadere imperat. 35. Marollum, exercitum conspiciendi causa, in castra progreditur, et biduo post in montem Hannoniae redit. 36. Se Isabellam Henrici Regis filiam ducturum paciscitur. 38. Pacem ad Cervani Abbatiam cum Henrico Gallorum Rege per Legatos constituit. 37. Per Ducem Albanum matrimonium cum Isabella Henrici filia contrahit. 39. Carolo Caesari patri Bruxellis justa exsequiarum persolvit. 39. Belgii procurationem ad Margaritam defert. 53. In Hispaniam per oceanum navigat, et tempestate jactatus Lareti portum tenet. 53. Valdolitum a Joanna sorore Caroloque filio recipitur. 54. Carranzae Archiepiscopi causam extra ordinem cognoscere recusat, et nihil se in hujusmodi causis mutaturum vel remissurum affirmat. 59. Haereticorum supplicio Valdoliti adest. 60. Nuptias cum Isabella uxore celebrat. 63. A Religiosorum militum Melitensium Magistro iterum atque iterum solicitatus de bello Draguti inferendo cogitat. 64. et 65. Neapolitano Proregi per litteras mandat, ut classem cum milite Oranensibus mittat. 108. Franciscum Mendozam imperii nautici summam obtinere jubet. 109. Doriae querimoniis graviter respondet. 110. Aragonensibus et Catalanis propter stipendium militare denegatum succenset, et vix anno quinto exoratur, ut Montisonem ad concilium peragendum proficiscatur. 126. Carolum filium aegrotantem invitus relinquit, et Montisone concilium celebrat. 127. Barcinonem contendit, duos Mariae sororis filios excepturus, quos ex Germania deducendos curaverat, ne impia hereticorum consuetudine vitii aliquid adhaeresceret. 127. Valentiam et Madritium revertit. 127. Ex palatio Valentiae suburbano praedonem Ajajam navim expugnare videt et dolet. 128. Quo admonitus insulam Velezii ad Gomeram praedonum receptaculum recipere statuit. 129. Sebastianum Lusitaniae Regem in belli societatem vocat. 129.

Pinarellum oppidum. 38.

Poncius Leo (Joannes) haeresi damnatur. 60.

Pon-

Digitized by Google

Poncius (Petrus) Neapolitanus Prorex. 108.

Ponscorvus a Duce Albano occupatur. 9.

Portus Magnus in Africae ora. 40.

Puellum oppidum. 38.

R

RAmirus (Jacobus) Bartholomaeum Carranzam comprehendit. 59.

Rangonius (Balthasar) militum Romae praefectus. 11.

Reginaldus Philippi II. Legatus. 12.

Requesensius Berenguelus Sicularum navium praefectus ad bellum Draguti inferendum. 66. Acie instructa hostium impetum sustinere censet. 75. A Turcis capitur. 78.

Roscida Vallis. 61.

Roxas (Dominicus) haeresi damnatur. 60.

Roxas (Ludovicus) haeresi damnatur. 57.

Roxas (Maria) haeresi damnatur. 57.

S

Abaudiae Dux Emanuel Philibertus Philippi Regis jussu copias in Galliam inducit, et ad Sanquintinum deflectit. 21. Sanquintinum obsidione cingit. 22. Somam exercitu trajicere, et hostem, vel in castris oppugnare constituit. 24. Lutetiam versus movet, Nelam et Rojam vastat, saevaque hieme impeditus copias reducit. 28. et 29. Jussu Philippi Regis omnia ad Namur ad bellum renovandum comparat. 35. Intervallo unius diei ab Henrici castris castra ponit. 36. Pace inter Hispaniae et Galliae Reges constituta Margaritam Henrici sororem se ducturum pollicetur, Ducatu Berieo ipsi ad vitam tributo. 38.

Salvatoris propugnaculum ad Oranum. 94. et 95.

Sandius Alvarus in Meningem insulam aquandi causa inexplorato descendit. 68. A Dragute ad naves usque urgetur. 68. De stativis castris ad Meningis arcem constituendis Methymnae Salonis Duci unus assentitur. 72. Sibi negotium sumit castra et remanentem manum pro suo officio tuendi. 80. Castris a Turcis obsessis eruptionem imperat. 81. Obsidionem in diem quadragesimum sustinet, et nocturnam eruptionem experiri statuit. 83. Ejusdem oratio ad milites. 83. Eruptionem in hostes facit. 84. Hostibus insequentibus alveo se committit, et incolumis in triremem a nonnullis suorum deducitur. 84. et 85. Rebus desperatis se Pialio Bassae in potestatem permittit. 85.

Sanquintinum oppidum. 21. Capitur et diripitur. 27.

Sanctae Florae Cardinalis a Paulo IV. custodiae datur. 2.

Sanctae Florae Comes Civitellae praefectus. 18.

Santandici Mariscallus, pacis ab Henrico Rege ad Cervani Abbatiam Legatus. 37.

Sancti Pauli Comitatus. 38.

Sanctius (Franciscus) haeresi damnatur. 60.

Sanctius (Michaël) Aragonensis Hispaniae classis prospector naufragio ad *Ferraturam* portum perit. 90.

Sanctorum turris ad Oranum. 93.

Sarmentus (Petrus) Marchionis Pozensis filius haeresi damnatur. 57.

Sebastianus Lusitaniae Rex in belli societatem ad Velezium ad Gomeram

ram recipiendum a Philippo II. Rege vocatur. 129.
Silva (Joanna) Montimajorensis Marchionis filia haeresi damnatur. 57.
Silva (Rodericus Gomezius) a Philippo Rege in Hispaniam mittitur ad pecuniam in stipendium curandam. 21. Ad Cervani Abbatiam pacis Legatus mittitur. 37.
Solymanus de classis Hispanae Tripolim adventu certior factus Draguti subsidium impertitur. 67.
Soma flumen. 21.
Soria oppidum. 62.
Sotomajor (Ludovicus Alvarus) Almarzae arcis ad Oranum praefectus, pugnans occiditur. 114.
Suessanus Dux mandata Regis accipit de apparatu ad bellum Draguti inferendum. 65.
Syracusae oppidum. 65.

T

TAcella oppidum. 41.
Taconera late patens Navarrae campus. 62.
Tassus (Joannes Antonius) tabellariorum praefectus custodiae datur, et tormenta subit. 6.
Tendillae Comes (Inechus Mendoza) de Hispanae classis naufragio ad *Ferraturam* portum certior factus illuc accurrit. 91.
Termius exercitus parti ab Henrico Rege ad Flandriam invadendam praeficitur. 31. Vergas Dunquerquiumque diripit. 32. Ab Hispanis ad Gravelinas capitur. 35.
Teunvilla a Gallis expugnatur. 32.
Toletus (Garsias) insulam Velezii ad Gomeram recipere jubetur. 129. Ejusdem virtus, ingenium, vigilantia. 129. In Italiam navigat, et Barcinonem reddit. 130. Terram Africam cum classe attingit. 131. Velezium pervenit. 133. Arcem oppugnat. 133. Hostium fuga cognita arcem occupat. 133.
Toletus (Joannes) Cardinalis Ducis Albani patruus inducias paciscitur. 17.
Torlaguna oppidum. 59.
Tormolinum oppidum. 131.
Tremecenii praefectus ad Oranum vulneratur. 117. Saxo tectus a Martino Corduba incolumis abire permittitur, et Hispana lingua Martino gratias agit. 118.
Tremecenii tyrannus Nacarum regno excludit, et pactum tributum Regibus Hispaniae tribuere recusat. 40.
Tridentinum Concilium. 37.
Tuendus (Lazarus). 25. Ad Gravelinas mediam exercitus partem obtinet. 34.
Turcae quinam intelligendi? 96.
Tutavillae matrona primaria. 38.
Tutela oppidum. 62.

U V

URaniae Princeps ad Cervani Abbatiam pacis Legatus mittitur. 37.
Ursinus (Camillus) peditatui a Pallani Duce praeficitur. 7.
Ursinus (Flaminius) a Turcis interficitur. 78.
Usixateum oppidum. 37.
Vaëcius (Gonzalus) Judaeus. 56.
Valdesius (Fernandus) Archiepiscopus Hispalensis Inquisitorum Tribunali Summo praeses imperat, ut quaestiones in haereticos diligentius exerceantur. 54.
Velezii ad Gomeram insula. 128.
Venegas (Petrus) Melitae praefectus vulneratur. 122. Strenue et magno consilio Melitam tuetur. 124.

Ve-

Digitized by Google

Veneti a Pontifice ad bellum Neapolitanum frustra solicitati se in pacificationem interponunt. 13. Legationem ad Philippum de ea re mittunt. 14. Rursus ad belli societatem a Pontifice frustra tentantur. 17.
Vercellae oppidum. 38.
Vergae a Termio diripiuntur. 32.
Villalupus insulae Velezii ad Gomeram praefectus conciditur. 128.
Villa Nova oppidum. 38.
Villaroëlus (Joannes) ad insulam Velezii ad Gomeram recipiendam concurrit. 132.
Vitellus (Julius) militum Romae praefectus. 11.
Vova Julia oppidum. 18.

X

XAtelletum capitur. 27.
Xuarius aulicus praetor arcas argenteis nummis refertas post Hispanae classis ad Ferraturam portum naufragium fisco adjudicat. 91. et 92.

Z

Zicum flumen. 43.
Zocus Tacellae. 41.

AR-

Digitized by Google

Digitized by Google

143

JO. GENESII SEPULVEDAE
EPISTOLAE DUAE
AD MELCHIOREM CANUM,
ET CANI AD EUMDEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. GENESIUS SEPULVEDA

DOCTOR THEOLOGUS

MELCHIORI CANO DOCTORI THEOL.

S. D. *

I. EGO te, Cane doctissime, quanti facerem, et quam in te propenso animo essem, satis, ut arbitror, Salmanticae nuper tibi coram declaravi, exposita causa, quae tibi tamen communis est cum viris omnibus probis et eruditis. Ego enim sic me ab ineunte aetate comparavi, ut virtutem et doctrinam mihi maxime colendam, et eos in primis observandos statuerem, quos alterutra laude dignos esse existimarem. Ita cum te et virum probum esse, et egregia doctrina multorum mihi sermo persuasisset, absentem et fama tenus cognitum

 di-

* Queritur in hac epistola Sepulveda, quod, ut ad se fuerat perlatum, Melchior Canus palam jactarit, errata quaedam in libro *de justis belli causis* reperiri, quae pias aures offenderent. Nempe Sepulvedam de Paulo Apostolo scriptum reliquisse, eum acceptam injuriam iniquo animo ferentem convicio auctorem reprimendum curasse: quod perinde Canus interpretabatur, ac si Paulo iracundiam et calamitatum impatientiam tribuere, ac proinde merita in Christum minuere, et caritatem tollere visus fuerit Sepulveda. Quare multis tum rationibus, tum sacrorum scriptorum in medium adductis testimoniis evincere conatur Genesius, nihil a se tributum Paulo, quod ab ejus singulari pietate et religioso animo discrepet, modo ne verba in pravum sensum maligne detorqueantur. Ut autem adversario suo os obstruat noster, multa de studiis suis commemorat, deque navata in defendenda religione opera. Nec ignorare nos sinit, quanti tum temporis apud exteros haberetur, quorum de se judicia, ut Erasmi, Jovii, aliorum profert. Sed de hac et sequentibus epistolis plenius in Autoris vita disserimus.

Digitized by Google

diligere coepi et animo observare. Cui meae testatae voluntati ut tuus animus aliqua ex parte responderet, officii erat et humanitatis tuae: quod aliter evenisse mihi molestum esse profiteor. Nam cujus amicitiam cupidius expetiveram, ejus alienum animum experiri, hoc magis doleo, quo minus id mea culpa accidisse mihi conscius sum.

II. Audio enim te praeclari de meo libello, et Areopagitarum gravitate digni judicii victoria exsultantem inter adolescentes auditores tuos quaedam jactasse, quae ut non obscure pertinent ad tuam moderationem commendandam, sic aperte recidunt in meam contumeliam: quaedam scilicet errata in meo libro *de justis belli causis* te dissimulasse, quae pias aures offenderent, ut tibi facile fuerit redarguere, et me quasi Stesichorum ad palinodiam compellere, sed pepercisse meo pudori, et meam culpam, Principis, in cujus gratiam libellum confecissem, majestati ac dignitati condonasse. Quo in loco quis credat, vos Principis majestatem reverenter in aliena causa respexisse, quem in sua tam intrepide contemsistis, vel potius tam hostiliter tractastis? Sed non me fallis: intelligo enim cuncta huc haud dubie pertinere, ut in barbarici belli causa, de qua est in eodem libro, dijudicanda, eoque judicio, cujus ipse princeps et auctor Salmanticae fuisse crederis, te innuas non tuis, aut alienis affectibus, ut falso fortasse, multis tamen est persuasum, et ambitioni, quia contraria scripseras, servivisse, sed studuisse justitiae ac veritati.

III. Est autem, ut ad me perlatum est, criminationis

nis et impietatis summa, quod ego de Paulo Apostolo ea scripserim, quae ipsum significent miserias et calamitates, quas, ut Christo fidem et officium praestaret, subivit, invito et impatiente animo pertulisse. Quod si verum esse docueris; erit profecto, quod ego me turpiter errasse confitear; quod tibi gratias agam, nihil erit. Ego enim vetusto doctorum et modestorum hominum more librum meum eruditorum Theologorum judicio subjiciendum curaveram, non ambitiosa falsae laudis cupiditate, sed ut justa censura, si quid esset in quavis parte libri minus scienter positum, ante editionem emendaretur. Quod cum et Compluti et Salmanticae in conventu Theologorum palam fuerim professus, nemo tamen fuit, qui excepta causa belli barbarici, de qua non est hic locus disserendi, in meo libro quidquam improbaret; multi, qui multa laudarent, ipsaque Salmanticensis Academia libri doctrinam et auctorem extra causam, quam dixi, suo testimonio, quod ad regium Consilium misit, laudavit.

IV. Itaque nemo omnium fuit, qui hoc loco, quem ipse tantopere criminaris, offenderetur praeter unum Complutensem doctorem, qui, quod ego Paulum *iniquo*, id est, *irato animo* contumeliam tulisse scripseram, id ipse sic interpretabatur, ut mihi, quod pravum et injustum animum Paulo tribuissem, succenseret. Cui quamquam, vi nominis exposita, et Latina politiorum consuetudine declarata, me facile purgavi, feci tamen non invitus, ut pro *iniquo animo*, *aegre* reponerem, ne quem praeterea fratrum scandalizarem. Nam Graecis et Barbaris, ut Paulus ait, debitores sumus.

Quare si tu, qui librum perlegeras, lynceis oculis praeter ceteros aliquid videras, quod censura dignum videretur; officii tui erat ac pietatis, ut me praesens praesentem admoneres, ne salebram tibi uni animadversam, ad quam ceteri meo periculo possent offendere, maligne me celasse videreris. Sed quoniam alieni officii praetermissio criminationis iniquitatem arguere potest, hallucinantis caecitatem tollere non potest; ipsum, quod absenti objicis, quale sit, non erit alienum per epistolam, quando coram non datur, disputare.

V. Quod igitur ego primo libro scripsi, Paulum acceptam contumeliam iniquo animo ferentem convicio auctorem reprimendum curasse, hoc scilicet ipse in eum sensum interpretaris, ut Paulo iracundiam, et calamitatum propter Christum, et injuriarum impatientiam tribuere, ac proinde merita in Christum minuere, et caritatem tollere videatur. Quod, qua ratione facias, nescio. Illud scio, nihil meis verbis tributum esse Paulo, quod ab ejus singulari pietate et religioso animo discrepet, si doctum et aequum judicem sortiamur. Quid enim ab eis Paulo tribuitur, nisi quod justo dolore commotus et iratus improbum et injustum hominem verissimo convicio, ne injuriam injuriae adderet, coërcendum putavit? aut quid tandem haec verba continent Apostolicae religioni alienum et Paulinae pietati? An quod iratus fuisse dicitur Paulus? Id siquis criminosum esse dicat, et in sapientes et justos homines iram non cadere contendat; hunc ego dicam in Philosophiae ac Theologiae clara luce caligare: qui in Stoicorum ineptias, quas Augustinus multis in locis, Hieronymus in Pelagia-

gianos scribens severa eademque justissima censura damnat, delapsus, sapientissimorum Philosophorum receptae doctrinae, simulque divinarum scripturarum testimoniis refragetur.

VI. Justus erat sapiensque Moses: hunc tamen scriptura sacra iratum a Pharaone discessisse in *Exodo* testatur *c.* 12. et iterum 32. non modo iratum, sed etiam valde iratum tabulas projecisse et confregisse, ac severe in suos, prout magnitudo criminis postulabat, vindicasse. Propheta vero in *Psalm.* 118. non iram modo ad breve tempus, sed etiam odium, quod a Philosophis *ira inveterata* diffinitur, se habuisse profitetur: *Iniquos*, inquit, *odio habui*. Psalm. 138. et alio loco: *Perfecto odio oderam illos*. Et Deus ipse, in quem peccatum aut vitium cadere non potest, frequentissime tamen iratus crimina in pravis hominibus vindicasse divinis historiis memoratur, ut in *Psalm.* 105. *Iratus est furore dominus*; et in Esaia c. 9. *Ira domini exercituum*; in epistola ad Romanos 1. *Revelatur ira Dei.* Ne cetera loca persequar, quae sunt innumera, quae licet iram Deo per translationem tribuant: nam proprie in Deum nec affectus, sed ne virtus quidem moralis, quae est affectuum moderatrix, cadere potest: est enim major omni virtute; declarant tamen iram a justissimorum hominum pietate et perfecta virtute non abhorrere: cum iram Deo virtutum omnium auctori scriptura, quam dictavit Spiritus Sanctus, tribuat.

VII. Sed ut metaphoras omittamus, nonne Christus ipse, qui humanis affectibus sese hominem esse declaravit, Pharisaeos sibi insidiantes cum ira circumspexisse Evan-

Digitized by Google

Evangelio memoratur? (*Marc.* 3. et 10.) et alio in loco indignatus esse, quod discipuli parvulos, ut ab ipso tangerentur, offerentibus comminarentur. Nam verbum ἠγανάκτησε, quo Marcus utitur, *indignari* significat et *irasci.* Non igitur in omni ira peccatum inest aut turpitudo; sed in ea ira, cui recta ratio non moderatur: nec Pauli laus erat numquam irasci, sed quod irasci sciebat, et iram temperare. *Scio* (inquit ipse in epistola, quae est ad Philippenses *c.* 4.) *humiliari, scio et abundare* (id est, excellere, hoc enim proprie significat verbum περισσεύειν, et meum jus ac dignitatem retinere) *ubique et in omnibus institutus sum, saturari et esurire, abundare et penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat*, hoc est, scio in diversa ferri, prout ratio postulabat, et obsequium Christi. Sic igitur irascebatur Paulus, ut non peccaret, secundum illud Psalm. 4. *Irascimini et nolite peccare*, qui ad breve tempus irascebatur, ut opere illud suum praeceptum adimpleret: (Eph. 4.) *Sol non occidat super iracundiam vestram*: quod Hieronymus exponens in epistola, quae est ad Demetriadem: *Quia*, inquit, *irasci hominis est, et finem iracundiae imponere Christiani*: quasi dicat, *irasci* affectus est hominis naturalis, ut misereri et odisse. Qui affectus non sunt genere mali; sed tunc improbantur, cum non parent rectae rationi, qua ipsos temperare virtutis est et religionis. Difficile est enim, quin potius impossibile, ut idem Hieronymus alio loco testatur (*de viduit. serm.*) perturbationis intus carere quempiam, quae significantius Graeci vocant προπαθείας.

VIII. Paulus igitur justissima ex causa, et pro imperio rectae rationis irascebatur. Nam cum multae sint ira-

irascendi causae, nulla tamen nec justior est, nec magis naturalis, quam siquis se immerito contemtum putet, ut Aristoteles *Rhet.* 21. docet: contemtionis autem certissimum signum est contumelia, vel potius ipsa contumelia contemtus quidam est, ut idem Philosophus est auctor: pro qua irasci naturale est: idque moderate facere virtutis esse opus, cum sacris testimoniis gravissimorum Philosophorum dogmata conveniunt. Mansuetudo enim, quam Paulus ipse cum aliis in locis, tum in epistolis ad *Titum* c. 3. et ad *Timotheum* c. 2. in primis commendat, et qua Christi servum praeditum esse testatur, non ei tribuitur, qui numquam irascitur, sed qui ita irascitur, ut nec modum, nec rationis praescriptum excedat.

IX. Qua de re sic idem Philosophus *Ethicorum* 4. disserit: *Mansuetudo est mediocritas circa iram; qui ergo pro quibus, et quibus, et quo tempore, et quamdiu oportet, irascitur, laudatur; estque hic mansuetus. Nam mansuetudo laudatur. Mansuetus enim ac mitis perturbatione vacare, et non ab affectu duci solet; sed pro quibus, et quanto tempore, et quemadmodum ratio jubet, irasci. Numquam igitur irasci vitiosum est et vituperatur. Nam qui non irascuntur pro quibus rebus oportet, nec quemadmodum, et quando, et quibus oportet, ii fatui esse videntur, et sensus ac moeroris expertes*. Hactenus Philosophus, quem Thomas 4. *Sententiarum* distinctione 44. *quaest.* 2. secutus: *Mansuetudo*, inquit, *habet pro objecto ceteras molestias praeter mortem, excitantes ad iram, in qua tenet medium; ideoque reducitur ad fortitudinem ut ei adjunctam*. Consentit Joannes Chrysostomus, qui illud evangelicum (*Matth.* 5.) quod pro te facere videtur, exponens: *Qui irascitur fratri suo, reus*

erit

erit judicio: *Qui sine causa*, inquit, *irascitur*, *reus erit*: *qui vero cum causa*, *non erit reus*: *quia si ira non fuerit*, *nec doctrina proficit*, *nec justitia stat*, *nec crimina compescuntur*. Et addit: *itaque qui cum causa non irascitur*, *peccat*.

X. Sed dices fortasse, non tibi criminosum videri, quod iram Paulo tribuerim; sed quod eam iram, quae proruperit in convicium. Convicium ergo dicere etiam in pravos et contumeliosos crimini dandum esse putas? Hoc si ita est, quomodo Christi factum excusabis, qui rei scilicet indignitate commotus, ea dixit in ementes et vendentes in templo, quae in latrones maxime conveniunt? *Scriptum est*, inquit (Marc. 21.) *domus mea domus orationis vocabitur*, *vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Quique Pharisaeos saepe nudis verbis hypocritas appellavit: *Vae*, inquit (Marc. 23.) *vobis*, *Scribae et Pharisaei hypocritae*. Et iterum (Marc. 22.) *Quid me tentatis*, *hypocritae*? Quo igitur convicio saepe Christus Pharisaeos incessit castigandi gratia; hoc Paulum miramur jus naturae sequentem semel voluisse, auctorem insignis contumeliae non ulciscendi gratia, sed ne injuriam augeret, ut de Christo Augustinus ad *Marcel.* epist. 5. scribit, coërcere, praesertim eo tempore, cum suam vitam ad obsequium Christi, et multorum salutem pertinere intelligebat: quamvis quod ad se attineret, dissolvi cuperet ac esse cum Christo, ut ipse in epistola, quae est ad *Philippenses* 1. profitetur. Cum ergo propter Christum non solum contumelias et calamitates perpeti, sed mortem etiam oppetere paratus animo esset, si pietatis officiique ratio postularet; pie tamen contumeliam, quae ad immaturam mortem spectare videbatur, justo et

et vero convicio repellere curavit : eo scilicet consilio, quo (*Act.* 21. et 25.) Judaeorum in ipsius caput conspirantium insidias, admonito per filium sororis militum tribuno, et injustum capitis judicium, appellato Caesare, vitavit, ut se publicae saluti, Christo auctore, conservaret, qui sic ei per angelum praeceperat: *constans esto; sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet et Romae testificari.*

XI. Age vero crimen in publico admissum vero et justo convicio palam coërcere, quid aliud est, quam in publico peccantem coram omnibus arguere? Quod Paulus ipse Timotheum, ut faciat, per epistolam cohortatus: *Peccantem*, inquit, (*Timoth.* 1.) *coram omnibus argue*. Quod igitur Augustinus, si forte legisti, et te illud conturbavit: *Percutiet te Deus* (verba sunt Pauli) *paries dealbate*, minus intelligentibus convicium sonare scribit, intelligentibus vero prophetiam esse translati sacerdotii, non eo pertinet, ut convicium apertissimum convicium esse neget; sed ut doceat in ipso convicio, quod sensus litterarius rudioribus etiam manifestius praefert, prophetiam inesse; siquis interiorem allegoricumque sensum perspicacius intueatur: nam multos saepe sensus eadem oratio in scriptura sacra recipit, ut nosti, quorum nullus reliquos excludit. Illum autem esse litterarium sensum, et Paulum dolore atque ira commotum Ananiae convicium dixisse Hieronymus dialogorum in *Pelagianos* libro 3. testatur his verbis: „Da mihi hominem, qui non esuriat, non sitiat, neque algeat, non „doleat, non febricitet, non torminibus et urinae difficultatibus torqueatur: et ego tibi concedam, posse

Digitized by Google

„hominem nihil nisi de virtutibus cogitare. Caeditur „Apostolus a ministro, et contra Pontificem, qui cae„dere imperaverat, sententiam dirigit: *Percutiet te Deus, „paries dealbate*. Ubi est illa patientia Salvatoris, qui „quasi agnus ductus ad victimam non aperuit os suum, „sed clementer loquitur verberanti, *Si male locutus sum, „argue de malo; si autem bene, quid me caedis*? Non Apo„stolo detrahimus, sed gloriam domini praedicamus, qui „in carne passus carnis injuriam superat et fragilitatem: „Ut taceam illud, quod ipse commemorat: *Alexander Ae„rarius multa mihi mala ostendit: reddet illi dominus in illa „die justus judex*." Haec Hieronymus sub Attici persona, quam probat.

XII. Quae cum ita sint, ego tamen Paulum hoc in loco ne leviter quidem peccasse dico; non enim utcumque fratri irasci, vel convicium dicere, sed utrumque sine causa facere prohibitum esse Christi verbis edocemur. Nam licet in vulgata Latina editione, Matth. 5. vers. 22. scriptum sit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; tamen in exemplaribus antiquis, quae Chrysostomus et Augustinus secuti sunt, scriptum erat: *Qui irascitur fratri suo sine causa*, consentientibus Graecis codicibus impressione vulgatis, cujus loci Chrysostomi declarationem supra proposuimus. Augustinus autem sic explicat locum, ut illud *sine causa* non solum ad iram, sed etiam ad iram cum convicio referendum scribat. Nam *rhaca*, quod Hieronymus vanum et cerebri expertem interpretatur, vel fatue dicere, convicium est indubitatum. Augustinus igitur, qui verbum *fatue* pro quolibet convicio positum esse testatur, sic libro 3 adversus *Pe-*

la-

Digitized by Google

*lagianos** locum exponit: „In tribus istis, inquit, sententiis „subauditio verborum intuenda est: habet enim prima sen„tentia omnia verba necessaria, ut nihil subaudiatur: *Qui „irascitur*, inquit, *fratri suo sine causa*: secunda vero cum „ait: *Qui autem dixerit fratri suo rhaca*, subauditur sine „causa: jam in tertia ubi ait, *Qui autem dixerit fatue*, duo „subaudiuntur, fratri suo, et sine causa. Hoc est unde „defenditur, quod Apostolus Galatas vocat stultos, quos et„iam fratres nominat: non enim id facit sine causa.“ Sed tu forsitan tergiversaris etiam nunc, et iniquo animo ferre hoc esse cavillaris, quod impatienter ferre, quasi hoc causae tuae plurimum prosit, idque Paulo tribuere sit nefas.

XIII. Ego vero haud equidem ponam in magno discrimine, nec verear id fateri, quod Hieronymus profitetur verbis illis memoratis: *Ubi est illa patientia Salvatoris*? An tu magnae virtutis esse putas omnes indignitates patienter ferre? At idem Hieronymus ad Pam. scribens: *Nolo*, inquit, *in suspicione haereseos quemquam esse patientem*: et Chrysostomus in Mat. c. 4: *In propriis*, inquit, *injuriis patientem esse*, *laudabile est*; *injurias autem Dei dissimulare*, *nimis est impium*. Porro injurias, quae Dei ministris inferuntur, ad Deum pertinere planum est, auctore Thoma. Nec enim aliud habuit causae Elias homo Dei, ut quinquaginta militibus cum praefecto ad ipsum capiendum accedentibus ignem de coelo imprecaretur, idque in duas militares manus impetraret, 4. *Reg*. 1. quam ut injuriam Dei ulcisceretur; nec Eliseus, ut pueris ipsi illudentibus letaliter malediceret, 4. *Reg*. 2. Itaque Thomas 2.ª 2.ªᵉ *Q*. 108. *art*. 1. injuriam suam, si redundet in Deum, ulci-

Bb2

* Male in M.S. Desumtus est hic locus ex lib. 1. *de Serm. Dom. in monte* c. 9.

sciscendam cuique dicit; eamdem in se proprie illatam tolerandam, sed ita si tolerare expediat; nam praecepta patientiae hanc exceptionem admittere, ut animi praeparatione semper (quemadmodum ait Augustinus in *Faustum* lib. 22.) opere non semper teneatur: cum non semper contumelias patienter ferre oporteat; nec sit contra patientiae rationem, ut verbis utar ejusdem Thomae, ut aliquis, cum opus fuerit, insiliat in eum, qui male fecit: nec enim laudi datum esset Davidi, si Ammonitarum injurias sibi per legatorum contumeliam illatas patienter tulisset, in quos ope Dei cum sua laude vindicavit.

XIV. Paulus igitur contumeliam illam, quae sibi, ut homini Dei et Christi ministro inferebatur, non patienter tulit: tum quia in contemtum Christi redundabat, tum quia id temporis ferre non oportebat, ut supra declaravi. Ut igitur iracundum et impatientem esse probro datur; quod in eos convenit, qui temere irascuntur, nec ea patiuntur, quae et quando pati oportet; sic numquam irasci, et cuncta sine delectu pati vitiosum est. Mea igitur oratio litterarii sensus Scripturae sanctae plana et aperta, jurique naturae conveniens explicatio est; ac hujusmodi, ut nec a veritate Catholica dissonet, nec ab Apostolica patientia et calamitatum tolerantia. Non enim si Paulum unam contumeliam, cum oportuit, convicio repressisse cum Luca referimus; idcirco eumdem propter Christum patientissime multos labores subivisse, plurimas injurias tolerasse negamus.

XV. Quod cum ita sit, mirari satis non possum, quae te ratio impulerit, ut tam alieno loco mihi palino-

no-

nodiam intentares. Nam si hoc serio facis, magnum est caecitatis argumentum; sin autem territandi causa, ne in eo quidem multum vidisti: si hoc, inquam, moliebaris, ut majus periculum denuntiando oblivisci me cogeres injuriae damnati libelli; si tamen injuria vocanda est, ut multis gravissimis et doctissimis Theologis utar, quorum in primis sunt Castrus monachus Franciscanus, et Honcala Canonicus Abulensis, et Alvarus Moscosus, qui palam non voce tantum, sed etiam scripto, meo libro in causa belli barbarici, quod caput est, suffragantur; quos ego tres viros primarios Theologos haud equidem dubitem turbae quamlibet magnae minutorum Theologorum opponere; si ponderandae sint, non numerandae sententiae. Sed haec controversia propediem, ut spero, incorrupti et gravissimi tribunalis judicio dirimetur.

XVI. Ut igitur redeam ad ingeniosam tuam molitionem, erras, mi Cane, et rationem meorum studiorum ignoras, si me tali ludribio opportunum esse judicasti; qui maximam aetatis partem in gravissimis Theologiae ac Philosophiae studiis consumsi. Nam litteras humaniores sic a teneris annis Latine et Graece colere coepi, quam potui diligentissime, ut tamen aetate adultior numquam eas paterer in meis studiis principem locum obtinere; sed easdem mihi adjumento semper esse volui ad severiores doctrinas, quibus me totum ab adolescentia tradidi, cognoscendas atque tractandas; ut indicant multi mei libri, quibus graves ex utraque facultate locos tractavi: ut Aristotelem praeteream reliquosque Philosophos a me latinitate donatos, et partim scho-

scholiis enarratos: qui libri per reliquum orbem Christianum cum multo majori gratia, et minore invidia, quam per meam Hispaniam, feruntur doctissimorum hominum testimoniis et scriptis commendati. Itaque divinas scripturas utriusque testamenti saepe lectitavi; in conciliis et decretis ecclesiasticis et sacris doctoribus multum temporis consumsi, in Theologis scholasticis, et maxime Thoma, evolvendis diu sum non oscitanter versatus; praesertim tempore Romanarum disputationum, quae nos, Clemente Pontifice spectante, ac inter et post prandia sobria, supra quam credi potest, intento animo audiente, triennium amplius perutiliter exercuerunt: cum eis interessent Theologi et Philosophi nostrae memoriae, ut opinor, doctissimi; cujus loci majestas, et praestans concertantium doctrina neminem in studiis socordem aut negligentem esse patiebatur.

XVII. Aristotelis quidquid exstat, utraque lingua legi et relegi; ejusque dogmata, ipsum et enarratores Graecos potissimum legendo, interpretando exponendoque didici: non ut plerique hujus aetatis, qui, cum ne evangelia quidem perlegerint, se tamen Theologos esse videri volunt, propter quasdam quaestiunculas ex libro *Sententiarum*, vel potius ex ejus commentariis, quae parum fortasse, aut nihil faciunt ad mores et pietatem; et quos non pudet propter nescio quas sophisticas nugas Philosophos se nominare, et Aristotelis, quem ne de facie quidem noverunt, familiares. Ea vero mihi ut praestare possem, non modo longioris aetatis beneficio contigit, sed multo etiam magis studiorum assiduitate. Quae verecundius dicerem, nisi idem mea scripta, et hic

Digitized by Google

hic in primis, de quo agitur, liber declararent, et me studiis paene solis delectari, et in eis acquiescere, scirent omnes, qui me familiariter noverunt.

XVIII. Quae cum ita sint, me tamen servum inutilem esse dico, et in alta rerum ignoratione versari, meamque tenuitatem agnosco; feci enim et facio quae a ratione praecepta sunt iis, qui se hujusmodi studiis dediderunt, et pauxillum profeci. Ceterum cum meum, qualecumque est, instrumentum cum supellectile confero quorumdam, qui in magna solidarum disciplinarum velut egestate sibi suisque scientiarum divitias habere videntur, et sibi de meris nugis blandiuntur; tunc demum mihi aliquid esse videor.

XIX. Sed ne mihi objicias τὸ τεθρυλλημένον: *Is se jure laudat, cui nemo contigit laudator*; neve ignores quam longe aliter exteri homines cum ex aliis nationibus, tum maxime ex Italia humanissima, et omnium disciplinarum altrice regione, in qua viginti duos annos continenter cum viris omni doctrinarum genere praestantibus et eloquentissimis in studiis familiariter vixi, quantoque candidius de meis studiis vel judicent, vel praedicent, quam mei Hispani; audi doctissimorum et celebrium scriptorum testimonia. Erasmus, qui in *Ciceroniano*, Romae edito libello *praeclaram de me spem praebuisse* testatus erat, librum designans *de fato et libero arbitrio*, quem ante annos viginti in Lutherum scripsi, post aliquot annos de libro, quem adversus ipsum Erasmum edidi, in epistola, quam ad me sua manu scripsit memorans: *In quo*, inquit, *libro*, *quo magis amo ingenium*, *doctrinam et eloquentiam*, *hoc vehementius doleo*, *ti-*

Digitized by Google

tibi hoc operae in tale argumentum fuisse collocatum. Franciscus Floridus Sabinus in quodam suorum librorum: *Joannem*, inquit, *Sepulvedam, Hispaniae saeculique decus, Philosophum Theologumque egregium, prout par esset, celebrare, majus est opus, quam ut a nobis commode praestari possit; siquidem ejus scripta exactam rerum cognitionem, mirumque in latinitate candorem prae se ferunt*. Petrus Curtius in libro, quem in Erasmum scripsit, in eamdem fere sententiam meum nomen celebravit.

Numeros memini, si verba tenerem.

Paulus Jovius Episcopus Nucerinus in libro de *Clarorum virorum imaginibus*: *Sed hodie*, inquit, *proculdubio Joannes Sepulveda Cordubensis ipsam eximiae laudis arcem tenet; qui Graecae peritus linguae, et scientiarum prope omnium validis instructus praesidiis, dum assidue, atque ideo feliciter stilum exercet, eloquentissimus evadit.*

XX. Possem et alia ex doctorum hominum scriptis similia testimonia citare; sed his ipsis commemorandis video me modestiae fines praeteriisse, nisi quod vos, qui me ineptum esse cogitis, hujus culpae majorem partem sustinetis. Nec enim id feci jactandi gratia, sed ne te diutius errare paterer, si meorum studiorum ignoratione me idoneum putasti, quem posses latentibus praestigiis ludificari, et simul non alieno loco invidis meorum obtrectatorum calumniis occurrerem, qui, ut meam opinionem minuant, fieri posse negant, ut quisquam sit utriusque linguae peritus atque disertus (in quo me aliquid profecisse confitentur) et idem multum in disciplinis gravioribus elaboraverit; quorum menda-

cium

Digitized by Google

cium facile redarguitur exemplis clarissimorum virorum, quos equidem cupio, quatenus possum, imitari: horum enim nemo fuit fere principatum in doctrinis consecutus, quin facultate dicendi valuerit ad suas cogitationes illustrandas, ut documento sunt Plato et Aristoteles ex Philosophis; ex Medicis Hippocrates atque Galenus, et ex nostris Celsus; in juris scientia veteres omnes Jureconsulti; ex Theologis Graecis Joannes Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nazianzenus; ex Latinis Cyprianus, et omnes quatuor *Doctores sacri* cognominati; praesertim Hieronymus et Augustinus; qui omnes in suis quisque studiis, ut doctrina, sic etiam eloquentia praestiterunt. Quamquam mirum non est homines invidos et socordes partim indulgere ingenio suo, partim ceteros ex sua natura et consuetudine metiri; qui, quod assequi non possunt, id contemnere videri volunt.

XXI. Iis igitur forsitan concedendum sit eloquentiae studia negligere, qui magno ingenio et assidua cura veram egregiamque laudem in gravioribus disciplinis sunt consecuti. Sed horum quo quisque doctior est, hoc modestior esse solet, et minus invidere alienae laudi, qui suis viribus praestare volunt, non aliorum insimulata imbecillitate. At istos sciolos quis ferat? qui ut inertiae suae ac barbariae patrocinentur, suam culpam in rerum difficultatem conferunt, et laudem quaerunt ex aliorum vituperatione; et ut se aliquid in doctrinis esse doceant, non docta scripta proferunt, aut eruditum sermonem, sed nugas imputant, et annos numerant, quibus in scholis nihil scire diu didicerunt; et quidam, si Deo placet, *cursus* binos et ternos memorant, quibus

Digitized by Google

scilicet Philosophiam Atalantae digna velocitate transvolarunt, vix ut in summa superficie vestigia transvectorum appareant; etsi quidam postea bonitate naturae ad meliora referantur, et illam temporis jacturam diligentia et graviorum doctrinarum studio sarciunt. Itaque plerique cum nulla disciplinae solidae gustata dulcedine, ab scholis discesserunt, studia, quibus minime delectantur, oderunt: ut vere mihi er sine arrogantia dicere liceat, me plures horas uno mense litteris tribuere, quam meorum obtrectatorum ventosissimi solido anno. Nec mirum, cum studium ipsis labor ac aerumna sit; mihi maxima et paene unica jucunditas.

XXII. Ut igitur, unde sumus digressi, revertamur, tu siquem opportuniorem injuriae nactus eris ignorantiae vel alterius mali conscientia profligatum; hunc poteris vana ista periculi denuntiarione, si tuis ita rationibus conveniat, territare. Ego quid scribam, intelligo; nec mihi sum mali cujuspiam conscius, quominus possim hujusmodi calumnias contemnere, atque eo magis, quod nec in libris edendis properare soleo, nec ullum umquam edidi, praesertim argumenti theologici, (edidi autem complures) quem non prius cum viris eruditissimis, quotquot nactus sum, more veterum prudentissimorum contulerim: quem morem hoc mihi diligenrius illo in opere tenendum putavi, quo gravior agitur causa, et majora rerum momenta in ejus discrimine versantur. Tantum igitur abest, ut sine causa mihi metuendum putem, ut fore potius sperem, ut siquod mihi anceps verbum, aut dictum exciderit, hoc in meliorem partem ab aequis judicibus accipiatur, atque ipsis in

in primis impietatis haereticae vindicibus: horum enim severitatem mihi videris intentare: quos ego equidem singulariter colo et observo; non tamen metu, sed benevolentia, quippe utilissime in custodiam catholici gregis excubantes; non enim sunt timori boni operis, sed mali, ut ait Paulus. Tunc eos eodem Paulo auctore timerem, si malum facerem, quod ad ipsorum censuram pertineret, et in gravissimarum rerum judicio sacrorum doctorum doctrinam et consentientia testimonia apertis calumniis eludere tentarem, et Summorum Pontificum, et Christi vicem gerentium decreta contemnerem; quod an vobis illius mirifici judicii auctoribus objici queat, ipsi videritis. Nunc mihi sanctorum Patrum doctrinam et Ecclesiae auctoritatem sequenti quid inde metuendum sit, non video. Quin te etiam atque etiam miror, qua fronte homo pudens et moderatus mihi homini minime pertinaci, et a vobis, siquid in meo libro erratum esset, emendari cupienti, idque saepe et palam professo, potueris vim et palinodiam tam praepostere minitari.

XXIII. Haec ad te, venerande pater, non exprobrandi causa scribenda putavi; sed primum ut me tibi et ceteris, quibus sinistrum de me scrupulum injeceras, purgarem: deinde ut fraterne et evangelice te tui officii admonerem, quo diligentius deinceps caveas, ne malum pro bono reddere, et hominum innocentium, nec de vobis male meritorum famam calumniis et falsis criminibus laesisse videaris. Quamquam enim te virum probum, doctum et religiosum cuncta bono animo fecisse probabilius est, quam quod multi, ut dixi, su-

Digitized by Google

spicantur; tamen species etiam mali cum omnibus Christianis fugienda est, auctore Paulo, tum vobis maxime, a quibus modestiae, justitiae ac mansuetudinis, ad summam omnis generis virtutis exemplum exspectatur.

XXIV. Ego enim, Cane, nec te, nec tuorum quemquam prudens laesi. Quin etiam communem Monachorum causam adversus acerrimum vestrum obtrectatorem Erasmum sponte libenterque suscepi, atque eo studio et contentione edito libello egi, ut facile meus in totum Monachorum ordinem propensus animus exstaret. Qua opera et officio hoc certe merui, ut mihi non esset a quoquam vestrum contumelia pro gratia referenda: praesertim ex Dominicana familia, quam ego semper propter doctrinae singularem opinionem in primis colui, et in qua multos habeo amicos, et in illa libri causa consentientes: quem librum cum multi viri doctissimi legissent, nemo tamen omnium fuit, quin magnopere probaret, antequam, me dormiente, inimicus homo discordiarum quasi zizaniorum sator venisset, et ficta callidaque oratione quorumdam animos occupasset. Vale. Ex meis hibernis Cordubensibus postridie brumae. A.C. M. D. XLVIII.

FRA-

Digitized by Google

FRATER MELCHIOR CANUS

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE

DOCTORI THEOLOGO

S. D. *

I. Litteris tuis, quas ad crepusculum vespertinum heri recepi, mox ego respondissem, Genesi doctissime, si per occupationes meas praesentes licuisset. Nam etsi aliis rescribere soleo vel occupatus, tibi vix audeo vel otiosus. Scio enim quam sint et docta et elaborata quaecumque scribis: quare non debeo tuae tam facundae copiosaeque expostulationi leviter extempore respondere, ne illud in me jactes, aut fecundam esse imperitiam, si longa sit epistola mea, aut insolentem, si sit brevis. Curabo autem, idque brevi, ut successivis horis furtivisque, ut ajunt, operis tuae adversum me querelae faciam satis: ne occupationi doctissimi viri ac paratissimi, nihilque praetereuntis, quae contra me dici possent, justa nobis defensio deesse videatur. Qua in re aut imperitum videri, aut convictum, levis certe jactura foret; illa gravissima, fratrem fratri, Theologum Theologo, Christianum Evangelio defuisse, quo mihi praecipitur, ut si frater meus habet aliquid adversum me, relinquam munus meum ante al-

ta-

* Spondet Canus in hac epistola se quamprimum ad superiorem Sepulvedae facturum satis, idque sex tandem post menses praestitit scripto, quodmox sequitur.

Digitized by Google

tare, et prius reconcilier fratri meo, deinde offeram munus meum. Sed interim id a te per viscera misericordiae Jesu Christi obtinere cupio, ut opinionem, quam rumoribus falsis ad te delatam semel induisti, tantisper exuas, dum alter nuntius occurrit, qui secundam meam epistolam deferre possit: nam quod a principio dixi, priore hac, nec prudenter nec graviter responderem. Vale ex civitate Salmantica VIII. Kalend. Februar.

FRA-

Digitized by Google

FRATER MELCHIOR CANUS

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE

DOCTORI THEOLOGO AC REGIO HISTORIOGRAPHO

S. *

I. COgnovi plane, praestantissime Genesi, te nec parce, nec segniter in Lyceo versatum, qui tam accurate ac diligenter non modo rationibus et scripturarum testimoniis, sed efficacissimo tui ipsius experimento Stoicorum deliramenta redarguis. Negabant enim illi animi affectus in virum sapientem cadere: tu vero, vir sapiens, in hos (pace tua dixerim) cecidisti. Ex hibernis quippe tuis grandis ad me et concitata epistola venit, quam nuntio festinante, vix legere, nedum respondere tunc potui. Rescripsi tamen paucis, quibus etiam atque etiam te oratum volui, ut conceptum de me stomachum tantisper cohiberes, donec animo tuo, aliunde fortassis laeso, plenius satisfacerem. Ac fecissem id protinus, si per occupationes meas quotidianas licuisset. Nunc autem responsio sera merito intermittenda videretur, nisi audirem, passim epistolae tuae exemplaria circumferri, multumque viderem ea de re fluxisse variumque sermonem. Quocirca malui seram ad te responsionem mittere, quam in varias aut tarditatis, aut silentii mei re-

pre-

* Respondet hic ex instituto V. Cl. Melchior Canus ad singula, quae superiori epistola objecta sibi fuerant a Sepulveda. Utriusque summi Theologi doctrinam et ingenium libenter admiramur. Sed quinam majore animi moderatione usus sit, ex lectione hujus et sequentis epistolae facile patebit.

Digitized by Google

prehensiones incurrere. Quamquam non ita magna haec jactura fuisset, si nostra taciturnitas aegro tuo animo mederetur. Nam aegritudinem vel ex eo colligere licet, quod priore benevolentia usque adeo me indignum existimas, ut amasse poeniteat, in quem praestitisset (sic enim sentis) numquam fuisse benevolum.

II. Ego vero in hac parte existimo me tibi antevertisse, qui celebre nomen tuum non prius audire coepi quam colere, et quoties mentio de te incidit, perinde dignis laudibus prosecutus sum, ac si familiarior inter nos amicitia intercessisset. Nihil enim virtute ac litteris amabilius, quas qui erit adeptus, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. Nec tamen priorem certasse piget, nec offendor indignatione et concitatione tua, nec amoris erga te mei aliam gratiam postulo, quam ut aequis auribus audias, quae dicturus sum. Aequum est autem, ut quas aures non juxta sapientis consilium spinis circumseptas, sed blandas noxiis adulatoribus praebuisti, easdem fratri tuo nunc et amico praebeas pro sua innocentia respondenti.

III. Ac principio quidem, ut inde exordium expostulandi sumam, quale judicium est, obsecro, ex levi quodam rumore proximum tuum indicta causa damnare? *Audio*, inquis, *te exsultantem inter adolescentes auditores tuos quaedam jactasse, &c.* Et ego multa a multis audio, quibus nihil habeo fidei, nec an vera sint, curo. Sed et ille, qui doctus est reprobare malum, et eligere bonum, non secundum auditum aurium arguebat. Et Deus, cui omnia nuda et aperta sunt, Sodomorum mala, quorum clamor ad coelos usque pervenerat, non prius condemna-

mnare voluit, quam ea ipsa diligenter investigaret. *Descendam*, ait, *et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam*. Iniquus erat princeps Sacerdotum, apud quem per falsos et subornatos testes accusabatur Stephanus, quasi locutus fuisset verba blasphemiae: is tamen quaesivit, an haec ita se haberent. Ego nihil tale in longissima criminatione invenire potui, sed adeo te per omnia obfirmatum in mea damnatione video, ut verbum, quod semel undelibet habuisti, *hic murus aheneus esto.*

IV. *At non levibus conjecturis ductus sum*, inquis, *sed a fidedignis accepi, quae dixerim*. An fidedignus habendus sit, qui seminat inter fratres discordias, tu videris. Certe non poterit, quisquis ille fuerit, a sinistra interpretatione liberari, si forte inter loquendum mihi aliquod verbum excidit, quod ad libri tui editionem pertineret. Qua excepta, quia minus ex usu evangelicae pietatis futura videbatur, satis mihi conscius sum, honori tuo per me derogatum nihil, consultum plurimum. Nam eorum, quae haec academia in tui commendationem ad curiam misit, ego ipse, si non magna, at saltim pars ulla fui: tantum abest, ut tibi detraxerim. Sunt tamen varia hominum ingenia, et diversa judicia, et nihil tam absolutum inveniri queat, quod omnibus ex aequo placeat. Scilicet ne Jupiter quidem, ut in proverbio est, placet omnibus: atque, ut ille ait:

Tres mihi convivae prope dissentire videntur.

Ita siquidem natura comparatum est, ut e multis vix duos invenias, qui rem coram se gestam ex aequo aut probent aut narrent, sed alius aliter.

V. Jam si calumniari quis velit, quod sincero corde protuleris, nullum erit verbum, quod non pateat calumniae: eo maxime quod vel curiosus sycophanta, vel securus auditor non semper expendit, quo vultu, quo gestu, quo sono, quo denique consilio quid dicatur: tantum calumniandi occasione captata, rapit irrevocabile verbum, et indutum alio colore, quasi catapotium deauratum, aegroto porrigit devorandum: tum ibi aegrotus evomit atram bilem, concussus effundit viscera. Quidam insimulatus apud regem, quod male de ipso loqueretur, proferenti regi verba maledica, et roganti, num ea agnosceret, respondit, *Agnosco: verba quidem mea sunt, sed tonus alienus.*

VI. Fateor equidem, cum librum tuum legerem, me ad eumdem lapidem, quo doctor ille Complutensis, nonnihil impegisse, ubi scripseras Paulum Apostolum contumeliam, quam pro Christo patiebatur, iniquo animo tulisse, et Judici fecisse convicium: inter adolescentes vero auditores meos id, aut quidquam aliud jactasse, nec agnosco, nec debeo, non enim erat aut modestiae meae id agere, aut candoris tui credere. Significavi tamen uni aut alteri, quem ego virum gravem existimabam, tuum istum sermonem mihi displicuisse; non quod impium atque adeo ultricibus flammis dignum censerem, ut tu tibi male falsis rumoribus persuasisti; sed quod id asserens de homine paratissimo injurias et mortem ferre, ut ipse de se fuerat paulo ante testatus, aures piorum, aut, quod tu mavis, barbarorum paululum videreris offendere.

VII. Hic tu mihi ex Latina politiorum consuetu-
di-

dine exponis, *iniquo animo*, id est irato: et hujus occasione quasi cum Zenone pugnaturus in arenam descenderes, et sudandum tibi foret in supplantando adversario, congeris testimonia, et aperis mihi sensum, ut intelligam scripturas, incipiens a Mose et omnibus prophetis. Iratum Mosem a Pharaone discessisse principio sumis. Certa res est, sponte concedimus: iratum deinde tabulas confregisse: id quod damus, et libenter quidem: iratum praeterea furore dudum in populum suum; conveniat id quoque necesse est. Christum denique ipsum cum ira Pharisaeos circumspexisse: quis istud negat, vir scilicet eruditissime? sic enim modestissimum mihi est te vocare. Uteris, mihi crede, in re non dubia testibus minime necessariis. Sed cum inde colligis Paulum injuriam iniquo animo tulisse, quem tibi hoc daturum putas? Non dabunt, inquies, barbari, dabunt homines politioris litteraturae. Ego, mi Genesi, quamvis sciam me cum homine eloquentissimo habere sermonem, non tamen hoc sane loco dubitem contra tuam istam eloquentiam pugnare ratione.

VIII. Age enim, si placet, discutiamus in primis interpretationem tuam, qua *iniquum* interpretaris *iratum*: nam et nos forte manum ferulae subduximus: et sicut nemini videatur mirum, quod in una aut altera vocula quandoque bonus dormitet Homerus, ita nihil obstat, quominus et nos in re tantula judices esse possimus. Atque id facilius decernemus, vi nominis subtilius explicata. Nec enim negabis, opinor, *aequum* id esse quod planum: nam et Cicero id pro *Caecinna* testatur, et *aequora* campi sicut et ponti dicuntur, quod planam

habeant superficiem. Inde vero per translationem accipitur pro eo quod justum est, nec a rectitudine et aequitate deflectit. Erit igitur *iniquum* injustum, pravum atque distortum. Jam vero siquis dicat Paulum injusto animo, pravo, aut minus recto tulisse injuriam, non solum barbaras, verum etiam pias, ni fallor, aures offendet. Scio te dicturum hoc verum esse extra modum loquendi, quo dicimus, *iniquo animo ferre*, ubi *iniquum* magis sonat *iratum*. At hoc, sicut video, te fidenter asseruisse, ita et probasse gauderem: ego enim non arbitror eum sermonem in Deum posse competere vel metaphorice, ut *inique* dicatur quidpiam ferre, quem tamen *irasci* tu ipse multis testimoniis confirmasti.

IX. Nec siquis dixerit aequo animo Paulum injuriam patienterque tulisse, tu illi adversaberis, quoniam teste vel conscientia tua verum dixisse existimabis. Non igitur, quod tu dicis, iniquo animo tulit injuriam. Sed bene res habet, quod te non minus barbaris quam sapientibus debitorem agnoscens, Complutensis doctoris admonitione offendiculum sustulisti.

X. Veniamus ergo ad *convicium*, quod verum et apertissimum in Paulo tu constanter affirmas, ego constantissime nego. Nec censeo subtiliore ratione opus esse ad hoc refellendum, quod tam aperte tamque perspicue falsum est, ut qui dubitet, haud sane intelligam, cur non idem an sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Etenim apud Ulpianum et Labeonem convicium injuria definitur, *ff. de injuriis et famosis libellis*, *L.* Item *apud Labeonem*: Consequens ergo est, ut qui fecit convicium, is injuriam fecisse dicatur. Tu vero ais Paulum

lum justo et vero convicio contumeliam repulisse. Justa igitur et vera injuria. Quod quia absurdum est, ne illud quidem superius, unde hoc manat, probare debemus, ne justum injustum asseramus. Deinde eodem Ulpiano auctore *Convicium a concitatione* dicitur, aut *collatione vocum*: *cum enim in unum plures voces conferuntur, convicium appellatur*, inquit, *quasi convocium*. Quae nominis ratio atque origo mihi eo magis probatur, quod producit secundam syllabam *vi*, quod profecto non fieret, si a *vitio* derivaretur; unde et per *c* scribendum Laurentius non negat, quamvis tu perpetuo per *t* scribas. Convicium itaque vocum concitatione et quasi clamore fit: quod vel inde admonemur, quod Poeta quidam scripsit: *Quid queror, et toti facio convicia coelo?* et inde rursus: *Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla.* Quae si vera sunt, dictum Pauli non fuisse convicium mihi facile persuadeo; nec enim plures contulit voces, neque clamore et concitato spiritu, quod vulgus irritatum solet, vociferatus est, ut par est credere: sed libera simul et modesta objurgatione iniqui judicis insaniam repressit.

XI. Quod si tibi magis Laurentii etymologia placet, ut dicatur *convitium*, quasi *cum vitio*, numquam vel sic effugies, quominus aut convicium fuisse neges, aut vitium fuisse fatearis. Nulla autem ratione consistit, quod vitium admiserit, et quod, ut tu ais, pro rectae rationis imperio loqueretur. Sed quid ego moror, cum habeam hujus rei Ciceronem et testem et judicem, cujus tribunal detrectare non possis? Hujus in oratione pro Coelio haec sunt verba: *Maledictio nihil habet propositi*

prae-

praeter contumeliam , quae si petulantius jactatur , convicium ; si facetius , urbanitas nominatur. Maledictum ergo Pauli, aut contumelia dicenda est ea , quae petulanter jactata ; aut convicium nullo modo debet nominari. Nam cum facetiis nihil viro gravissimo , eo praesertim judicio , quod te judice spectabat ad mortem. Atqui non dabis, opinor, Apostolum contumeliam contumelia petulantiore relaxasse : superest itaque , ut negare debeas fuisse convicium.

XII. Age etiam nunc , ut ab ethnicis ad sacros auctores veniatur , expandamus an a me sint eorum sententiae , an tuae potius suffragentur. Atque in primis Augustinus veniat in medium , qui lib. 1. *de Sermone Domini in monte* in hunc modum scribit : „ *Verba Pauli*, „ percutiet te Deus , paries dealbate , *minus intelligentibus* „ *convicium sonant* ; *intelligentibus vero prophetia est translati* „ *sacerdotii*." Intelligentibus ergo , si Augustino credimus, verba Pauli convicium non sonant. Sed hic tu tamen, meridiani solis opportunus illuminator, verba Augustini subtiliter et acute in tuum sensum trahis , nodum in scirpo quaerens, ubi nullus est nodus. Et quidem expositio tua constare posset , si dixisset Augustinus : verba Pauli minus intelligentibus tantum convicium sonant : plus vero intelligentibus prophetia quoque est translati sacerdotii. Nunc autem nihil tale dixit , sed absolute, simpliciter et aperte : *minus intelligentibus convicium sonant* : et tunc per adversativam , quae contrariam sententiam praecedenti monstrat, subdit : *Intelligentibus vero prophetia est* : ut si tu intelligis, intelligas non esse convicium.

XIII. Audi vero reliqua. *Illud est enim*, inquit Augustinus lib. 1. *de Sermone Dom. in monte* , *tantum atten-*

den-

dendum, quo animo fecerit omnia, quam benevole et clementer in eos, a quibus ista patiebatur. Nam et pontificis jussu palma percussus...... ubi ostendit quanta tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur: quod tam cito, tam mansuete respondit: quod ab indignatis et perturbatis fieri non potest. Hactenus Augustinus. E cujus verbis non obscure colligitur Augustinum a sententia tua prorsus fuisse alienum. Nam si Paulus in eos, a quibus patiebatur, benevolus ac clemens exstitit, quomodo in eos convicia jactabat? Si tranquillo animo dixit, quod iratus dixisse videbatur, quomodo, quod tu tantopere contendis, ira ac dolore commotus irascebatur? Sed de Augustino satis.

XIV. Hieronymum miror, tibi qui nihil non legisti in mentem non venisse, cum tamen in *epistola ad Heliodorum* convicium in fratrem homicidii asserat esse reatum. Sic omni ratione concluditur, illum in verbis Pauli vel convicium negaturum, vel pro homicida Apostolum habiturum: quod posterius, quoniam probabile non est, illud prius omnino teneamus, in verbis Pauli non fuisse convicium. Nam quod idem Hieronymus *lib. 3. dialogorum adversus Pelagium* dicit: *Caeditur Apostolus a ministro; et contra pontificem, qui caedere imperaverat, sententiam dirigit*; praeterquam quod aliud est adversarium revincere, aliud docere discipulum, non tamen ait: convicium dirigit; sed *sententiam.* Quod vero Chrysostomus? „*Digna*, inquit, *quaestio est, quomodo idem alibi dicens:* „Cum maledicimur, benedicimus; dum persecutionem „patimur, sustinemus; *hic sane contrarium facit, et non* „*solum conviciis lacessit, sed etiam maledicit? Absit: neutrum* „*horum fecisse apparet; sed rem exactius consideranti magis* „*ver-*

Digitized by Google

„*verba sunt libere loquentis, quam iracundi.*" Haec Chrysostomus.

XV. Sed quid opus est multis? Profer tu vel unum ex quavis classe, qui tecum sensisse videatur, et causa me cecidisse fatebor. Dies enim me deficiet, si sigillatim velim enumerare quos habeo hujus meae sententiae gravissimos auctores. Lege Bedam in illa verba: *Percutiet te Deus, paries dealbate*. Lege Rabbanum item et alios, qui ut convicium, et maledicentiam atque iracundiam ab Apostolo longissime faciant, *percutiet*, malunt legere, quam *percutiat*; ut in verbo futuri indicativo inspiratio prophetica, non convicium aut contumelia intelligatur. Sed ne cunctos persequar, unum ex junioribus proferamus, quem tu mihi citas, egregium tuae laudis praeconem, Erasmum utique virum doctissimum, ut ais, et celebrem scriptorem. Is in annotationibus, *gemino*, inquit, *nomine concedit Apostolus turbae: primum agnoscens esse pontificem, qui re ipsa non erat nisi paries dealbatus; deinde convicium esse non negat, quod illis videbatur convicium, cum non esset convicium, sed libera objurgatio*. Quibus testimoniis, nisi in meridianam lucem tenebras inferre conaris, videre mihi videor te annuere, nota enim tibi sunt; sed proferam libros, si negaveris.

XVI Veniam igitur spero te mihi daturum adversum te cum praeclaris doctoribus sentienti: et quamvis nihil sit, ut scribis, quod mihi gratias agas, est tamen nonnihil quod te a vestigiis Sanctorum deflexisse confitearis. Nec credideris me maligne aut iniquo animo te, quod sentiebam, celasse: sed tum quia commodam te subtrahendo occasionem sustulisti, tum etiam quia

Digitized by Google

quia re vera importunum visum est de hujusmodi rebus minimis admonere hominem, qui in negotio, ubi cardo vertebatur, repulsam ab unanimi totius academiae consensu ferebat. Quorsum enim attineret, terebrato craneo, rediviae mederi? Quod autem ratiocinaris me, si negem licere in pravos et contumeliosos jactare convicia, non posse excusare multa Christi dicta, quale est, quod in ementes et vendentes ea dixerit, quae in latrones maxime conveniunt, et quod Pharisaeos *hypocritas* appellaverit: nos hunc plus quam Gordianum nodum Tenedia quadam bipenni solvemus. Salva enim auctoritate tua, quam ego magni facio semper, nullum erit aut convicium aut contumelia, quantum ego sentio, quoties verba, quamlibet aspera et dura, ab illo proficiscuntur, qui jure ea dicere possit, etiamsi turbae esse convicia videantur.

XVII. Hinc igitur excuso Christum, quod Pharisaeos appellavit *hypocritas*, *sepulchra dealbata*, *caecos et duces caecorum*, et alia id genus; quod discipulos dixit *stultos et tardos corde ad credendum*; quod sacrilegis latrocinium exprobravit: eaque omnia citra injuriam et contumeliam, utpote qui constitutus erat a Deo *Rex super Sion, montem sanctum ejus, praedicans praeceptum ejus*. Hinc excuso Joannem Baptistam, quod venientes ad se quosdam satrapas *progeniem viperarum* nominavit: erat enim *vox clamantis in deserto*. Hinc excuso Paulum, quod Galatas *insensatos*, quod Ananiam *parietem dealbatum* vocavit; nempe erat sibi conscius apostolicae potestatis, quam non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem se habuisse gloriatur.

Digitized by Google

Hinc denique excuso innumera facta similia, quae in sacris litteris nusquam non sunt obvia, ne dicas non posse nos excusare factum Christi. Sed omissis his pergo ad locum, ubi haeret aratrum.

XVIII. Judicii hujus academiae, in quo causa belli barbarici, quod asserere conabaris, reprobata est, facis me principem et auctorem, ac proinde totam illam injuriam mihi acceptam refers, asserisque non obscure, me propriis aut alienis affectibus, potissimum ambitioni, quod contraria scripseram, servivisse. Et hinc illae lacrymae, haec illa est amarulentia, qua non modo meum, verum etiam hujus academiae gravissimum judicium amaris salibus aspergis, et petulanter rides ludisque in nos, homo non tam facetus, quam ad scribendi licentiam liber. Quin etiam in suspicionem calumniae ac temeritatis sacrilegae vocas, quasi judicio illo sacrorum Doctorum doctrinam et consentientia testimonia apertis calumniis eluserimus, et Christi vicem gerentium Summorum Pontificum decreta contemserimus, et Ecclesiae auctoritatem pro nihilo fecerimus.

XIX. Ego, mi Genesi, sicut consilii princeps non fui, ita me partem aliquam fuisse non inficior, nec poenitet, nec muto sententiam: an id faciam ductus propriis aut alienis affectibus, non erat tuum judicare: mihi sufficit conscientia mea, *in Caelo* enim *est testis meus, et conscius meus in excelsis.* Et verum quidem est, me olim nescio quid de hac re scripsisse, cujus me jam pridem tenebat oblivio: sed cum nuper Fr. Franciscus Victoria, Doctor neque incelebris, neque omnino contemnendus, de eadem re copiosius disseruerit, et contrariam

riam tuae sententiam tenuerit, hoc saltem debuit apud omnes ejus opinio obtinere, ne tua videretur adeo certa et indubitata, quin jure optimo summisque rationibus posset in dubium revocari. Huc accedit schola Salmanticensis et Complutensis, quarum unum fuit de tuo libro, negata editione, judicium, quod arbitror apud eos, qui noverint, aliquid habiturum esse momenti: hic ego appello aequitatem tuam, num censeas me tibi fecisse injuriam, quod pro opinione magis pia, magisque consentanea doctrinae Evangelicae et magistro meo, et duabus insignibus academiis, calculum meum addiderim.

XX. Sed dicis injuriam videri gravissimis et doctissimis Theologis, quorum in primis sunt Castrus Monachus Franciscanus, et Honcala Canonicus Abulensis, et Moscosus, quos tu primarios Theologos non dubitas turbae quamlibet magnae minutorum opponere. Cum ego legerem haec, et alia non pauca deterioris etiam notae, quae in tuis litteris sequuntur, fateor, coactus sum plusculum in te modestiae desiderare. Nam quos mihi invidiae concitandae gratia primarios nominas, equidem nec in postremis habeo, sed tota veneratione amplector et colo. Quamquam satis proclive est divinare, quo eos gradu statuisses, si forte tuae opinioni refragarentur: non enim existimo te dignaturum eos orchesta, sed ad cuneos cum turba minutorum relegaturum. Ex iis tamen, quos tu non sine convicio turbam et minutos appellas, nullus est, qui sine tua aut illorum primariorum injuria nequeat tibi, si rationibus, non conviciis agendum sit, respondere: quamquam tam ma-

Digitized by Google

le videris existimasse de ceteris, ut nemo possit de tuis erroribus judicare: contraque tam bene de tuo ingenio, eruditione, placitis et oraculis, ut si modo ex divorum concilio descendisses.

XXI. Quod autem speras controversiam hanc propediem incorrupti et gravissimi Tribunalis judicio dirimendam, quasi nostrum corruptum et leve sit; si Regios Consiliarios intelligis; ut libenter eos gravissimos et incorruptos esse amplector, ita audenter pronuntio non valde ad eos, qui legum sunt et latores et vindices, judicium de re theologica pertinere. Tametsi conjectare facile poteris, quodnam tibi sit judicium exspectandum a viris modestia plenis, qui nihil prius de tuo edendo libro decernere ausi sunt, quam ad Salmanticensem Complutensemque Senatum ejus rei deliberationem retulissent. De tui vero libri argumento nihil ego in praesentia dissero: dabit autem Dominus diem aliquando, ut non contra te, sed tibi dicamus quae causae nos impulerint, ut tui libri editionem negaremus; nihil enim est, quod tam facile expedire possimus, si non aut ostentatione aliqua adducti, aut studio certandi, sed gratia veri reperiendi, sine pertinacia disputaverimus. Nec enim ex iis erimus, qui malunt sententiam, quam semel amaverunt, pugnacissime defendere, quam quid rectissime dicatur exquirere, quos prius de omni vitae statu, quam de sua opinione dejeceris: tum ergo vel tu me, vel ego te errore liberabo. At interim eloquentiam et eruditionem libri tui probare possum, placita probare non possum. Quare vellem equidem, mi Genesi, et ut tibi coram etiam ingenue confessus sum, magnope-

pere vellem in alio commodiore argumento ingenii tui vires ostenderes, ubi pietatem evangelicam melius juvare posses; nam id certe, ne quid amplius dicam, nihil minus facis.

XXII. Quod si exteri homines longe candidius atque Hispani tui, de studiis tuis vel judicant vel praedicant, et tanta dilatandi nominis tui cupido tenet, apud illos ingentes tuae eloquentiae Stentores, quibuscum diu versatus es, et bonam vitae tuae partem exegisti, poteris edere librum tuum: illi beati Itali, quibus tu similem gratiam refers, ferent ad votum de tuo libro sententiam. Ego vero Hispanus, ex ultimis terrae partibus, cui vix semel Italiam videre contigit, quid facerem? Mentiri nescio: librum, si malus est, nequeo laudare, et poscere. Sed jam te piget et taedet in Hispania esse natum, et tantum non abjuras patriam tuam, quod sit ingenii tui maligna laudatrix: at in promtu est, ut lucrifacias hanc injuriam, cum et per tempus, quae in Italia demoratus es, et per eloquentiam, quam ibi magnam comparasti, liceat tibi, et temet pro Italo gerere, et ab aliis pro Italo judicari. Certe Anacharsim non sic pertaesum est Scythiae, quo judice praestiterit patriam esse probo alumno, quam alumnum patriae; quamvis nec Hispania adeo pudenda sit, nec in ea tua Corduba indigna Senecis et Lucanis; an sit Sepulvedis, alii judicent.

XXIII. Sed Hispani invidi et barbari non colunt, nec celebrant viros doctrina praecellentes. Nimirum non belle quaedam faciunt duo, sufficit unus huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace: quid enim Hispani in te decantando morentur? cum ipse laudum tuarum, ut de gal-

gallo gallina, ceu scite tradit Aristoteles, egregium agas tibicinem? Tu adnumeras Saltas Italos, videlicet Francisci Floridi Sabini, Petri Curtii, Pauli Jovii Episcopi Nucerini, et aliorum, quibus quasi choragum praemittis Erasmum, fortassis ne tibi possit objici illud evangelici proverbii: *Cecinimus vobis, et non saltastis*: at nos Hispani tui veremur, ne, dum istorum laudibus accinis, ut corvo Aesopico, tibi caseus excidat. Proh Deum immortalem! quam illa vera sententia est: suum cuique pulchrum, et quod sapiens quidam rectissime dixit: *Caecus amor sui solet quam vel maxime in judiciis caecutire*; nunc equidem intelligo, nihil esse homini difficilius quam seipsum agnoscere; nunc demum et illud de Caelo descendit: γνῶθι σεαυτόν. An liceat impune viro sapienti sic aperte modestiam violare, viderit Nemesis: nam Socrates, quo minus de se jactavit sua et aliorum testimonia, eo sapientior judicatus est.

XXIV. Sed bene habet, quod hujus culpae majorem partem in me transfers, et mei similes sciolos, qui non docta scripta proferimus, aut eruditum sermonem, sed nugas imputamus, numeramusque annos, quibus in scholis nihil scire diu didicimus, qui obtrectatores ventosissimi laudem quaerimus ex aliorum vituperatione, ut nos aliquid in doctrinis esse doceamus. Nos itaque miseri sumus, qui dum, sicut in rerum maximarum errore, ita in summa studiorum tuorum ignoratione versaremur, ineptum te esse coëgimus, quasi judicium eruditionis tuae ex tuo ipsius esset testimonio metiendum, et non potius ex ipso foetu, quem adeo enixe jam pridem parturiebas. Actum vero de Evangelio erat,

Digitized by Google

erat, nisi te nobis tantopere commendasses; hanc vero noxam mihi maximo acceptam refers, cujus docendi gratia tantum in te laudando operae sumsisti; videlicet ne me circa tua studia diutius errare patereris, si te imperitum, ac proinde idoneum, cui subdolis possem praestigiis illudere, existimarem.

XXV. Non possum non habere gratiam caritati tuae, qui rerum mearum anxie satagens, tuarum esse oblitus videaris. Errabam ego circa studia tua, et gratias ago quod errorem exemisti; cujusquam vero oculos praestringere tam semper a me alienum fuit, quam quod maxime a viro Christiano, eoque Theologo, tum Sacerdote, tum Monacho esse debet. Sed jam epistola clausulam poscit, nec enim possum ad singula, quae mihi objicis, respondere, nec committendum est, quominus tibi liceat per me frui beatitudine tua, sive plures sive pauciores horas litteris consecraris. Nam quemadmodum studiis tuis neque detraho, neque invideo, quin potius gratulor ex animo, et toto pectoris candore amplector, siquem video de litteris bene merentem, ita molestum esse judico, homini in campo bonarum litterarum otianti litteris nostris negotium exhibere. In quibus quoniam ea me arbitror praestitisse, quae ratio veritasque praescripserit, dabis, spero, tuam mihi posthac, si persuasi, gratiam, si non persuasi, veniam.

Vale. Ex coenobio nostro Salmanticensi.

JO.

JO. GENESIUS SEPULVEDA

DOCTOR THEOLOGUS

MELCHIORI CANO DOCTORI THEOL.

S. *

I. ACcepi tandem, eruditiſſime Cane, apologeticam tuam epiſtolam, ſexto ſcilicet menſe datam, quam tu priore epiſtolio te brevi ad meam querimoniam reſponſurum oſtenderas. Nec lentitudinem accuſo, quin magis laudo conſilium; parvi enim refert ad laudem libri, quam cito fuerit elucubratus, illud vel maximi, quam docte, quam graviter, quam ſine ineptiis, adde etiam, ſi placet, quam non inculta oratione confectus. Quas res ſi praeſtiteris, haud fuerit ſane quod magnopere longioris morae notam extimeſcas. Sed difficile, crede mihi, eſt cauſam parum vel juſtam vel honeſtam doctis et gravibus hominibus probare; nam bonam ſaepe etiam infantiſſimi non ſine laude perorarunt. Tu tamen pro tuo acri ingenio, et diu in ſcholaſticis palaeſtris exercitato tam ſtrenue in tua difficili cauſa verſaris, ut nihil intentatum relinquas, quod ad victoriam pariendam uſui eſſe videatur, dum dubiis fidem ingenioſe addis, falſis ſpeciem veritatis obtendis, viciſſimque veris et

* In hac epiſtola Sepulveda ſingulis Cani argumentis ſibi a doctiſſimo Theologo propoſitis plane cumulateque ſatisfacere conatur: quam vero magna exquiſitaque doctrina, quam inſigni modeſtia id perfecerit, lectorum judicium eſto.

Digitized by Google

et illustribus tenebras offundis; mavis enim me ut adversarium vincere, quam ut discipulum docere. Quae singula tanto studio et solicitudine facis, ut quamquam vir tantus et tam gravis, ne ad levissima quidem, et te prorsus indigna praesidia descendere graveris: quae res facit, ut ipse in optima, ut quidem spero, mea causa tuum tamen ingenium et solertem diligentiam interdum extimescam. Confirmatus tamen ea recordatione, saepe veritatem sine patrono diserto suis se viribus defendere, epistolae et commentationi tuae quam brevissime potero, respondere conabor, atque ita respondere, ut nihil ambitioni, nihil pertinaciae datum, sed ubique veritati et justitiae inservitum fuisse videatur.

II. Primum omnium credulitatem mihi objicis, quod falsis rumoribus temere crediderim, te inter adolescentes auditores tuos quaedam in me jactasse, quae tu in privato cum uno aut altero fueris collocutus. Quasi vero magni intersit, multis, an paucis audientibus sermonem seras, qui possit infamiam fratri, aut etiam periculum majus importare, si a paucis illis celeriter, ut assolet, ad multos emanaverit criminatio, ut ista, quae ne me quidem in loco infrequenti et remotissimo, quo secesseram, diu latere potuit, non amicorum litteris, sed viatorum vocibus perlata. Quamquam ego te saepius id, ac pluribus idem jactasse, certum habeo et exploratum, non adulatorum indicio, ut ipse cavillaris, (nam quae, obsecro, adulatio est, id amico renuntiare, quod sit ei contumeliosum, atque molestum?) sed fide dignorum affirmatione. Tu tamen forsitan oblitus es, animo melioribus rebus occupato.

III. Deinde addis, improbasse te quidem meam sententiam, sed non ut impiam et flammis ultricibus coërcendam: et quae tandem ista jactatae injuriae deprecatio est, si palinodia eamdem dignam esse asseverasti? Infamia homini pudenti, haud multo mitiore flammis, quamvis id non inimico animo feceris, quod tibi affirmanti credere malo, quam parum certis conjecturis in diversum duci: praesertim cum tuae a me non alienae voluntatis argumentum facias, quod particeps fueris ejus consilii, ut me Salmanticensis academia honorifico suo testimonio in responsione Regio Consilio missa commendaret. Quod mihi probabilius facit non solum tua singularis humanitas, sed etiam illud, quod numquam mihi persuasi, quemque vestrum mei vel odio vel contemtu quidquam adversus libelli mei editionem statuisse. Si quid enim mali fuit, ambitio quosdam vel amicorum voluntati morem gerendi cupido abstraxit, non malevolentia, vel contemtio.

IV. Quod me igitur tu quoque verbis ornaveris, tibi magnam habeo gratiam, aequius enim est ab officio id profectum esse, quam ab arte interpretari. Nam solent nonnumquam artificiosi homines adversus hominem probatum dicturi, quo calumniae suspicionem minuant, ab ejus laudibus exordiri, ut cujus virtutibus, siquae sunt, favent, ejus peccatum justa et necessaria causa consectari videantur. Tu tamen ut tuam innocentiam probes, nec temere meam sententiam improbasse videaris, multa congeris, quibus me non quidem impie, inepte tamen et perperam scripturae locum intellexisse aut exposuisse doceas, et orsus a classico, jam tibia canis. Quam-

Digitized by Google

V. Quamquam, si, quod primo loco ponis, id verum esse docueris, jam tibi licebit, ut me non solum inscitia, sed impia quoque temeritate condemnes: si, cum Paulum iniquo animo contumeliam tulisse dico, pravum et injustum animum Paulo tribuere convincor. Quod sentire nefas est de Apostolo gratia confirmato. In quam disserendi rationem atque commentum, ut libere dicam quod sentio, mihi videris, lecta mea epistola, non tam libero consilio ductus, quam tempestate quasi jactatus, quo majus periculum vitares, confugisse; ab initio enim non erat sic. Nam statim lecta mea epistola, ab ira exclusus, ad impatientiam te contulisti, causatus, *iniquo animo* non iratum, sed impatientem significari. Quod cum mihi esset amicorum litteris renuntiatum, protinus scripto, quam parum tibi tergiversatio illa suffragaretur, explicavi, et commentatiunculae exemplum Salmanticam misi, ac ut tibi redderetur, et exemplo epistolae insereretur, per litteras mandavi. Nunc autem duobus perfugiis exclusus, ad hoc confugisti, quod nec magis tutum est, et multo minus habet gravitatis. Nam iniqui nomine injustum ac depravatum signari, sic ex etymologia probare niteris. *Quae plana sunt*, inquis, *haec more latinorum aequa esse dicuntur, ut maria*, *unde nomen* aequoris *ductum*, *camporum quoque planitiei interdum ab auctoribus tribuitur*, *atque hinc factum esse dicis per similitudinem*, *ut quae justa sunt*, aequa *per translationem esse dicantur*, *ac proinde quae his contraria sunt*, *iniqua*.

VI. Ego, ingeniosissime Cane, justa et injusta *aequa* dici plerumque et *iniqua*, facile tibi assentior, non qui-

Ff 2 dem

Digitized by Google

dem ista tua praeclara etymologia et translatione ductus, sed quoniam Aristoteles lib. *Ethicorum* V. de justo et injusto disserens, justum idcirco aequum dici declarat, quia medio, in quo justitia consistit, aequale est; injustum vero iniquum, quia medio est inaequale, hoc est, plus aut minus. Quo Philosopho auctore et verius poteras et gravius uti. Sed vos magni Theologi hac memoria, ut video, indignos lectione philosophos etiam maximos judicatis; et Aristotelem, quem veteres ut sagacissimum naturae legumque naturalium, quas easdem divinas esse constat, interpretem suspiciebant, contemnitis, cujus ingenio datum fuisse Dei munere quidquid capere potest humana natura, Hieronymus in regula monachorum cum tantae doctrinae demiratione profitetur: ac, ut reliquos taceam, Thomas vester, vel dicam, nisi me condiscipulum aspernamini, noster magister tanti facit, ut ejus in doctrina morum testimonia non secus audiat, ac si natura ipsa loqueretur. Sed vos videlicet et Thoma et omni veterum Theologorum Senatu ditiores estis, nec auro et argento Ægyptiorum indigetis. His enim rebus Augustinus in libr. *de doctrina Christiana* 2. similem facit philosophorum ethnicorum doctrinam. *Quaedam*, inquit, *morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tamquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, debet ab eis auferre Christianus ad justum usum praedicandi Evangelium.* Non contemno, inquis, Aristotelem: at mihi nuper contemnere non obscure visus es, qui in colloquio Salmanti-

ticensi, cum ego ad meam sententiam lege naturali confirmandam, Aristotelis doctrinam protulissem, auctorem ipse, tamquam adulatorem Alexandri et impurum hominem incunctanter rejecisti.

VII. Ut igitur, unde sumus digressi, redeat oratio, justum et injustum cur aequum et iniquum nominentur, Aristoteles, quemadmodum memoravi, declarat. Itaque maris vicissitudo multo aptius et commodius ad animi lenitatem et contrarios affectus, quam ad justitiam et injustitiam transfertur, quae sine motu plerumque sunt, et habitus appellantur. Nam quemadmodum mare in malacia et tranquillitate aequum appellatur, sic animus aequus, cum lenis est atque sedatus, et vicissim iniquus, cum ira et dolore, ut mare ventis et fluctibus, concitatur. Quae res si justo sint vehementiores, ut in mari, sic in animo foedam tempestatem movent; sin autem temperatae, ut illic ad commode navigandum, sic interdum in animo usui esse solent ad virtutem et res fortiter gerendas, ut Peripateticis placet. Iniquus igitur animus, ut plerumque injustum, sic interdum iratum, ac proinde dolentem (ira enim non sine dolore est, ut docet Philosophus *Ethicor. VII.*) Romana consuetudine sonat, ut cum aliquis rem iniquo animo tulisse dicitur, cujus consuetudinis nulli, qui latine sciat, ignotae, cum exemplum requiris, hoc dicere nobis videri poteras, te ab ineunte aetate graviorum rerum studio tantopere fuisse occupatum, ut nec otium nec cura fuerit, auctores linguae latinae, qui talibus exemplis scatent, legendi, nisi te videremus eloquentiae laudem non obscure interdum affectare. An ne

illud

Digitized by Google

illud quidem vel legisti, vel audisti: *Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli?* Nisi forte Sallustium sic frontem perfricuisse putas, ut non erubuerit, sui animi pravitatem et injustitiam inimico palam Senatu confiteri et indicare. Ego igitur Deum aliquid iniquo animo ferre fortasse non dicerem, ut ipse ais, non tamen eo timore, ne quid impie locutus viderer, quod periculum tollit latina consuetudo, sed ne orationem inepte tot translationibus onerarem, et simul ut vitarem invidiam verbi auribus barbaricis inusitati.

VIII. Sed haec missa faciamus, quae tu parum tibi suffragari conscius, cogeris rursus illud alterum perfugium experiri, ut Paulum contendas, quamvis irasci sine peccato potuerit, non tamen iratum fuisse, nec dixisse convicium: illud testibus, hoc ratione quoque defendens. Nam *convicium*, auctore Labeone, nullum esse contendis, cui absit injuria et contumelia; ita fieri, ut nemini nec Christus, nec qui vicaria ejus potestate fungebantur, convicium dixerint, quamvis saepe dixisse turbae ignarae viderentur. Quid, Cane, vir religiose et gravis, ad istas me vocas verborum pugnas, quibus nos in Timotheo Paulus implicari vetat? *Convicium* a jureconsultis ita definiri, ut proprie cum injuria et contumelia esse intelligatur, negare non possum; sed et a Philosopho scio, *Ethicor. V.* sic definiri, ut id boni et aequi finibus contineri decernat: tamen alia est subtilitas, cum verbi proprietas definitione limatur; alia cum ad communem consuetudinem accomodatur oratio, cujus ut loquendi, sic et intelligendi, publicae consuetudinis tanta vis est, ut hac quasi norma in orationibus

Digitized by Google

bus dubiis interpretationem dirigere Pontificia lege jubeamur. Cap. *Ex litteris de sfons*. Criminum autem seu vitiorum exprobrationem quis nescit, tum *probrum*, tum *maledictum*, saepe *convicium*, tamquam idem significantibus verbis latina consuetudine nuncupari? De qua ipse consuetudine si parum habes exploratum, auctores consule latini sermonis; aut si hoc tibi per tuas magnas occupationes non licet, Calepinum nosti, neque Perotum et utroque copiosiorem Robertum ignoras: ab his poteris vel in maximis occupationibus edoceri.

IX. Quid quod Augustinus ipse, cujus me urges testimonio, in verbis Pauli, si simpliciter accipiantur, convicium inesse testatur, cum dicit, *parum intelligentibus*, id est, prophetiam non videntibus, *convicium sonat*; cum tamen Palum juste fecisse nemo ignoret. Quomodo enim Augustini dictum sit accipiendum, Gregorius in *Ezechielis* lib. 1. docet his verbis: *Quae parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam in altum ducunt.* Item in alio loco: *Paucorum*, inquit, *est fortia et occulta cognoscere; multorum vero historiae aperta sentire.* (*Job* 1. c. 21.) Sed ut prophetica ista interpretatione explicati, liberius agamus, planius exemplum proponam. Paulus ad Paphum cum Mago Elinia congressus, his verbis hominem incessit: *O plene omni dolo et fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiae.*

X. Obsecro te, si hoc ego in loco, ubi nulla est prophetiae suspicio, publicam consuetudinem secutus, a Paulo dicerem improbum hominem convicio fuisse vexatum, qui caecitate quoque fuit ab eodem multatus, quis me perperam locutum esse diceret? Nemo, inquis, for-

Digitized by Google

fortasse popularium, qui non intelligunt convicium non esse, quod injuria caret et contumelia. Dic igitur me non proprie ad exactam et subtiliorem doctissimorum normam, sed populariter fuisse locutum; et aliquid fortasse dixisse videberis, sed parum perspicacibus. Nam qui vident acutius, contumeliam quoque in maledicto cernunt, quae hoc gravior est, quo majoris auctoritatis is, a quo infertur. Ab homine enim privato, tamquam ab inimico convicium falso jactari videri potest; a viro autem gravissimo, qui magna potestate praesit, vere et magna ratione dici omnes putabunt: quod contumeliam plurimum auget et infamiam. At abest injuria: probe me judice narras. Sed cum malorum improbitas justis verberibus et infamia aut exsilio coërcetur, ne tunc quidem hae res verberum et infamiae exsiliique nomen amittunt.

XI. Adde quod injuriae duplex est intellectus: unus qui patet latissime, et ad omnia pertinet, quae contra jus et leges in alterum fiunt; alter, cum ad dedecus tantum et contumeliam refertur; ut in titulo *de injuriis, et famosis libellis*, ad quam intelligentiam illa de convicio Labeonis explicatio revocanda est, quae huc pertinet, ut qui alteri convicium dixerit, in hunc actionem injuriarum dari intelligatur, quasi dedecus et contumeliam intulerit; qui si jure id a se factum fuisse docuerit, omnium judicio liberabitur. Hoc enim modo fieri potest, ut injuria quisque sine injuria afficiatur: id est, ut juste contumelia et dedecore coërceatur, non secus, ac si quis jure infamia notatus fuisse diceretur: quae ratio facile omnes tuas munitiones et machinas dejicit

ac

Digitized by Google

ac demolitur. Nisi quod ingeniosa illa et gravissima ratio a verbi etymologia ducta, quam loco velut triarios collocasti, nimis vereor ne disjectam aciem restituat. Haec sunt enim verba tua: *Quod si tibi magis Laurentii etymologia placet, ut dicatur* convicium *quasi cum vitio, numquam vel sic effugies, quominus aut convicium fuisse neges, aut vitium fuisse fatearis. Nulla autem ratione consistit, quod vitium admiserit, et quod, ut tu ais, pro rectae rationis imperio loqueretur.* Hoc est igitur inevitabile telum, quo nos figere ac prosternere magna fiducia moliris. Sed me recreat, quod interdum videmus, letales plagas corporis declinatione vitari. *Convicium* a *vitio* ductum fuisse, non mihi videtur improbabile: non tamen video, cur ab ejus vitio, qui maledictum jacit, quod saepe fit non vitiose, nonnumquam etiam cum laude jacientis, ducatur; et non potius ejus, cui vitia et crimina per maledictum exprobrantur, quod semper fit in convicio, sive jure hoc, sive per injuriam fiat.

XII. Sed ad testes veniamus et sanctarum Scripturarum enarratores. Augustinum profers et Chrysostomum, neque Erasmum praetermittis, qui verba factumque Pauli in mitiorem diversumque sensum interpretantur. Rabbanum quoque ostentas, Bedamque, et alios quos taces, qui ut prophetiam asserant, convicio rejecto, non *percutiat* legunt, sed *percutiet*. Quas copias cum recensuisti, magnis spiritibus sumtis, mihi velut omni auxilio destituto, et ab amicis ac patronis inopi paulo ferocius insultans: *Profer*, inquis, *vel unum ex quavis classe, qui tecum sensisse videatur, et causa me cecidisse fatebor*. Scio, Cane, et quidem meis malis edoctus, quam

periculosum sit inopem ab auxiliis in certamen descendere, etiamsi honestissimam causam tueatur. Erit tamen officii tui atque personae, ut in hoc certamine, quod turpe est, cupiditate aut odio, et non potius investigandae veritatis gratia, susceptum videri, sincere agas, nec jura caritatis contemnas, quae Paulo auctore *non agit perperam, non est ambitiosa, et congaudet veritati*. Itaque non patitur fratres de veritate aliqua dissentientes callide agere, nec adversarium arte circumvenire, aut versuta tergiversatione frustrari; quod non obscure facit, si quis, quod caput est controversiae, consulto vitans, extra campum evagetur.

XIII. Eadem verba Scripturae sanctae multa sensorum genera, et interdum in quoque genere varias intelligentias recipere, nemo ignorat: et, si auctores poscis, hoc Augustinus *de Doctrina Christiana* lib. 3. et *Confessionum* 12. testatur. Hieronymus in *Ezechiel.* lib. 5. et epistolis *ad August.* quarum intelligentiarum alius aliam magis probat: *Unusquisque enim*, ut ait Paulus, *in suo sensu abundat, alius quidem sic, alius autem sic*. In quam sententiam sic Gregorius quoque disserit lib. 3. epist. 101. *In intellectu*, inquit, *sacrae Scripturae respui non debet, quidquid sacrae fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alii muraenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt, ita ex una Scripturae scientia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quae tamen omnia ad decorem caelestis sponsae proficiunt*. Itaque tibi a mea explanatione dissentienti facile respondere possum Hieronymi verbis, quibus Augustinum, qui in dissensione, ut tu, palinodiae mentionem fecerat, alloquitur.

Non

Digitized by Google

Non sum, inquit, *tam stultus, ut diversitate explanationum tuarum me laedi putem, quia nec tu laederis, si nos contraria scripserimus.* Quod si quandoque, ex intelligentiis quae sit commodissima, eruditorum contentione disceptatur, ego tamen numquam meam intelligentiam in aliarum invidiam laudavi in eo, de quo, dum aliud agerem, memoravi.

XIV. Quid me ad hoc genus disputationis vocas? Et ab eo conaris avertere, quod proprium est et caput nostrae dissensionis? Quae nobis orta est ex injusta tua criminatione, nolo enim dicere calumniam, nam fortasse errore magis quam malitia ductus es, qui meum sensum in Pauli facto atque verbis explicandis, ut non modo falsum, sed etiam non ferendum, et palinodia dignum esse jactaveras. Meus igitur ille sensus expugnandus tibi erat et convincendus, ut a pietate et catholica veritate alienus, non quasi vel parum commodus, vel etiam falsus rejiciendus, quo pertinet tota libelli tui molitio et apparatus. Non enim si quis minus probabile theorema proponat, protinus sit infamia notandus. Quam saepe a Platone magistro Aristoteles dissentit? Jo. Scotus a Thoma? Ut interdum Augustinus a Hieronymo, ut videri sit necesse alterutros errare? At nemo umquam ipsorum palinodiam canere compulsus est. Cum igitur me nihil, quod impie abhorreat a catholica veritate scripsisse constet, et ipse mea superiore epistola convictus fatearis, perorata mihi causa est, et doctis omnibus probata.

XV. Sed quoniam me tam confidenter ad illam alteram quaestionem vocas, ne non jure, sed infirmitatis

Digitized by Google

conscientia negotium videar recusare, quo vocas venio, et ostendam, ut spero, me non solum non impio, sed ne falso quidem aut improbabili sensu Pauli verba atque factum exposuisse, nec probabili solum, sed etiam commodissimo. Paulum nec iratum fuisse, nec dixisse convicium, quosdam magnos viros interpretatos esse dicis. At omnes, qui rem gestam simpliciter intuentur, utrumque concipiunt animo: *Homines*, inquis, *indocti et populares mystica verba auctore Augustino simpliciter concipiunt.* Cur me igitur non permittis ad popularem et publicam intelligentiam historicum sensum accommodare, eodem Augustino auctore? qui alio in loco (*sup. Genesim ad lit.* 8.) sacram Scripturam, cum nulla ratio proprie res ipsas intelligere prohibet, simpliciter primum interpretandam esse testatur, deinde mysteria perscrutanda. Cum igitur ille meus sensus nulla ratione vel impietatis vel absurditatis excludatur, et aptissime communi hominum intelligentia rei gestae commemorationi et litteris ipsis accommodetur: quid obstat, quominus, ut historicus et litterarius primo loco statuatur? Cujus historici sensus haec certe praerogativa est, ut ab eo solo argumenta ducta valeant Theologorum consensu, ut Thomas docet *part.* 1. *q.* 1. *art.* 10. Augustinum secutus, qui ad Vincentium scribens, impudentissime facere testatur, si quis quod in allegoria positum est, pro se facere contendat, nisi habeat, inquit, manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura, ex historico scilicet sensu, ut Thomas idem interpretatur. De cujus item sensus praestantia sic idem Augustinus in lib. *de gen.* 9. *Man.* 2. disserit: *Si quis voluerit omnia,*

quae

Digitized by Google

quae dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere, quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicae praedicare; non solum ei non est invidendum, sed praecipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Cum igitur huic meo sensui aptissime rem gestam explicanti nihil tale objici possit; cur ei tantopere invidetur? Aut quid obstat, quominus praecipuus, id est, primo loco statuendus, et laude dignus habeatur? Praesertim in novo testamento, et extra parabolas?

XVI. Quid igitur alii prodiderint, qui relicto historico sensu, in allegorico versantur, non laboro; hic enim meus historicus est, et qui rejici nulla ratione possit. A quo ne illi quidem abhorrent, qui Paulum non ira impulsum, sed officio ductum esse, nec jecisse convicium, sed libere objurgasse tradunt. Mansuetus enim cum irascitur, non abstrahitur ab affectu, ut Philosophus docet *Ethicor.* 4. sed tunc quoque paulo quidem concitatior, officium tamen sequitur, ut merito non ira, sed dominante ratione ductus esse censeatur. Adde quod ira duplici genere continetur, auctore Thoma in *Epistola*, quae est ad Ephesios, c. 4. *Mala, quando*, ut verbis ejus utar, *inordinate tendit ad vindictam, scilicet contra justitiam; bona vero, quando in vindictam debitam, scilicet quando irascitur quoniam oportet, et cum quibus, et quantum oportet.* Hactenus Thomas. Auctores igitur Paulum a mala ira, in qua peccatum inest, asserere volunt, non a bona, quae virtutis est adjutrix et ministra. Eodemque modo convicium duplex esse dici potest: bonum, quod juste fit; malum, quod per inju-

riam

riam jacitur, a quo Paulus jure ab his auctoribus, quos memorasti, vindicatur; a quibus illud alterum, quoniam cum virtute fit, ut invidia verbi, quod plerumque in pejorem partem accipitur, evitetur, mitiore vocabulo, sed alieno objurgatio libera nominatur: Ut *Strabonem appellat paetum pater; et pullum, male parvus si cui filius est.* Objurgatio enim, quae eadem castigatio dicitur, contumelia vacare debet, ut placet viris prudentissimis: ut quando de voluptate sermo est, cum vis hujus nominis, ut Graece, sic item Latine pateat latissime, et ad animi etiam honestissimas suavitates pertineat; quia tamen plerumque ad corporeas quasi titillationes refertur, illas animi honestas jucunditates, laetitias interdum quidam malunt quam voluptates nominare: *Ne*, ut Cicero ait, *invidia verbi labefactetur oratio*. Nam qui ingenua libertate loquuntur, Latine voluptates, Graece ἡδονὰς vocare non reformidant, ut passim Aristoteles in *Ethicis*: quo etiam auctore docemur, virtutes interdum inopia vocabuli vitiorum nominibus appellari, ut idem in ea, quae ambitioni opponitur, usu venire testatur: ut intelligas vel hac una ratione contumeliosam castigationem convicium recte nominari.

Horat. lib. 1. sat. 3.

XVII. *Sed Beda*, inquis, *et Rabbanus, ut prophetiam tueantur, convicium tollant, non* percutiat *legunt, sed* percutiet. Quid ni legant? Cum ita sit e Graeco fideliter conversum? Sed hanc ipsam loquendi formam imprecationi hoc quoque in loco, ut saepe alias, accommodari testes sunt, ut mox docebo, Hieronymus et Augustinus, quos auctores esse meae sententiae spero me tibi et doctis hominibus probaturum, ut jam intelligas,

te

te non solum ratione et testibus superatum, sed causa quoque, tua confessione cecidisse. Augustinus *in Faustum* lib. 22. ita scribit: *Apostolus palma percussus potius Deum rogavit, ut injurioso homini in futuro saeculo parceretur, in praesenti autem illa injuria non inulta relinqueretur, quam praebuit ferienti alteram partem.* Cujus orationis summa est, Paulum contumelia lacessitum Ananiae temporarium malum fuisse imprecatum, quamvis non vindictam, sed correctionem spectaret. Hieronymus autem paucis verbis et plura et graviora complexus est, qui oratione Pauli commemorata: *Ubi est*, inquit, *illa patientia Salvatoris?* uno verbo Paulum impatienter contumeliam tulisse apertissime declarans: ut non solum iratus, et malum imprecatus, Ananiaeque convicium dixisse, sed haec omnia impatienter fecisse, auctore Hieronymo, judicio omnium intelligatur. Quam tamen impatientiam in injuria, quae maxime Christum attingeret, fuisse justam et piam epistola superiore declaravi.

XVIII. Tu tamen, ut video, exaestuans, cum summi et sapientissimi viri testimonio tuam causam labefactari cerneres, vir magni tum animi, tum etiam consilii concedendum non putasti; sed ingeniosam et expeditissimam rationem iniisti, qua te parvo negotio his et similibus rerum angustiis explicares, et nodum, quem solvere non poteras, tua illa, quam nobis ostentas, Tenedia securi dissecuisti: *Aliud est*, inquis, *adversarium vincere, aliud discipulum docere.* Quibus verbis ex ejusdem Hieronymi *Apologia* sumtis, subobscure quidem dicis, sed ut facile possit intelligi, aliud oratione Hieronymum ostendisse, aliud occultasse animo: scilicet ne homo

mo

mo modestus sine circuitione diceres ipsum fuisse mentitum.

Macte virtute nova, sic itur ad astra.

Quis enim tibi cum isto tam praeclaro invento in disputationibus par esse possit? Quo, si quis tibi Aristotelem produxerit, poteris eum tamquam adulatorem Alexandri, et quamquam orsus a puero in optima virtute consenuit, velut improbum tamen rejicere. Si Hieronymum nominaverit, in eo persta quod coepisti. Nam quod semel cum Joviniano disputantem ipse se fecisse non negat, idem in omni disputatione fecisse videri poterit. Si Gregorium allegaverit, unam ex quatuor Ecclesiae tamquam columnis, et summum Dei Sacerdotem, bella probantem, quae gentibus impiis a Christianis inferuntur, ob id modo ut subjectis praedicetur Evangelium, hunc quoque dicere licebit hominem tamen fuisse, ut errare potuerit.

XIX. Sed cum sic Hieronymum in hac causa rejeceris, Erasmo quid facies, quem tibi patronum cum ceteris comparasti? Is enim tam aperte in libro *de ratione verae Theologiae* sententiae meae suffragatur, ut nullum locum calumniosae interpretationi relinquat his verbis: *Paulus una maxilla percussus adeo non exhibet alteram, ut pro alapa convicium impingat Pontifici judici, non ita multo mitius alapa.* Atque haec quidem Erasmus, non vincendi, sed docendi causa scripsit. Sed hunc quoque jam poteris velut causae praevaricatorem, aut etiam, Gingolpho magistro nostro auctore in *Dialogo*, tamquam *Sesquihaereticum* rejicere. Non igitur tam inopes sumus a patronis et testibus, quam ipse putasti, doctissime et prae-

Digitized by Google

praestantissime Cane: nolo enim tua modestia, de qua loco mentionem fecisti, ne mihi de tua honorifica appellatione tumidius blandirer, meam liberalitatem superari.

XX. Jam venio ad mei libelli judicium, de quo quia memorans ipse in me paulo liberius agis, ego quoque quid sentiam, paulo liberius explicabo.

XXI. Dicis te auctorem quidem non fuisse, non tamen abhorruisse ab illo decreto Salmanticensi, ut editio meo libello pernegaretur, nec te consilii hujus poenitere. Hoc ut justius facere videaris, Salmanticensis gymnasii, cujus auctoritatem secutus esse videri vis, mihi majestatem opponis. Ego, Cane, Salmanticensem et Complutensem academiam tantum abest ut contemnam, ut suspiciam potius, et magna veneratione colam; sunt enim in utraque viri gravissimi, et omnis generis doctrina praestantes; quamquam in omni arte vel studio, vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, ut Cicero de Philosophia scribens testatur, optimum quodque rarissimum est. Ego tamen, si quid paucorum artificio factum sit, id numquam publico consilio factum fuisse, nec injuriam ab uno vel altero profectam, ad multorum culpam pertinere putabo.

XXII. Sed faciamus, non paucorum ex iis, quorum judicio res permissa est, sed omnium suffragiis aliquid in meum librum fuisse constitutum, quod ego paucorum malitiae, ut quandoque accidit, factum fuisse mihi persuadeam, vel etiam habeam exploratum. An mihi non liceat accepta injuria dolere, et ad sanctius superiusque tribunal provocare? Scilicet exempla nulla

suppetunt, quibus doceamus, majores etiam academias vel errasse in rerum gravissimarum judicio, vel, quod gravius est, consulto aliquid statuisse contra manifestam veritatem? An, ut vetustiora omittantur, ignoramus, aut obliti sumus, a maximo illo et celeberrimo gymnasio Parisiensi quid nuper in Britannica matrimonii causa post longam et magnam contentionem contra universalis Ecclesiae et Summi Sacerdotis gravissimum judicium pronunciatum fuerit, meliore et saniore parte a pluribus pretio corruptis superata? Scholastica gymnasia memoro. Idem constat quibusdam Episcoporum Conciliis accidisse, ut Mediolanensi, Ariminensi, et Ephesino secundo, in quibus probi et simpliciores Episcopi improborum et callidorum dolo et fraude decepti et superati fuisse monumentis Ecclesiasticis memorantur. Quae causa fuit, ut his Conciliis ab universali Ecclesia fides et auctoritas abrogaretur. Cum igitur in hominum probatorum ac eruditorum coetu bono ac simplici animo res geritur, et studio justitiae ac veritatis, maxima est doctae et piae multitudinis auctoritas; sin autem avaritia vel ambitio et similia mala dominentur, omnis dignitas auctoritasque corruit.

XXIII. Placet igitur Salmanticensem et Complutensem academiam nomine avaritiae vel ambitionis condemnare? Minime vero placet. Fuisse tamen qui judicum animos precibus, epistolis, et callida oratione multifariam utrobique solicitarent, ne ipsi quidem diffitentur. Quosdam porro eorumdem judicum sic se gessisse, ut repugnantis animi pertinacisque magnam hominibus suspicionem moverint, ne hoc quidem dubitari

po

poteſt. Si conjecturas quaeris, non me pigebit quaedam commemorare. Cum ego Compluti cum quodam primi ordinis Theologo amico tuo quaeſtionem diſputarem, et ille, me urgente, ad quaſdam ſophiſticas et leviſſimas cavillationes confugeret: *Nonne*, inquam, *vides*, *vir doctiſſime*, *nihil eſſe quod dicis*? Tunc ille arridens: *Sic*, ait, *tibi reſpondeo*, *ut ſcias nihil non his ſimile te ab iſtis Complutenſibus doctoribus auditurum*. Sed haec inter initia. Poſtea vero cum jam omnis machinationis architectus adeſſet, et doctorum animos callidiſſime pertractaſſet, qui hujus rei gratia ex longinquo, quaſi furiis agitatus advolaverat; idem tuus amicus, majoribus ſpiritibus ſumtis, cum diſputatione repetita Auguſtini teſtimonio a me acrius urgeretur; *Perſtabo*, inquit, *in ſententia*, *etiamſi aliter ſentiat Auguſtinus*. Atque haec quidem Compluti.

XXIV. Salmanticae vero, ne quid me in alio finxiſſe cauſeris, quid tu et ego, cum vir doctiſſimus et graviſſimus Diecus Neila, Canonicus Salmanticenſis, communis amicus adeſſet, fuerimus collocuti, referre, et tibi conſiderandum proponere, non gravabor. Produxeram ego Ariſtotelis dogma ex primo libro *de Repub.* quod ille fundamentum ſtatuit totius politicae doctrinae, qua lege naturali cum tu cauſam tuam labefactari animadverteres, id Ariſtotelem in gratiam Alexandri Macedonis barbaros bello perſequentis prodidiſſe reſpondiſti. Tum me graviſſimi viri auctoritati patrocinante: *Immo vero*, inquis, *improbus fuit ac vitioſus*: oblitus ſcilicet hominem orſum a puero continente ſtudio, in optima virtute, et optimarum rerum contemplatione, quae habitu ingenerato maxima, non ſolum honeſtiſſi-

ma jucunditas est, consenuisse, ut nec corporeis voluptatibus ad se oblectandum indigeret, etsi locus eis, qui nullus supererat, magnus relinqueretur. Deinde cum ego Gennadium, Exarchum Africae a Gregorio sapientissimo viro et Pontifice religiosissimo laudatum dicerem, quod gentibus impiis frequenter bellum inferret, ob id tantum, ut subjectis praedicaretur Evangelium; ipse cum Mahumetanis, qui Christianos infestarent, ea bella gesta fuisse causatus es. Sed admonitus a me, nondum illis temporibus ortam esse Mahumetanam sectam; cum exitum non invenires, in hanc sententiam sermonem conclusisti: *Quid tum postea, si Gregorium habeas auctorem?* Quibus et aliis similibus responsis quantam repugnantis et obstinati animi suspicionem dederis, quid ego te edoceam, qui quam te vir gravissimus et modestissimus, qui aderat, ferre nequiverit, et in quae verba proruperit, vidisti? Quae verba utinam, aut ille numquam dixisset, aut tu minus alta mente reposuisses. Quamquam ego non suspicionibus, nec conjecturis, sed certis rebus adducor, perperam fuisse contra meum libellum judicatum.

XXV. Primum, quoniam mea sententia Evangelio, et ejus Augustini, Ambrosii, Gregoriique declarationibus nititur, et tum vetere facto et decreto Ecclesiae, tum etiam recentiore fulcitur. Deinde quia quae vos affertis, merae cavillationes sunt, et veterum haereticorum strophae, quibus illi adversus piam, et justissimam vim ab Ecclesia haereticis et paganis illatam utebantur, ab Augustino (tribus epistolis 48. et 50. et ultima) cum Christianorum omnium approbatione gravissime con-

confutatae, et illud in primis, quod vos maxime de Evangelio, et exemplo Christi et Apostolorum, deque miraculorum compulsione jactatis. Tum quia nemo, qui vel ante vel post mirificum vestrum judicium me de his rebus disserentem audierit, aut summam quaestionis a me confectam perlegerit, meam sententiam non probavit. Commemoravi tibi epistola superiore tres primarios Theologos, Castrum, Moscosum, et Honcalam: nunc tibi proferre possum Valladolitenses omnes omnium ordinum Theologos, perpaucis Dominicanis, qui in verba magistri jurarunt, exceptis, Toletanos item, Cordubenses et Hispalenses: quorum non modo tibi, sed omnibus etiam propter egregiam doctrinam notissimi sunt ex tua Dominicana familia Petrus Sotus Caroli Caesaris Confessor, Alfonsus Ferrera ejusdem Concionator, Diecus Victoria, item Thomas Petrochiensis, et Augustinus Sbaroya, quorum alter Toleti, alter Hispali Thèologiam docet, et Cordubensis coenobii praefectus Martinus Mendoza, ac ne ceteros recenseam, Michaël Arcus ad Baeticam praefectus Provincialis, cui tu cave quemquam nostrae nationis Theologorum vel doctrina vel gravitate praeferas; et huic tum doctrina tum auctoritate similis Dominicus a Sancta Cruce cognominatus, ad Castellam et ipse praefectus Provincialis. His adde pares doctissimis Theologis Ludovicum Carvajalum coenobii ad Hispalim praefectum, et Jo. Aegidium, qui Salmanticae ex cathedra Theologiam docet. Nam Petrum Ortisium summum Theologum, in cujus obitu nuper studia Theologica jacturam magnam fecerunt, a quo in primis meus liber perlectus, et sententia magnopere pro-

probata fuit, silentio praetereo, ne mortuos extra scripta testes, a quibus, si mentiar, refelli non possim, callide citare videar, quamquam judicii ejus testes superstites nominare possem.

XXVI. Ex juris autem Pontificii peritis, quid ego nominatim eos memorem, qui nostrae sententiae suffragantur? Cum neminem hactenus convenerim, (conveni autem plurimos et doctissimos) qui causa cognita, et rationibus perspectis, meam sententiam non probaret: quamquam Salmanticenses quidam, ut video, suum judicium alienae auctoritati praetulerunt, ut res ipsa optimi et gravissimi viri vaticinium comprobaret, qui nobis praedixerat, Jureperitos Salmanticae Theologis in eo judicio, Theologos monachis esse concessuros. Sed cum ceteros taceam, non est mihi silentio praetereundus vir doctrina et auctoritate summus Fernandus Valdesius Archiepiscopus Hispalensis, et idem Inquisitor generalis, qui librum semel et iterum perlegit, et cui ab initio notissima sunt omnia. Hic enim in gravissimorum et doctissimorum hominum consensu, de hoc meo libro, cum sermo incidisset, memorans: *Profecto*, inquit, *multo magis ex officio facerent, qui editionem hujus libri impediunt, si darent operam, ut grandioribus litteris excusus ex pulpitis per omnem Hispaniam praedicaretur.*

XXVII. Nam quod ipse jam nunc Regii Consilii censuram timens, negas Jureconsultorum esse judicium de re Theologica constituere; causa haec de justitia belli barbarici non minus juris utriusque peritos, quam Theologos attingit: et alioquin cognitis Theologorum ex utraque parte rationibus, quas ego in summam quaestio-

stionis fideliter et accurate contuli, facile poterit vel mediocriter doctus judicare, nedum viri sapientissimi, et plurimum in decretis ecclesiasticis, quibus res maxime nititur, versati, qui examen libelli mei, cum nulla tum esset sinistra suspicio, non sua sponte, sed me per libellos poscente, nec de belli barbarici justitia dubitantes, quae jam ipsis a quatuor doctoribus, duobus Theologis, et totidem Jureconsultis fuerat declarata, ad vos rejecerunt; sed quo liber, ut a ceteris fuerat, sic a vobis comprobatus, cum majore auctoritate ad multorum utilitatem ederetur. Postremo, ut locum non mea, sed omnium, qui rem liberis animis intuentur, sententia concludam: quis est tam impudens, et tam veritatis inimicus, ut meam sententiam, quae eadem est jure utroque consultorum communis, et Thomae Scotique doctrinae convenientissima, et Evangelio sacrorumque doctorum convenientibus testimoniis, et Ecclesiae vetustis et novis factis atque decretis et auctoritate fulcita, saltem probabilem esse neget? quamvis opposita, quae jam, rebus omnibus et fundamentis nostrae cognitis, praesertim Ecclesiae factis et decretis, non potest sine magno incommodo et periculo pertinaciter defendi, ut sentiet fortasse aliquis, nec ita multo post, probabilior vobis esse videatur: ut multa Thomae pronuntiata probabilia sunt, quibus contraria Scoti familiaribus videntur esse probabiliora, et multa Scoti, quae Thomae studiosis non probantur, nec tamen propterea alterutrius libri rejiciuntur.

XXVIII. Si ergo nostra sententia probabilis est: quis propterea quod non sit demonstrationibus mathe-

ma-

Digitized by Google

maticis conclusa, credat potuisse a doctis hominibus Hispanis in suorum Principum et nationis singularem infamiam et magnum totius Christiani orbis scandalum, sine summa vel caecitate vel (ne quid gravius dicam) pertinacia, sive utroque rejici librum, judicio omnium et certe vestra confessione docte et culta oratione conscriptum, et cum a ceteris omnibus, tum a quatuor judicibus optimis et doctissimis viris, nominatim et sigillatim datis, magno consensu probatum, nihil fidei Catholicae contrarium, nihil quod vel pusillorum animos offenderet continentem? Cum nec lege nec more Christianorum quidqùam aliud, quam ne quid impium haereticumve, aut quod scandalum pariat, insit, in libris edendis spectetur.

XXIX Quod igitur optare te, nescio quam sincere, ostendis, ut aliquando haec a nobis citra pertinaciam disputentur: utinam, mi Cane, is dies nobis illucescat. Nam quid ego jam pridem ago et postulo, nisi ut ibi disserentes audiamur, ubi datis pro rei gravitate judicibus, incorrupte judicemur; nec ego eosdem habeam judices, et eosdem adversarios? Nam quod quemlibet vestrorum Theologorum nobis respondere posse jactas, quid respondeatis scimus; sed vestrae responsiones nemini gravi ac erudito probantur. Profertis nobis pro Evangelio strophas veterum haereticorum, Evangelium et exemplum Christi in suum sensum detorquentium; nos vobis Evangelium allegamus, ut est a sacris doctoribus et ipsa Ecclesia factis et decretis declaratum. De scriptoribus Cajetanum et Franciscum Victoriam memoratis, quos partim a nobis esse, partim errasse meus libel-

bellus apertiſſime declarat. Contra hos ipſi Auguſtinum, Ambroſium et Gregorium, Thomam, Scotum, Nicolaum Lyram, ut ceteros juniores taceam, et juris Pontificii peritiſſimum, et graviſſimum quemque nominamus. Vos Salmanticenſes et Complutenſes, id eſt, paucorum hominum ſub Univerſitatis nomine ſententiam oſtentatis; his nos reliquam omnem Hiſpaniam opponimus.

XXX. Quod igitur ais, hanc ſcribendi operam in alio argumento utilius me potuiſſe ponere; ego non video, qua in re vel utilius vel gravius elaboraſſem, quam in pernicioſo et late patente errore convincendo, et optatiſſima veritate quorumdam ingeniis obſcurata et diu ignorata illuſtranda, et in apertam lucem aſſerenda. Quo per me facto, gratulandum erat publico bono, et aſſerta veritas fovenda et amplexanda, non leviſſimis cavillationibus in noſtrorum Principum noſtraeque gentis infamiam oppugnanda.

XXXI. Reſpondi ad ſeria: nunc ad ſales, quibus me non parum, ut tibi videris, acute conſpergis, illud vel maxime innuens, me in meorum ſtudiorum commemoratione, deque ipſis doctorum hominum teſtimoniis proponendis parum graviter fuiſſe verſatum, quaſi turpe ac praeter graviſſimorum virorum conſuetudinem ſit hac ſibi ratione adverſus invidorum obtrectationem patrocinari, ne quis forte ignoratus in contemtum veniat, neve ipſius ſalutaria conſilia praeceptave minus habeant vel fidei vel gravitatis. Fecit hoc apud Homerum Neſtor et Ulyſſes; apud Virgilium Aeneas et Turnus. Sed ut poëtas omittamus, quamquam his

testibus velut sapientibus hominibus saepe utuntur gravissimi Philosophi ad suas sententias confirmandas, Samuel, cum Hebraei, contemta ipsius senectute, et per filiorum odium Regem petivissent, non paucis verbis apud populum suam innocentiam et virtutes commemorat. Salomon multa de suo ingenio et indole, deque sua sapientia et gloria refert. Hieronymus ab Augustino in dissensione de dicto Pauli in epistola ad Galatas provocatus, a suis laudibus non abhorret, suasque vires etiam in senectute validis Entelli lacertis comparat. Quid Paulus, Doctor gentium ac omnis virtutis magister? Nonne in epistola, quae est ad Corinthios secunda, multa de suis laudibus praedicat? *Sum*, inquit, *imperitus sermone, at non scientia.* Et item: *Semen Abraham sunt; et ego: ministri Christi sunt*, ut minus sapiens dico, *plus ego.* Et paulo post: *Nihil minus feci ab iis, qui erant supra modum Apostoli*: qui gloriatur igitur, in Domino, id est in veritate, et cum res postulat, glorietur, nec obtrectatorum calumniam extimescat, in promtu enim fuerit iis Pauli verbis respondere: *Si factus sum insipiens, vos me coëgistis.*

XXXII. Quod autem Italorum humanitatis, doctrinae ac moderationis commendatione mea offensus, me solum vertere jubes, et Italum pro Hispano agere, aequus esto verborum interpres: non enim ego in Hispanorum invidiam Italos commendavi, sed ut innuerem, quae ab humanissima et doctissima natione in meis studiis laudantur, haec a quibusdam meae gentis ob eam fortassis aemulationem, quae figulis cum vicinis figulis esse solet, non perinde probari: a quo vetere proverbio

Digitized by Google

bio non abhorret illud Evangelicum: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.* Adde quod cuiquam nationi suae virtutes et vitia sunt, quas virtutes aemulari magis ceterae gentes debent, quam invidere, et contra, vitia declinare. Italorum igitur virtutes, quas decuit et potui, in mea longa peregrinatione aemulatum me fuisse, et vitia facile constanterque vitasse prae me fero, nec erubesco praedicare.

XXXIII. Hispanorum meorum multas item virtutes et praeclaras, non voce tantum, sed scriptis etiam jam pridem editis celebravi: idem ejus urbis alumnus esse glorior, qui Senecas progenuit, et ceteros magnos viros, quos memorasti. Sed Hispanorum vitia, siqua sunt, quae utinam nulla essent, aut quam minima, probare non possum, nec siquis curta cujusque generis supellectile, reque tenui Croeso locupletior sibi esse videtur, et ceteros arroganter contemnit. Quod vitium nobis utinam minus vere a ceteris nationibus objiceretur. Cujus nostrae nationis odium aut contemtum a quo, vel quo in loco mihi objici minus conveniebat, quam a te in eo libello, ubi te, si non auctorem, at certe participem fuisse gloriaris ejus sententiae, qua nihil hostilius Hispanae genti fingi potest, nihil quod magis ad ipsius infamiam pertineat? Nostri enim Principes universalis Ecclesiae auctoritatem, et Constantini Imperatoris religiosissimi, et Gennadii ducis Christianissimi exemplum secuti, negotium susceperunt, pio bello gentes idolorum cultrices Christianorum imperio subjiciendi, ut sublato daemoniorum cultu, quo Deus maxime blasphematur, potestate quoque Evangelicae praedicationis impediendae

privarentur. Quo facto gentes innumerae Christianam pietatem acceperunt, et quotidie accipiunt; de quarum sempiterna salute multo magis laetandum est Ecclesiae, quam dolendum de interitu eorum, qui temporariam mortem, jam pridem scelere et impietate sua meritam oppetierunt: quamvis id factum fuerit per quorumdam militum crudelitatem et avaritiam, quam liber meus maxime detestatur: fieri enim posse, ut per malos homines divina providentia et puniat et opituletur, qui mali homines Dei voluntatem ignorantes, non justitiae, quae refertur ad Deum, sed suae pravae voluntatis mercedem accipiant, Augustinus est autor, (libro *quaestionum* 83. q.27.) qui alio loco (*epist.*85.) magis dolendum esse dicit, si una anima sine baptismate de corpore exeundo perierit, quam de morte corporum innumerabilium et innocentium. A vobis tamen sic eorum Principum pium factum judicatur, ut ipsi tyrannidem in barbaros, milites vero Hispani, qui eorum auspiciis bellum sacrosanctum gerunt, publicum latrocinium exercere, quamtum est in vobis, convincantur. In qua infamia depellenda ipse jam pridem sum occupatus, et hujus rei causa praelia sustineo.

XXXIV. Quod vero ais, nihil esse difficilius, quam se ipsum cognoscere, quis hoc possit negare? Sed idem quam in me conveniat, qui post illam, quae te tantopere offendit, meorum studiorum commemorationem me in alta rerum ignoratione versari, et multis laboribus parum profecisse, epistola superiore professus sum, viderint aequiores. Sed tu forsitan, quod ego scripsi, tunc me aliquid mihi esse videri, cum me cum quibus-

Digitized by Google

busdam confero, qui re tenui sibi et suis ditissimi esse videntur: id a me universe dictum, in te jactum interpretaris, et qui fortasse prae te ceteros fungos esse putas, ut alienis laudibus offenderis, sic indignaris, quod tuae divitiae tantopere a nobis ignorentur, et quisquam tibi comparatus aliquid esse videatur.

XXXV. Haec mihi in mentem venerunt, Cane doctissime, quae ad tuam epistolam responderem, pleraque scilicet serio, sed nonnulla joco, simul ut tuos lepores aliqua ex parte imitarer, simul ut intelligas, haec me non irato aut aegro, sed tranquillo et hilariore animo scripsisse. Nos enim, ut haec quoque serio et verbis prudentissimi viri dicam, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus. Nec reprehensiones inter se disserentium, eodem auctore, vituperandas putamus, modo absit convitium et contumelia, bonis omnibus et gravibus vitanda, qui, cum diversa placent, et debent et solent sine acerbitate et odio dissentire. Quam moderationem nos quoque tenuisse puto, non enim contra modestiam est, quae non probes, sine acerbitate reprehendere, vel (ut ait ille Poëta) *Parcere personis, dicere de vitiis.* Non igitur te indignum mea priore benevolentia, ut initio epistolae tuae scribis, existimo, quem dignum esse dico, ut vel propter doctrinam, vel propter virtutem et religionem ab omnibus colaris. Sed magis doleo, quod vir tantus a me in tam bona mea causa dissentias.

XXXVI. Quod igitur laesus sum, nec tibi, nec omnium cuiquam succenseo, uno excepto turbae omnis auctore et architecto, qui militum Hispanorum crudeli-

litatem et avaritiam in bello barbarico per summum artificium, quod unum dies et noctes meditatur, exaggerando, sic illorum odio quorumdam animos occupavit, ut in publica Principis et nationis causa veritatis ac justitiae lumen aspicere non sineret. Sed ne ipsum quidem auctorem odi, qui forsitan meliore animo quam consilio ductus est; quamquam in eo seditiose facta, et sinistros in me satos per injuriam sermones probare non possum, pro quibus tamen ei mali nihil cupio, sed potius Deum precor, ut ipsi meliorem mentem praebeat, quo discat aliquando quietas cogitationes turbulentis consiliis anteferre. Vale. Valladolito Idibus Julii An. Christi nati M. D. XLIX.

JO-

Digitized by Google

JO. GENESII SEPULVEDAE

CORDUBENSIS,

ARTIUM ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS,

HISTORICI CAESAREI,

EPISTOLARUM

LIBRI VII.

IN QUIBUS CUM ALIA MULTA, QUAE LEGANTUR, DIGNISSIMA TRADUNTUR, TUM VARII LOCI GRAVIORUM DOCTRINARUM ERUDITISSIME ET ELEGANTISSIME TRACTANTUR.

Digitized by Google

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM

LUDOVICUM MENDOZAM

MONDEJARAE MARCHIONEM

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE

IN LIBRUM EPISTOLARUM

PRAEFATIO.

Epistolarum genera complura esse, tam vere traditum est a Cicerone, ut nullum sit scriptionis genus, in quo locus epistolis apud viros eruditos non relinquatur. Epistolis saepe res non solum privatim, sed etiam publice gestae sic comprehenduntur, ut earum historia non admodum desideretur, quod in ejusdem Ciceronis epistolis animadvertere licet. Epistolis jus quandoque dicitur, et leges sanciuntur. Principum enim rescripta pro legibus habentur, ut indicant multa Principum Romanorum rescripta, et item leges Pontificiae, quae ut sunt, sic *epistolae decretales* nominantur. Per epistolas Hippocrates de medicina, Plato, et Heraclitus, et Seneca noster, et plerique alii de rebus tum ad naturam, tum ad mores pertinentibus philosophati sunt; et ut Basilium et ceteros Graecos Theologos omittam, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius quatuor Ecclesiae Latinae velut columnae de rebus sacris et religionem attingentibus per epistolas disseruerunt, et plerosque divinarum scripturarum locos gravissime et diligentissime tractaverunt, et libros epistolarum confecerunt. Ad summam, ut coram voce, sic cum absentibus amicis sermones de re-

Digitized by Google

rebus omnibus per litteras conferimus. In quibus generibus cum pro sua quisque facultate versetur, more doctorum hominum comparatum esse videmus, ut epistolas a se paulo accuratius scriptas in unum quasi corpus conferant, et in codices digestas in manus hominum emittant, idque ad officium et humanitatem pertinere putent, si qua ex parte hominum studia suis laboribus et lucubrationibus juvare queant. Ego vero, qui in vario genere versatus sum, prout me scilicet res ad doctos amicos Latine escribere cohortabatur, non eas modo causas, quas ceteri vulgo solent, secutus sum, epistolas meas praesertim de rebus litterariis recognoscendi, et in libros digerendi, et emittendi, si quid mea industria et lucubratiunculae curiosis studiosisque hominibus ad rerum vel memoriam, vel cognitionem prodesse possent, et quod me complures amici docti et graves ad editionem hortabantur; sed ea quoque ratione privatim impulsus, quod multarum mearum epistolarum exempla ab studiosis meique amantibus adolescentibus collecta, et quaedam parum fideliter descripta ferri cognoveram. Cui malo, ne latius serperet, per publicam et incorruptam impressionem fuit occurrendum: et simul eadem opera providendum, ne locus fraudi fieret, illius simili, qua libros alienos ab improbis et malevolis cum insigni auctorum infamia corruptos fuisse constat, per occasionem privatim libros manu describendi, nondum scilicet inventa imprimendi ratione, cui commodissimae solertiae cum publica auctoritas accedat, et fidelis examinandorum librorum diligentia, facile est privatas fraudes publico testimonio deprehendere et redarguere. Quam providendi curam quominus mihi negligendam putarem, fecit falsorum criminum molestissima

Digitized by Google

ma recordatio, quibus multis et impudentissimis per rumores a quibusdam meorum iniquorum in vulgus dissipatos sum lacessitus.

Atque his quidem ex causis epistolarum librum concinnavi, et typis excusum evulgandum curavi, quem librum ad te mitto, Ludovice Mendoza, Mondejarae clarissime Marchio, tenue quidem munusculum, sed utriusque nostrum personae conveniens, quod sit meae in te colendum propensae voluntatis, et tuorum in me magnorum meritorum memoris animi testimonium. Quam ego necessitudinem non nuper, sed olim constitutam habui cum domo vestra, jam tum ab eo tempore, cum fratres tuos, viros optimos et illustres, Franciscum et Jacobum Romae colere coepi, quorum alter Episcopus Giennensis fuit, alter Caroli Caesaris Orator ad Pontificem Maximum amplissima diu legatione functus; deinde Bernardinum, qui cum Hispanae classis praefectus esset, Turcis hostibus, quos praeclaro navali certamine devicit, ceterisque piratis magno terrori erat, quique ea praefectura Joanni filio tradita, nunc Philippo Regi gratum officium familiarius praestat, et ad consilium de maximis rebus adhibetur. Antonium enim idcirco familiariter colere non potui, quia paulo ante, quam ego ex Italica longissima peregrinatione in Hispaniam remeassem, ipse in novum Orbem cum imperio et summa potestate a Carolo Caesare missus est, ut pro sua justitia et prudentia illarum gentium imperium pro Rege procuraret, antequam ipse in aulam regiam vocatus venires: ad quam non solum regio consilio summae ejusdem novi Orbis administrationi dicato praees, sed etiam ad consultationes de summis Hispaniae rebus, et Reipublicae statum, sive

Kk 2 pax

Digitized by Google

pax quiesque sit, sive bellum impendeat, attingentibus pro tua sapientia et gravitate in primis adhiberis, quae magna est et memorabilis domus vestrae gloria, quinque fratres in summis ab optimo et sapientissimo Principe propter singularem virtutum vestrarum opinionem delatis honoribus eodem tempore Rempublicam cum egregia laude gerere. Sed de vestris virtutibus, quamquam hic locum attingere non fuit alienum, tamen in hujus memoriae nostraeque gentis historia, cujus ipsi bonam partem vobis vestro jure vindicatis, commodius memoratur. Librum igitur accipies hoc animo missum, quo tenues, sed addictissimi clientes in magnos amicos et patronos solent per parva munuscula magnam gratificandi, et quacumque ratione possint, colendi voluntatem declarare: quem librum si per otium legere non gravaberis, invenies fortasse non pauca, quae te scire delectet, et multa litterarum studiosis non inutilia, quae longioribus epistolis sum persecutus, Hieronymum et Augustinum imitatus, cum quorum multis epistolis si mearum longissimas, quibus varios locos de Christiana philosophia, aliisque gravibus doctrinis ab amicis provocatus atque consultus tractavi, contuleris, et cujusque argumentum spectaveris, breves existimabis. Si quis autem longiores de rebus litteratis commentationes Epistolas inepte nominari contendat, is poterit equidem per me eosdem libros epistolares, ut a quibusdam Hieronymi epistolae inscribuntur, appellare. Vale.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER I.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Mittit Antapologiam pro Alberto Pio. Didaci Stunicae observationes in Erasmum.

JO. GENESIUS SEPULVEDA
DES. ERASMO ROTERODAMO S.P.D.

ANtapologiam pro Alberto Pio, quam Romae jam pridem excusam, cum his ad te litteris dedi, statueram tibi primo quoque tempore mittere, ut mea potissimum opera factus ejus compos, intelligeres me, qui eam operam scribendi non infenso animo, sed officii gratia suscepi, minime abuti velle ignoratione tua, quo liber posset interea latius ac liberius divagari. Sed obstitit huic voluntati, meumque institutum retardavit honestissimorum quorumdam, et utriusque nostrum studiosorum, sed nimis cautorum hominum diligentia, qui cupientes omnes inter nos simultatis causas submovere, lecto libello, temperanda, aut etiam expungenda verba quaedam censuerunt, quibus ipsi contra meam sententiam, qui nihil magis toto in libro, quam ut modestissime tecum agerem, elaboravi, animum tuum exasperari posse existimabant. Quamquam uno, aut altero loco Italorum potius stomacho fuit inservitum, quos iidem mihi, nisi ad eum modum provisum fuisset, iratos fore denuntiabant. Sic horum

rum studio factum est, ut liber jam impressus, non prius evulgaretur, quam esset certis in locis ex ipsorum sententia, quemadmodum videbis, emendatus. Quod te volui non ignorare, ne, visis lituris, rei novitatem, aut discrimen demireris, si locis integris ex impressione Parisiensi liber ad manus tuas pervenerit.

Quod vero attinet ad *Observationes* Stunicae, de quibus in eodem opusculo mentionem feci, scito eas esse penes Franciscum Quignonium, sanctae Crucis Cardinalem, non abhorrentem ab illius voluntate, qui moriens, non, ut liber ipse inchoatus et impolitus, sed summatim decerptae sententiae tibi mitterentur, mandavit. Quod decerpendi munus ego ejusdem Praesulis voluntate libenter obiissem, si mihi per ingentes meas occupationes licuisset, quas tamen, si tibi rem fore gratam intellexero, omnes huic officio posthabebo, daboque operam, ut exemplum ad te primo quoque tempore transmittatur. Sunt autem, si tibi hoc scire cordi est, octoginta omnino *Annotationes* in *scholia* tua in Hieronymi opera ex editione secunda, et plus centum in novi testamenti conversionem, *Annotationes*que tuas ex quarta. Vale. Roma Kalend. Aprilis. M. D. XXXII.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Excusat se, quod ad Sepulvedae Antapalogiam non respondeat. Didaci Stunicae annotata in Erasmum.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS
GENESIO SEPULVEDAE. S. P. D.

Librum tuum multo ante acceperam, Lutetiae excusum

sum

sum, quam idem mihi redderetur excusus Romae, in quo quidem, quo magis amo doctrinam, ingenium et eloquentiam, hoc vehementius doleo, tibi hoc operae in tale argumentum esse collocatum. Sentio te quorumdam affectibus inservivisse, sed iste animus dignus erat, qui Musis tantum et Christo serviret. Ex reciprocatione talium libellorum, non video, quid nasci possit praeter dissidia, quorum in mundo plus satis est. Itaque consultius arbitror non respondere.

Gratum est, quod scribis de Stunicae *Annotationibus.* Quidam gustum aliquem ad me misit. In hoc negotio jam dudum sum: apparatur Hieronymi tertia editio magnis impendiis. Ipse longe plura castigavi in Hieronymo, quam Stunica: quamquam habet ille, quae me fugerant. Reddes me tibi, mi Genesi, perpetuo devinctum, si curaris, ut loca decerpta ad me perveniant. Notavit, ut audio, quaedam in annotationes meas, quas scripsi in novum testamentum; scripsissem et Cardinali Quignonio, sed hic forte oblatus est e vestigio abiturus. Quidquid miseris ad Antonium Fuggerum Augustam, tuto ad me perferetur. Bene vale. Friburgi postridie Virginis assumtae. Anno M. D. XXXII.

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Hortatur Erasmum, ut scripta sua purget, ne aliis offendiculo sit. Monet Stunicae annotationes jam ad eum missas.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
DES. ERASMO ROTER. S. P. D.

Accepi litteras tuas Romae pridie Idus Octobris, Friburgi

burgi decimo sexto Kalendas Septembris datas, quo minus videlicet demirarer, meum libellum tam sero ad te fuisse perlatum; in quibus quod scribis, te consultius arbitrari, ad eum non respondere, ne inter nos dissidium excitetur, prae te fers egregiam quamdam humanitatem et sapientiam, qui nolis otium nostrum, ab studiis utilioribus avocatum, molestis contentionibus conteri, eisdemque parum fructuosis. Quae tui consilii ingenua professio, dici non potest quam grata mihi fuerit atque jucunda. Quid enim mihi aut gravius poterat, aut molestius accidere, quam eo detrudi, ut cogerer cum Erasmo, quem velut aetatis nostrae lumen suspicio, simultates invitissimus exercere? Quamquam istius aequitatis animi tui spem certam nobis fecerat, non modo perspecta prudentia tua, cujus non erat meum officiose factum in diversum interpretari, sed etiam epistola, qua nuper Thomae Cajetano Cardinali scripsisti, te sponte quidem tua, sed ipsius auctoritate confirmatum, in eam potissimum curam incumbere, ut omnibus tuis libris recognitis, hominum etiam morosorum de te querimoniis sine contentione satisfaceres. Quod opus ut urgeas, quamquam, ut video, hortatore non eges, tamen pro mea in te singulari benevolentia et observantia, ego quoque te iterum atque iterum oro, et precibus omnibus obtestor: uno siquidem facto, crede mihi, silentium impones obtrectatoribus tuis, et a bonis omnibus egregiam laudem assequeris, et quod maxime convenit tuae pietati, firmior ipse juxta Pauli praeceptum infirmiorum imbecillitates sustinebis.

Quod vero pertinet ad Stunicae *Annotationes*, jam Inechi Mendozae Cardinalis jussu decerptas omnes et tibi mis-

missas, ad tuas manus pervenisse puto. Huic enim, cum Romam pervenisset, ipsarum commentarios, retento exemplo, tradidit Quignonius Cardinalis cum ceteris Latinis libris eidem ab Stunica legatis. Itaque praesul optimus et tui percupidus meo labori consuluit, quem ipse tamen, ut tibi morem gererem, perquam lubens obiissem. Vale, mi Erasme, tibique persuade, me tui esse studiosissimum; et si quid mea opera, studium ac diligentia praestare poterit, me tua causa nihil non esse conaturum. Roma Idibus Octobris. Anno Christi nati M. D. XXXII.

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Versionem novi testamenti Erasmi depravatam ostendit ex Vaticanae Bibliothecae exemplari Graeco: locum item Pauli ad Gal.cap.IV. Sina mons est in Arabia, &c. *explicat.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

DES. ERASMO ROTER. S. P. D.

JAm pridem quid agas ignoramus, ac ne illud quidem exploratum habemus, num ad tuas manus pervenerit libellus Stunicae adversus tuas *Observationes* in novum testamentum, quem superioribus diebus ad te ex urbe Bononia misimus. Sed quoniam perlatum esse non dubito, et te suspicor ob ejus admonitiones in illis tuis vigiliis accuratius recognoscendis occupatum esse, contra officium atque adeo pietatem fore putavi, te id celare, quod ad hanc rem etiam atque etiam pertinere arbitror. Scito exemplaria Graeca, quae tu secutus es in novo testamento, plerisque mendis esse depravata, jam singulis verbis,

jam solidis orationibus sublatis, aut vicissim redundantibus. Quod factum esse reor culpa librariorum, quibus errandi occasionem praebuerint scholia quaedam importune, ut saepe solet, a quibusdam studiosis in librorum marginibus ascripta. Itaque id malum, semel per errorem a nonnullis admissum, tam late, ut video, permanavit, ut non solum excusi omnes libri cum eis erratis circumferantur, sed quaedam etiam manuscripta exemplaria ab his mendis non abhorreant. Quo minus debet mirum videri cuipiam, te, dum caecos sequeris, ad easdem salebras offendisse. Est enim Graecum exemplar antiquissimum in bibliotheca Vaticana, in quo diligentissime et accuratissime litteris majusculis conscriptum utrumque testamentum continetur, longe diversum a vulgatis exemplaribus. Mihi enim, cum ab Stunica fuissem admonitus, rem perspicere, et libros conferre curae fuit. Hoc autem exemplar omnium esse emendatissimum, cum ejus antiquitas declarat, et librarii diligentia, tum quod multum convenit cum vetere nostra translatione, quae dubitari non debet, quin ex emendatissimo quoque exemplari conversa, et tradita nobis sit a majoribus. Cum igitur ad illius exemplaris fidem et quasi normam ceteri libri sint emendandi ac dirigendi, quid opus facto sit, ipse considerabis: sic enim habeto, raro vulgatam Graecorum editionem a veteri translatione nostra discrepare, discrepat autem, ut nosti, saepissime, ut a Vaticano illo exemplari non dissentiat. Ac ne te teneam, trecentis sexaginta quinque locis scripturae diversitatem adnotavimus.

Ceterum, qui me animus impulit, ut ista te in universum admonerem, dum tuae laudi hoc faveo libentius, quo mihi cum bono publico conjunctior esse videtur, idem ta-

Digitized by Google

tacere non patitur, quod in epistola Pauli, quae est ad Galatas, capite quarto jam pridem animadverti. Legebam epistolas Pauli, ut saepe jam Graece, interdum Latine soleo, prout liber venerit in manus, non equidem, ut Latina cum Graecis conferendo, in cujusquam invidiam ingenium periclitarer, sed ut altius memoriae sensa illarum inhaerescerent. Cum ergo in locum illum incidissem, ubi sic habet vetus translatio: *Sina mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quae nunc est Hierusalem*, re diligentius inspecta, non potui non demirari, locorum rationem tantopere a Pauli verbis dissidere. Constat enim montem hunc, qui conjunctus esse dicitur Hierosolymis, ab eadem urbe itinere multorum dierum abesse. Quem mihi scrupulum multum etiam adauxit enarratio Thomae, qui praefatus haec inter se loca viginti dierum itinere distare, eadem tamen propter itineris Judaeorum continuationem conjuncta dici interpretatur. Tunc igitur mihi id, quod erat, suspicanti, codicem Graecum consulere placuit, qui mihi facile omnem dubitationem ademit: sic enim habet: τὸ γὰρ ἄγαρ σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν ἱερουσαλήμ. Quorum verborum germanus intellectus, aut ego fallor, aut longe diversus est, tum a veteri, tum a tua translatione, quam itidem me videre non piguit. Nam verbum συστοιχεῖ neque conjuncta esse significat, neque confinia, quemadmodum te miror convertisse; σύστοιχα enim, ut multis in locis docet Aristoteles, sunt, quae quamdam inter se proportionem ordinemve habent: et talis ordo συστοιχία passim ab eodem philosopho nuncupatur, ut in primo et tertio libro de *physico auditu*: et item in primo τῶν ἠθικῶν τῶν νικομαχείων, et aliis plerisque locis. Sed quamquam nemo, ut arbitror, his verbis frequentius, utitur, quam Aristo-

teles, tamen Suidas ipsorum vim apertissime declarat: Σύστοιχα γάρ, φησὶ, λέγεται ἀλλήλοις τὰ ὁμοίως ἔχοντα πρός τινα, ἃ καὶ κατὰ ἀναλογίαν εἴη ἄν· καὶ τὰ λοιπά: ut mihi locus in huc modum verti commodius posse videatur: *Agar enim Sina mons est in Arabia, est autem ejusdem rationis atque ea, quae nunc est Hierusalem.* Est enim sensus: Sina, quo per figuram refertur Agar, mons est in Arabia, qui ejusdem rationis, ejusdemque proportionis est, atque urbs Hierusalem, quam nunc oculis corporeis cernimus, nam ut haec, sic ille terrestris est, eodemque modo ambo se habent ad supernam, hoc est, caelestem Hierusalem. Haec igitur ut ad te scriberem, me et officii ratio, et tui studium induxit. Tuum erit ad nos vicissim quid sentias, quid egeris, quid moliaris, rescribere. Vale. Roma decimo Kalend. Novemb. Anno Christi nati M. D. XXXIII.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Respondet ad Sepulvedae objectiones; et nonnulla subjungit de Stunicae scriptis.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS JO. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

Nihil mihi redditum est, doctissime Sepulveda, sed R. D. Inachus Episcopus et Cardinalis Burgensis litteris suis significarat, se curaturum, ut ex his, quae Stunica notarat, describerentur, quae viderentur ad rem pertinere, idque ab eo factum est, sed schedae ad me non pervenerunt, priusquam ipse ad Caesarem profectus, eas in scriniis Alfonsi Valdesii reperisset una cum suis litteris, atque inde ad me transmisit, simul illud indicans, Stunicam

Digitized by Google

cam morientem diligenter mandasse, ne quid earum Annotationum exiret in vulgus, sed ad me mitterentur, et his meo arbitrio uterer. Si quid abs te missum est, scito ad me non pervenisse: et profecto expedit ad famam Stunicae, ut illa non ederentur: non quin multa bene perspexerit, sed insunt rursus multa frivola et perperam reprehensa, quaedam etiam non intellecta, quorum specimen aliquod ad te mittam, si voles: sed ita, ne res exeat in manus hominum: rixarum est plus satis.

De συστοιχεῖ miraris, quare verterim, *confinis est*: eodem verbo utitur Hieronymus hunc enarrans locum, quem miror hoc scrupulo nihil fuisse commotum: et *confinis est*, mollius est, quam *conjunctus est*, quo verbo usus est interpres. Chrysostomus et Theophylactus non dubitant interpretari *vicinus est*. Et, quae inter se similia sunt, vicina dicuntur, frequentius autem confinia. Quoniam autem videbam interpretes hoc loco variare, non visum est eam dictionem in vertendo latius explicare: praesertim cum vix ulla opinio per omnia mihi satisfaceret. Ipse tamen miror, cur in annotationibus non senserim scrupulum. Thomam, miror, quare reprehendas. Non enim is putavit, Sina montem esse vicinum Hierosolymis, sed conjunctum dici ob continuationem itineris. Nam a Sina lex profecta est Hierosolymam. De dictione συστοιχεῖ multa colligit Budaeus in *Commentariis linguae Graecae*, si libet inspicere. Mihi vero gratum est, quod admonueris.

Quae Stunica notarat in Hieronymum, magna ex parte sero perlata sunt; jam enim opus epistolarum Lutetiae processerat. Dignus erat vir ille et doctus et diligens, qui complures annos adjuvaret rem litterariam, et in propriis argumentis versaretur. Nunc res ipsa loquitur, eum

Digitized by Google

eum per omnem vitam nihil aliud egisse. *Apologiam*, quam scripsit in Fabrum Srapulensem, nondum nancisci porui. Quod scribis de codice Graeco, quem nactus es in bibliotheca Pontificia tantopere cum vulgata editione consentiente, vide ne inanem operam sumas. Constat enim, cum Graeci fedus inirenr cum Ecclesia Romana, quemadmodum testatur *Bulla*, quae dicitur *Aurea*, hoc quoque fuisse comprehensum in articulis, ur Graecorum codices, praesertim Evangelici, ad Romanam lectionem emendarentur, er in similes codices ipse incideram, cum primum ederem novum testamenrum. Quare ex isto codice nihil est, quod possis judicare. Sed Graecorum lecrio petenda est ex Graecis auctoribus, Athanasio, Basilio, Origene, Chrysostomo, Nazianzeno, Cyrillo.

Ex litteris R. D. Cardinalis Inachi, qui scribebat, te sibi fore comitem redeunti in Hispaniam, conceperam opinionem te Romae non esse, eaque causa fuir, quominus ad te scriberem. Haec ad tuam epistolam, quam ad me misir egregius vir Ambrosius Agumpemberg, protonorarius aposrolicus, suis inclusam litteris. Bene vale. Datum apud Friburgum Brisgoae XVII. die Februar. An. a nativirare Domini M.D.XXXIV.

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Stunicae Annotationes in Erasmum. Erasmus in Geographia reprehenditur, Graecosque codices Romae in Vaticano sincere asservatos ostendit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
DES. ERASMO ROTER. S. P. D.

Miror tibi meam epistolam cum Stunicae *Annotationibus* non fuisse redditam; intellexisses, nihil me separatim mis-

sis-

sisse, sed curasse tamen diligenter, ut tibi primo quoque tempore chartae illae Bononiae ab Inacho Cardinali receptae rursus mitterentur. Quod te scribis ex litteris ipsius intellexisse, morientem Stunicam mandasse, ne quidquam earum ederetur in vulgus, sed ad tuos usus in bonum publicum reservarentur, hoc ego non ignorabam, qui idem tibi fueram in *Antapologia* testatus. Expedire porro ad famam Stunicae, ne emittantur, propterea quod multa sint in eis frivola, et perperam reprehensa, tibi haud difficulter assentiar: sed tu vicissim intelligis, hoc nihilo magis ad tuam laudem pertinere, qui fateris eumdem multa bene perspexisse. Quamquam igitur neminem puto commissurum, ut quidquam edat praeter demortui voluntatem postremis vocibus testatam, erit tamen tuae humanitatis per occasionem facere, ut homines intelligant, Stunicam a te non prorsus laude sua fuisse fraudatum, ut simul tuo more fungaris officio boni viri, simul ansam tollas editionis, quam posset quispiam arripere ingratitudine praetenta. Nihil est autem, quod specimen, quemadmodum, si velim, polliceris, aliquorum perperam ab Stunica reprehensorum mittas ad me, cui nihil minus est propositum, quam Stunicae in omni causa patrocinari, praesertim contra te adversarium potentissimum, et quem summis ipse viris parem semper judicavi, et ob eam rem observo amanterque colo: nec dubito pro tua prudentia, quin, jam sublata contentione, ingenue sis admonitiones defuncti, quascumque rectas putaveris, admissurus.

De verbo Pauli συςοιχεῖ sit satis admonuisse, mihi tamen certissima ratio semper erit pluris, quam omnes enarratores, vel interpretes, quorum neminem probabo, qui

trans-

translatis dubiisque vocabulis vertet, quod auctor propriis atque certis prodiderit. Thomam non accuso, quod loca disjunctissima conjungat: nam qui possum, iter viginti dierum interponentem? sed quod vir alioqui doctissimus parum apte Judaeorum itineris continuationem excogitaverit praeter mentem Pauli: ut taceam, quod nullum umquam iter fuit minus continuatum, quam illud Judaeorum, qui tot annos in Arabiae solitudine consumserunt. Ceterum me hic locus admonet, ut pro mea in te singulari benevolentia et observantia illud te horter, ne cum tibi est de oppidorum situ disserendum, oscitanter agas, sed Strabonem, Melam, Plinium, aut Ptolemaeum revisas. Nam his paucis diebus, dum Hieronymi epistolas evolverem, incidi in quaedam scholia tua, ubi multo etiam magis tuam diligentiam desideravi. Scribis enim in epistolam ad Evagrium, Rhegium esse oppidum in Graecia, Constantinopolim in Macedonia, cum haec haud dubie, quae prius Byzantium dicebatur, sit in parte Thraciae a Macedonia prorsus aversa, Rhegium in Brutia, quo parvo freto Italia disjungitur a Sicilia. Quod si ad magnae Graeciae Ciceroni quoque vetus vocabulum spectasti, tamen meminisse debebas, qui Graeciam simpliciter dicit, hunc non partem Italiae videri, sed Atticam et finitima loca designare.

Memini etiam (sed locus excidit) me legere in alio tuo scholio, urbem Nicopolim ex Augusti victoria nuncupatam, urbem esse in Thracia, quam esse constat in Epiro prope Actium, ad quod Antonius fuit praelio navali superatus, sed tibi videlicet imposuit, quod altera est ταύτῃ ὁμώνυμος ἐν τῇ Θράκῃ. In libello Ciceronis de *Senectute* ascriptum a te notavi, Capuam esse urbem in Apulia, quae

quae tamen caput est Campaniae, et olim praeter Romam Italiae nobilissima. Nec est absimile huic incuriae, quod in *Ciceroniano* me, quem Cordubensem esse sciebas, Lusitanis annumerasti, ut te admonui in meo, quem supra dixi, libello. Ac de his quidem, quae tum levissima sunt, tum tibi dumtaxat non dormitanti facillima, sed magnam securitatem indicantia, te amicitiae, ut dixi, officiique gratia admonendum putavi, admonitus ipse dicto Pauli, locorum ratione non animadversa, parum a quibusdam intellecto. Tuum erit omnia in bonam partem accipere. Quod si a te secus factum intellexero, non amplius tibi officiis ingratis ero molestus.

Quod pertinet ad librum Pontificium, Graecos codices novi testamenti Graecorum quorumdam vel malitia, vel levitate fuisse depravatos, id ipsum, quod scribis, fides esse debet indubitata, quod in Graecorum ad sanitatem redeuntium foedere inito cum Ecclesia Romana cautum fuerit, ut Graeci codices ad Romanam lectionem emendarentur. Quomodo enim poterant clarius utrique contestari, exemplaria Romana lectionem veram et germanam retinere, Graecorum esse vitiata? Nam quod ais, Graecam lectionem ex Graecis auctoribus esse petendam, diceres aliquid, si rationem Graeci sermonis affirmares a Graecis commodius, quam a Latinis explicari. At libros archetypos fundamenta nostrae religionis continentes, qui Graece fuerunt a suis auctoribus scripti, cur non credamus, sanctius, gravius et incorruptius asservatos esse in scriniis ac bibliothecis Ecclesiae Romanae, quae caput est Christianorum, et semper fuit norma catholicae pietatis, quam in Graecia, quae saepe fuit haereticorum et levissimorum hominum fraudibus, et motu rerum novarum

Mm agi-

agitata? Quod accidisse certum est in LXX. decreta Concilii Nicaeni, quae cum integra in scriniis Ecclesiae Romanae asservarentur, tamen ad orientem in quibusdam Ecclesiis ab haereticis incensa sunt, in aliis ad minorem numerum redacta, sublatis videlicet, quae ipsorum consiliis aut conatibus obstitura videbantur, ut Athanasius et ceteri Episcopi ex Alexandrina synodo in epistola ad Marcum Papam conqueruntur, a quo exemplum decretorum ipsorum, quod petebant, receperunt. Adde quod libri tutiores ab injuriis esse solent, et minus a parum doctis scholia saepe cum scriptura confundentibus vitiari, ubi a paucioribus vel leguntur, vel intelliguntur: nisi forte hoc dicis, placuisse in foedere, ut dictio Graeca emendaretur ad Latinam; quod nec est probabile, praeterquam in certo aliquo loco, et numquam factum fuisse certum habeo: nam articulum, quem citas ex aurea bulla, licet duas aureas bullas in libro conciliorum perlegerim, invenire nusquam potui. Quam igitur dicas, et unde nobis petenda sit, obsecro te, ne graveris ad nos perscribere. Vale Roma X. Kal. Jun. Anno a Christo nato M. D. XXXIV.

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Monet multa a se retractata ex iis, quae Sepulveda superioribus litteris notaverat.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS JO. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

EXcusabilius labitur, vir eruditissime, qui docendi studio dormitat alicubi, praesertim in tali argumento, quam qui reprehensoris personam suscepit, maxime si id faciat cum

cum convicio. Saepenumero prodest inimicus vitia nobis exprobrans, cui tamen nihil debetur gratiae, qui dum laedere studet, juvat. Neque enim hoc beneficium datum est, sed arreptum. Quamquam Stunica in postremis annotationibus moderatior est, quam fuit in prioribus libellis, nisi quod Inechi Card. litterae subindicabant, quaedam omissa, quae magis pertinebant ad malevolentiam, quam ad eruditionem. Hoc utcumque habet, a me tamen Stunica non fraudabitur sua laude, quod profuit; in aliis a me non perstringetur defunctus. Novum testamentum nunc rursus exuditur cum annotationibus meis, in quibus non parum sudoris exhausi: utinam initio justam curam adhibuissem.

Locum de συστοιχεῖ tuo admonitu tractavi attentius. Sed quod addis de propriis et ambiguis, non minus est ambiguum *conjunctus est*, quam *confinis est*. Nam confinia, quae inter se similia sunt, usitatius dicuntur, quam conjuncta. Chrysostomus non horret verbum γειτνιάζει, *vicinus est*.

In locis et historia crebro lapsus sum, dum credo collectaneis Hieronymi, Bedae, et aliorum recentiorum. De Rhegio locus correctus est, quamquam de intervallo, quod improbavit Stunica, secutus fueram Hieronymum, et ni fallor, etiam de Graecia, tametsi locum arbitror depravatum.

Nicopolim in Thracia ponunt et Chrysostomus et Theophylactus, et ni fallor, etiam catalogus locorum. Ex narratione sensi non posse esse in Thracia, et miratus sum, quid secutus sit Chrysostomus, nisi forte pro Ambracia, aut Ambracio mutavit Thracia. Is locus jam correctus est. In *Catonem* Ciceronis nihil a me notatum-

tantum annotavi in *Officia*, idque ante annòs triginta sex: reliqua adjecit Faustus, me in patriam reverso. An post addiderit aliquid Goclenius, nescio.

In te tota erravi via. Quidam Genesius Mendesius olim e Roma ad me scripsit epistolam Graecam. Post nactus tuum libellum, non diligenter inspecto titulo, putabam eumdem esse. At ille se profitebatur Lusitanum. Te Cordubensem esse, nunc primum admoneor, aut certe nunc primum attendo. Alioquin vel sine cosmographis sciebam, Senecae patrem Hispanum esse et Cordubensem: sed mihi gratissimum est, mi Sepulveda, meam dormitantiam abs te vellicari.

De Stunicae Apologia in Jacobum Fabrum, nec ego quidquam scio, nisi quod ipse citat. Argumentum erat, quod Faber negarat, hanc novi testamenti editionem esse Hieronymi, aut ab ipso castigatam.

Mea versio e libris Graecis non damnat nostram editionem, cum fatear interpretem habuisse exemplar in multis locis emendatius, quam habuit Chrysostomus, aut Theophylactus: nec mihi res est cum haereticis, sed cum Athanasio, Chrysostomo, Cyrillo.

Occasio depravandi apud Graecos hinc praecipue fuit, quod scriba in contextum transtulit id quod studiosus aliquis ex alio Evangelii loco annotarat in margine.

Quod adducis Pontificiae bibliothecae auctoritatem, acciperem; nisi exemplar, quod secutus est Franciscus Ximenius Hispan. Card. missum esset ex Pontificis bibliotheca tamquam germanum. Atqui hoc fere convenit cum exemplaribus meis. Bullam auream nec ipse vidi. Cutbertus Episcopus Dulmensis vir apprime doctus mihi narravit, cui credidi. De correctione codicum non dixit

esse

esse in bulla, sed ajebat idem mutationem Graecorum codicum esse factam. Vidi et ipse codicem Evangeliorum ex bibliotheca Capnionis, qui per omnia consentiebat nostrae editioni Latinae, verum is erat recentior. Cuperem plura tecum, vir eruditissime, sed jam corpusculum multis scribendo delassatum est, scribam alias per otium accuratius. Vale. Friburgi V. Non. Jul. M. D. XXXIV. Si quid offendes mendi, scito me non recognovisse.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Locus Marci 7. Moyses dixit, Honora patrem,&c. *exponitur,et Matth.*15.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

DES. ERASMO ROTER. S. P. D.

QUam me valde delectent nostra per litteras colloquia de negotiis praesertim litteratis, vel ex eo tibi licet intelligere, quod leves etiam quaestiunculas argumenta mearum ad te litterarum facio, si quid tamen potest esse leve, quod faciat ad intelligentiam ancipitis et obscuri loci scripturae sacrae. Quam tu pro tua pietate atque doctrina non solum interpretatione nova, sed scholiis etiam, ac justis potius commentariis exponendam curasti, ac, ut video, curare numquam desistis, mutandis, sive augendis locis, si quid nactus sis vel per te partum, vel a doctis amicis, si quando id forte accidit, suggestum, quod melius aut commodius tibi esse videatur. Scripseram ad te, ancipitem illum locum epistolae ad Galatas de monte Sina et Hierusalem quemadmodum interpretandum exponendumque putarem: tumque meam sententiam non so-

Digitized by Google

solum rescripta epistola probasti, sed etiam editis proxime commentariis, ceteris omnibus, quod nuper non sine jucunditate perspexi, praetulisti, ut Sina intelligamus a Paulo dici, συστοιχεῖν τῇ νῦν ἱερουσαλήμ, non quasi conjuncta sint ea loca, quae constat inter se longo intervallo distare, sed quod sint ejusdem ordinis atque rationis: qui verbi Graeci germanus est atque proprius intellectus. Sed illud miror, quid causae fuerit, cur, qui hanc sententiam auctis scholiis libenter amplecteris, non idem in vertendo Latinam orationem ad ipsum sensum accommodaveris, malueris que verbum *confinis est*, anceps et translatum retinere, quam uti proprio, et quod nihil haberet ambiguitatis, praesertim cum ipse non timidissime soleas a vetere translatione discedere, ac potius cum jam ibidem mutato verbo discessisses.

Quemadmodum igitur tunc Pauli verbum mihi praebuit scribendi materiam, sic nunc locus alter ex Evangelio argumentum epistolae suppeditavit, ut exposita mea sententia, ab omnibus, tum veteribus, tum etiam junioribus, quod equidem sciam, diversa, tuum exactissimum judicium exquiram. Sic enim scriptum est in Evangelii Marci capite septimo: *Moyses dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam. Et, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri Corban (quod est donum) quodcumque ex me tibi profuerit.* Sunt autem verba Christi taxantis Pharisaeorum avaritiam, quod Dei praeceptum avara interpretatione molliendo depravarent. Qui locus, ut nosti, tam obscurus est et tanta caligine caecus, ut Hieronymi, Augustini, Theophylacti, aliorumque maximorum virorum ingenia mirabiliter torserit, variis a quoque sensibus excogitatis, inge-

Digitized by Google

geniosis illis quidem et a vera pietate profectis, sed partim abhorrentibus a proposita re, partim dictioni Evangelicae minime convenientibus. Quas expositiones referre supervacaneum puto, praesertim apud te, cui nota sunt omnia, quique in commentariis tuis id, quod verissimum est, solerter annotasti, principale verbum, ut sit locus eis enarrationibus, in Evangelica dictione desiderari: quod est magnum argumentum, eas loco non satis facere.

Haec ego nuper cum animo volutarem, coepissemque anxius et totus in hanc cogitationem incumbere, in quamdam suspicionem veni, quae si vera est, ut esse arbitror (habet enim magnam ex antecedentibus, relatisque verbis probabilitatem) sensus orationis planus erit, propositoque sermoni accommodatissimus. Suspicor enim verba illa, *si dixerit homo patri vel matri*, hanc habere vim, si dixerit homo in patrem vel in matrem, hoc est, si maledixerit patri vel matri: quam phrasin non abhorrere a sermonis Hebraici consuetudine, declarat illud ex Psalmo septuagesimo: *Quia dixerunt inimici mei mihi*, id est, maledixerunt; ut sint ea verba repetitio illius orationis, quae pars prior est divinae legis, quam Pharisaei pervertebant; hoc enim constituto, facillime sequentium verborum intellectus prioribus accommodabitur, ut pro illa posteriore legis parte, *morte moriatur*, suppositum sit a Pharisaeis, *Corban ex me tibi profuerit*: id est, quodcumque donum obtuleris in templo, me sacerdote intercessore, tibi proderit, ut veniam contemtus paterni consequaris, supplicium videlicet capitale, quam poenam huic flagitio lex divina constituerat, Pharisaeorum avaritia quocumque munusculo sacerdotibus tributo exorari posse interpretabatur. Nam *Corban* nomine, ut Marcus ipse inter-

pre-

pretatur, quodcumque munus templo aut sacerdotibus collatum intelligitur. Quo vocabulo utitur etiam nunc Hebraica lingua in eodem intellectu. Itaque Pharisaeis auctoribus fiebat, ut pravi filii metu poenae legis divinae liberati, parentum reverentiam curamque contemnerent. Hoc est enim, quod subjicit Marcus, *et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri*, ut Matthaeus, qui eadem ferme capite decimoquinto prodiderat, apertius explicavit, his verbis, *et non honorificabit patrem suum aut matrem suam.* Erit igitur sensus totius orationis: Lex divina sanxit, ut quicumque maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Vos autem Pharisaei hanc legem pervertentes dicitis, si dixerit homo in patrem vel in matrem, hoc est, si maledixerit eis, quodcumque munus obtulerit in templo, me sacerdote apud Deum intercedente, proderit ei, scilicet, ut criminis veniam ac impunitatem assequatur. Deus enim filiorum in parentes officium tam sanctum esse voluit, ut hoc negligentibus, non solum poena praesens a magistratibus, quos latere possent, timenda esset, sed lentior etiam ira Dei, quem fallere nemo possit, metuenda. Nam cum honor parentibus tributus longitudine vitae per legem divinam, quae habetur *Exodi* 20. cap. remuneretur, contumelia vicissim in eosdem illata, vitae brevitate vindicari jure videlicet existimatur: qui metus ad filios in officio continendos accommodatissimus, perversa legis interpretatione a Pharisaeis tollebatur.

Atque haec quidem mihi venerunt in mentem, quibus locus obscurissimus et impeditissimus, ut putabatur, illustrari expedirique posse videatur. Superest, ut ipse, accuratius dispecto loco, et hac nostra divinatione cum ceteris col-

Digitized by Google

collata, quid sentias, et quantum ei tribuendum putes, pro tua humanitate ingeniique candore ad nos rescribere ne graveris. Quamquam enim hanc meam sententiam facile quibusdam prudentibus doctisque viris probavi, plurimum tamen apud nos auctoritas tua valebit in utramque partem, ut te auctore gravissimoque judice, vel perstemus in sententia, vel aliquid commodius quaerendum etiam nunc intelligamus. Vale. Roma, Idibus Februariis, Anno a Christo nato M. D. XXXVI.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

De Politicis Aristotelis a se conversis, et Ethicis in Latinum convertendis tractat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
JO. MATTHAEO GIBERTO, EPISC. VERON. S. P. D.

EPistola tua hoc sum vehementius delectatus, quo majorem mihi nuper dolorem attulerat tristissimus quidam de te nuntius, qui per urbem cum magno moerore nostro, id est, tuorum omnium increbuerat. Itaque tibi gratulor primum, nobisque gaudeo: deinde venio ad eam partem epistolae tuae, qua me ex Clementis Pontificis Maximi voluntate, cujus ipse te interpretem esse voluit, dum me in hujusmodi scriptionibus amplius cessare vetaret, adhortaris, ut paraphrasim potius *Ethicorum* Aristotelis conscribam, quam ut ejusdem de *Republica* libros, de quibus ego in meis litteris memineram, convertam; et illud pro tua summa modestia adjicis, modo mea nihil intersit, hic mihi, an ille labor injungatur. Ego vero in minimo discrimine pono, cui nulla est alia ratio nego-

tium suscipiendi, quam si posset mea industria, dum Pontifici tibique morem gero, studia Latinorum philosophorum aliqua ex parte juvare, a quibus quoniam librorum Aristotelis de Republica commodiorem interpretationem multum sciebam desiderari, sperabamque illis meam operam, et in eo praestando diligentiam nec inutilem fore, nec ingratam, de hoc ipse te celandum non putavi. Tu tamen, ut video, morum doctrinam quaestioni praefers de Republica, et merito praefers. Nam summo bono constituto, major esse debet cura, quo modo recte vitam instituamus, quam ut sciamus, quae sit optima Reipublicae forma. Licet utraque disciplina dignissima sit ingenuo viro, et maximas habeat commoditates, multaque praecepta ad eamdem facultatem, hoc est, ad moralem philosophiam pertinentia.

Atque equidem pervelim, si quid in mea industria positum est, mihi tempus et otium dari, quo possim utrique cum aliqua publica commoditate servire: quam occasionem nec despero, nec si mihi contingat, in animo est perire pati. Faciam igitur quod jubes, teque auctore laborem longum licet et operosum, suscipiam tamen libentissime. Et quamquam difficile est eo in loco non vulgariter versari, in quo multi diligenter elaboraverint, dabo tamen operam, ut neque ego temere suscepisse, nec vos sine causa mihi negotium injunxisse videamini. Quod eo confidentius aggrediar, quoniam tria de moribus opera, hoc est ἠθικὰ νικομάχεια, ἠθικὰ μεγάλα, καὶ ἠθικὰ εὐδήμια, in quibus Aristoteles easdem res vario sermone tractavit, ipse mihi lectitando reddidi superioribus diebus paulo familiariora, dum libellum scriberem, qui jam nobis peractus sancitur, *de convenientia militiae cum Christiana religio-*

gione, in quo ad Theologos cum Peripateticis in doctrina morum conciliandos, et multas utrisque communes variasque quaestiones e re natas accuratius disserendas, necesse fuit hinc sacras scripturas, inde Aristotelis omnes velut arculas diligenter perscrutari. Sed quo res commodius fiat, tuae partes erunt, per litteras agere cum Pontifice Maximo, ut nobis liceat ipsius voluntate Eustratii horum librorum enarrationem ex bibliotheca Vaticana mutuari. Vale. Roma, Idibus Februarii. Anno Christi M. D. XXXIV.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Petit se excusari a paraphrasi Ethicorum Aristotelis non perfecta, quod jussu magnorum amicorum libellum ediderit de convenientia disciplinae militaris cum Christiana religione.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA
JO. MATTHAEO GIBERTO, EPISC. VERON. S. P. D.

Binus tuus, et idem noster, ex tuis litteris mihi nuntiavit, gratum tibi fore, si Latina Ethicorum Aristotelis Argyropyli, ut opinor, translatio, opera mea castigaretur. Ab eo tibi, quid esset mei consilii, rescriptum puto. Nam de animo nihil arbitror esse necesse. Magnitudo enim tuorum erga me meritorum facit, ut nihil sit tam difficile, quod tua causa non sim libenter suscepturus, adsit modo perficiendi facultas. Nam quod pertinet ad eorumdem librorum paraphrasim, quam Pontificis Maximi voluntate, hortatuque tuo susceperam, scito mihi eam confecto secundo libro e manibus excussam esse necessitate quadam parendi studio magnorum amicorum,

qui a me contendebant, ut libellum ederem *de Convenientia disciplinae militaris cum Christiana religione*, qui jam mihi confectus sanciebatur, quorum voluntati cum obsistere non possem, coactus sum primum id opusculum paulo diligentius retractare, deinde opera non tam assidua, quam meum animum solicitante, nec aliud agere permittente, excusionem librariorum dirigere; in quo tamen parum profeci: nam meam curam illorum negligentia superavit, ut ipse cernes, si libellum, quem tibi mitto, per otium legere non gravaberis. Sed ea cura mihi jam nunc liberato nihil potius erit, quam ut tuae voluntati morem geram, sive me paraphrasim urgere malis opera continente, sive hac intermissa interpretationem aliquam Ethicorum Aristotelis e Graeco castigare, adjutore Bino, qui mihi ultro et liberaliter suam operam non solum gratam, sed propemodum etiam necessariam detulit, ut uno tempore alter Graecum exemplar, alter Latinam interpretationem intueatur. Quid igitur jubeas, exspectamus. Vale. Roma, X. Kalend. Mart. M.D. XXXV.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Excusat suam in scribendo moram, seque a Carolo V. Caesare, ut res ipsius gestas describeret, historicum creatum, quem cum sequeretur, jussu Cardinalis Sanctae Crucis Bononiense Hispan. Collegium se lustrasse scribit.

JO. GENESIUS SEPULVEDA

JO. MATTHAEO, EPISCOPO VERON. S. P. D.

QUod tam longo intervallo ad te scribam, noli mea vel oblivione, vel negligentia commissum existimare, sed quod diu mihi ad scribendum nullum satis idoneum argumentum in

in mentem venit. Nunc cum, Roma post diuturnam peregrinationem relicta, Carolum Caesarem assectari constituerim, officii esse duxi, te per litteras hujus mei consilii institutique certiorem facere, ut si quid erit in mea cura vel diligentia sive industria, quod tibi a me pro tuo jure praestari velis, ubi gentium agam, non ignores. Scito enim me et prius absentem, ac nihil tale cogitantem in album Caroli Caesaris domesticorum esse relatum, et cum ipse Romam pervenit, ut se sequerer, ab eodem fuisse jussum, dato negotio, ut res ab ipso ipsiusque auspiciis gestas conscriberem, nec id ambitioso ejus consilio, quo nihil est, uti scis, ἀφιλοτιμότερον, sed more majorum. Nam Regibus Hispaniae legitimum est, doctos homines habere, qui suorum temporum historiam diligenter ac fideliter persequantur. Quam conditionem hoc ego libentius accepi, quod plane intelligebam non id mihi, quod quibusdam scriptoribus accidit, esse verendum, ne me vel rerum tenuitas inopem orationis, vel Principis, cujus gloriae cupidus essem, socordia, vel morum pravitas mendacem et assentatorem faceret, quorum vitiorum odium mihi natura insitum esse profiteor, cum illud sit potius metuendum, ne ingenium materia, virtutibus illius mea scribentis oratio inferior esse videatur.

Cum hujus rei gratia ex urbe proficiscerer, jussit me patronus meus Sanctae Crucis Cardinalis, ut obiter Collegium Hispanorum Bononiense ipsius fidei patrocinioque creditum, et cujus me fuisse alumnum gloriari soleo, reviserem, et cum in vitam moresque singulorum sodalium, ut fieri consuevit, inquisivissem, censorem, ac si res posceret, etiam legum latorem agerem, Pontificia videlicet,

seu

seu magis Apostolicam vocare oportet, auctoritate et facultate mihi proficiscenti tradita, quo munere praestando, cum haec scriberem, eram occupatus, ne quis me posthac contemnendum putet Solonis atque Lycurgi aemulum. Sed ridicula missa faciamus. Huic ego muneri cum satisfecero, me in castra CAROLI Caesaris conferre cogitabam, ut experiar quanta philosophandi sit occasio inter tormentorum tonitrua clangoresque tubarum. Quamquam si leges, quae clamore forensi delectantur, inter arma, ut est in proverbio, silent, quantum in castris silentium esse debet Musarum? quae solitudines in primis amant, et praeter murmur aquarum, aviculatumque concentus omnem strepitum exhorrescunt. Severiores igitur Musas cum philosophia, dum se fragor iste ac tempestas remittat, valere, et ad vos potissimum nota via, vestrumque musaeum properare jubebimus: unde novos quotidie fetus cum publica studiosorum commoditate tuaque egregia laude prodire in manus hominum vehementer gaudeo: me tamen in castrensibus molestiis studiorumque jactura, illa cogitatio nonnihil solabitur atque juvabit, quod quae memoriae posteritatis tradenda suscepi, haec eo commodius et cum majore fide proditurus esse videor, si me posteri rerum gestarum non scriptorem tantum, sed testem etiam fuisse cognoverint. Vale. Bononia, X. Kalend. Julias, Anno Christi M. D. XXXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

De scribenda historia officiosa epistola Jo. Matthaei Episcopi Veronensis.

JO. MATTHAEUS, EPISCOPUS VERONENSIS JO. GEN. SEPULVEDAE S. P. D.

ETsi ex amicorum litteris de nova ista tua profectione atque consilio certior ante factus fueram, non negabo tamen jucundissimum accidisse, me ex tuis potissimum etiam litteris idem postea cognovisse. Etenim ea res magno mihi argumento fuit, me ex animo abs te semper fuisse dilectum, cum hoc tempore in istis occupationibus, atque ista adeo nova Caesaris familiaritate animadverterim, te neutiquam passum esse, mei memoriam ex animo tuo excidere. Ac quod tu quidem tanti principis judicio dignus habitus sis, qui in ipsius domesticorum numerum ascitus, ejus res gestas gerendasque monimentis litterarum mandes, ac posteritatis memoriae tradas: sane hic haud facile videor mihi posse explicare, utrum tibine magis, an illi gratulandum putem. Siquidem, quod ad te attinet, non possum dubitare, si tu in hoc scribendi genere historiae accommodato, quemadmodum in ceteris, quibus adhuc animum applicuisti, elaborare volueris, futurum, quin pro egregia opera egregium etiam praemium appareat: quamquam, ut nihil aliud esset, satis magna semper laborum atque ingenii tui merces esse posset, eaque ingenuo viro maxime digna, quod tanti Principis judicio unus tu praecipue ex omnibus litteratis delectus dicereris, cujus ingenio atque eloquentiae, adde etiam in se benevolentiae, res ille suas, alioqui

qui per se clarissimas semper futuras, illustrandas committeret. Quamvis neque ille credo non prudentissime, ut omnia sua, hac in re, hoc suo consilio usus est, quod intelligeret, ad egregiam, quam ad istam rem facultatem es apportaturus, ut res ejus exornes, benevolentiam etiam quamdam necessario quasi esse adhibiturum, quippe cum facere non possis, quin ad ejus praecipuas laudes communes etiam nationis tuae adjungas. Quocirca utrique magnopere gratulor, tibi quod in id solum incideris, ex cujus diligenti cultura non nisi uberrimos fructus meo judicio sperare possis, et illi item rursum, quod industrium adeo ac diligentem, ac benevolum, sibi agricolam nactus sit, qui quae egregia in ejus fundo nata viderit, ea non modo non deperire passurus sit, sed longe plura, si fieri possit, ac certe nitidiora effecturus. Quod autem de severioribus Musis scribis, te videlicet jussurum illas, ut interea, dum tu inter medios armorum strepitus et tormentorum fragores versaberis, huc ad nos approperent, nobiscumque maneant, est sane istud etiam tui erga nos amoris signum vel praecipuum, cum videlicet, quae carissima habes, ea te apud nullos melius depositurum putes, quam apud nos: sed eae, metuo ego, ne tui desiderio minus libenter sint apud nos permansurae, neve tandem, nobis relictis, te in castra potius prosequantur, ibique tecum molestiis illis perferendis malint consuescere, quam hic in pacatissima quiete nobiscum vivere. Vale. Veronae, VIII. Kalend. Sextil. M. D. XXXVI.

Scripta jam epistola, neque dum tamen obsignata, rediit ad me Flaminius meus, qui mirabilia quaedam mihi de opera tua narravit, quam tu apud se mihi, si umquam usu

Digitized by Google

usus veniret, liberalissime pollicitus sis. Ego, mi Sepulveda, Besi nullum in ista pollicitatione novi amoris signum video, quod nativo illo tuo ingenui animi candore confisus, meique item in te contra optima conscientia, cui non ita fortasse facta respondere potuerunt, numquam potui dubitare, me abs te non vehementer diligi, ac propterea, quidquid istius modi inter nos fieret, non debere mirum videri; tamen non secus, atque si id mihi permissu tuo facere licet, gratias ago, petoque, ut quam hactenus in me tam gratam, tamque liberalem voluntatem prae te tulisti, et prae te ferre quotidie non desistis, mihi posthac in perpetuo conserves, de meque vicissim tibi ea pollicearis, quae de viro tibi amicissimo umquam posses polliceri. Iterum cura, ut valeas.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Ostendit quanto cum desiderio Ciceronianum *Erasmi legerit, ejusque frigidum nimis de se judicium culpat.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO VALDESIO S. P. D.

ERasmi tui *Ciceronianum* tandem aliquando nactus cupidissime perlegi: accenderat enim meam cupiditatem ejus operis videndi non solum commendatio tua, qui Erasmum in ceteris operibus cunctis aequalibus, in *Ciceroniano* ipsum sibi praeferre videbaris, sed etiam longioris temporis exspectatio. Nam quo magis homines nostri, id est, Hispani, quam Itali Erasmi eruditionem et facundiam demirantur, hoc ejus scripta tardius ad hos,

Digitized by Google

quam ad illos perferuntur. Ita factum est, ut prius in Hispania *Ciceronianus* consenesceret, jam iterum, ut video, regeneratus, quam plane primos in Italia vagitus ederet. Cum nuper igitur in eum Bononiae peregrinantem apud Adrianum Brandum Germanum hominem, utriusque linguae peritum incidissem, arcte complectens desideratissimum libellum libenter perlegi; non quidem quod ea gloria magnopere fruerer, quam nostrorum quidam, qui Erasmi scriptis utcumque celebrari, optabilius quam inaurari putant, mihi fuerant ex honorifico testimonio polliciti, qui *Genesium Romae nuper edito libello praeclaram spem de se praebuisse*, in eodem *Ciceroniano* testatur: nam hujusmodi testimonium, praesertim tanti viri, etsi non est omnino contemnendum, friget tamen in causa hominis hac aetate, in senium scilicet vergente, et cujus exstant non pauca opera ab ipso vel elucubrata, vel ex Graecis philosophis conversa, ex quibus quid jam esset, non quid esset futurus, aestimari debuit, praesertim ab eo, qui, cum libet, vel ex unica edita epistola judicium facere solet. Ergo me in Ciceroniano non tam mentio de me non inhonorifica delectavit, quam quod Erasmi ingenium perlibenter agnovi, festivum, argutum, urbanum, et ne Africae quidem, ut se frequentius aliquid novi afferat, concessurum, qui mihi visus est in eo libro omnes hujus memoriae doctos ad convivium magis copiosum et sumtuosum, quam lautum invitasse, quorum cum sciret nonnullos esse fastidientis stomachi, atque gulae nimium ingenuae, quibus nihil placeat, quod non sit condimentis Ciceronianis apparatum, hos arguta sane oratione, et plane Erasmiana nititur ad sanitatem revocare, ut improbum delicatioris, magnoque emendi cibi amorem

ex-

Digitized by Google

exuentes, robustiore, eodemque parabili contenti sint, nimirum ne suam mensam magnifice cunctis dapibus, praeterquam Ciceronianis epulis instructam aspernentur. Vale.

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Alfonsi Valdesii in scribendo raritatem ignoscit, fratremque ejus summae sibi curae esse significat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
ALFONSO VALDESIO. S. P. D.

Accepi tandem litteras tuas, eruditissime Valdesi, quae mihi, quo fuerunt optatae magis, hoc jucundiores contigere. Quod rescribendi officium longiore tempore praetermissum excusas, et te negas in eo praestando solitum esse amicos negligere, tibi facile assentior, non solum quia, quod ad me attinet, me non penitus tibi negligendum putabam, sed quia te semper ut humanioribus disciplinis excultum novi, sic egregia quadam prudentia et humanitate praeditum esse existimavi, in eos praesertim amicos, quos tibi communitas studiorum, et aliqua non vulgaris eruditionis, nec a virtute abhorrens opinio conciliasset. Illud potius suspicabar, te gravissimorum negotiorum vel copia implicitum, vel magnitudine pressum levioribus his officiis non vacare. Sed quaecumque ea causa fuerit, superioris temporis cessationem facile condonabimus, si eam, quemadmodum ostendis, in posterum frequentioribus epistolis aliqua ex parte resarcies. Id autem in primis a te certior fieri cupio, num epistola, quam tibi ad Erasmum misi, ad manus ejus pervenerit. Quod meas nugas videre cupis, de quibus Narcissum nostrum nescio

Digitized by Google

quid tibi narrasse scribis, libellum fratri tuo ad te mittendum dedi, eumque tibi diligenter commendarem, nisi erraret, ut Poeta ille ait, *qui commendandum se putabat esse suis*. Rogas porro, ut ipsum fratrem tuum, si ad me venerit, non secus ac te ipsum recipiam. An ego possum aliter eum recipere, quem cum video, sive stet, sive incedat, sive taceat, sive loquatur, quidquid denique agat, vel non agat, te ipsum videre puto? et quod est non minore admiratione dignum, non solum facie, sed etiam doctrina, ingenio, moribus, studiis ipsis te usque adeo refert, ut tu ipse, non frater tuus esse etiam atque etiam videatur. Faciam igitur, quod scribis. Ego vero antequam scriberes, faciebam, jam enim fueramus saepius de te primum, deinde de studiis nostris collocuti. Egoque libenter ei ac liberaliter, si quid in me opis esset, cuncta pollicitus sum, et quoties promissum reposcet, praestabo. Vale. VII. Kalend. Septemb.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Scribit Alberto, Principi Carpensi, quod Meteorologica *Aristotelis in Latinum converterit, et Carolo Caesari dedicaverit, eumdemque ad bellum contra Turcas Viennam obsidentes suscipiendum oratione incitaverit, cujus transmissae censuram postulat: praeterea de scriptis Alberti Pii contra Erasmum.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ALBERTO PIO, PRINCIPI CARPENSI S. P. D.

PRopediem fore spero, illustrissime Princeps, ut tibi per litteras in tanta Caesaris indulgentia et liberalitate gratulemur, interea meae nugae erunt mihi pro argumento. *Meteorologiam* Aristotelis, quam scis a me in Latinum fuis-

fuisse conversam, Carolo Caesari dicavi, et Placentiae dedi. Paulo post eumdem ab bellum in Turcas, Viennam obsidentes, oratione sum adhortatus, quam amicorum hortatu impressam ad te mitto: quam vellem, ut ante editionem censuram tuam subiisset. Sed quoniam id non licuit, illud saltim delectabit, qualis tibi, cum legeris, visa fuerit, intelligere.

Audio te nescio quid in Erasmum parare: novi tuam et prudentiam et gravitatem, sed tamen ille tam incunctanter, nolo enim dicere impudenter, quae ipsi vere scilicet, et ut Stunica clamat, verissime objeceras, inficiatur, ut sit difficile calamum continere. Si Alpes non intercederent, crede mihi, jam ad te advolassem, ut fruerer tuo desideratissimo et jucundissimo colloquio, sed temporum difficultate et locorum distantia deterreor. Novi, quod ad te ab aliis non putem perscriptum, nihil habeo. Vale.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER II.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Deflet obitum Jacobi Stunicae, in cujus obitum Epigramma a se conscriptum Episcopo Burgensi transmittit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

INACHO MENDOZAE, EPISCOPO BURGENSI, S. P. D.

GRavissimus mihi peracerbusque fuit nuntius, pater amplissime, qui nuper ad nos allatus est de obitu Jacobi Stunicae, in quo jacturam magnam litterae fecerunt, virtutesque omnes. Nam cum moriens omnibus, qui hominem familiari consuetudine noverant, ingens sui desiderium ob humanissimos jucundissimosque mores reliquerit, meus tamen dolor ob eam rem fuit praecipuus, quod redamari me ab eo viro intelligebam, cujus virtutes hoc ceteris altius perspexeram, quo diutius ipsum familiariusque colueram. Ita cum alii doctrinam modo illius et urbanitatem amplecterentur, ego multas pariter magnasque virtutes in eo demirabar, ingenii candorem, et cum libertate quadam ingenua, morum atque verborum honestatem ac pudorem innatum, vitae singularem innocentiam, mentis religionem praecipuam, et cum his omnibus incredibilem quamdam consuetudinis suavitatem. Quae cum nuper, sedato dolore, altiore cogitatione revolvere coepissem, venit mihi in mentem, brevi quodam Epigram-

Digitized by Google

grammate mores atque ingenium illius describere tentare. Quod cum his litteris tibi mitto, cui Jacobi Stunicae nomen curae esse certum habeo, ut si inscripto marmore tumulum ejus de more praenotare tanti putaveris, quod ut facias, te etiam atque etiam oro, habeas incultum fortasse carmen, sed tamen ejusdem ingenio et moribus cum certissimo testimonio accommodatissimum. Vale.

EPIGRAMMA

IN OBITUM JACOBI STUNICAE.

Flete virum, Charites, jacet hic virtutis alumnus
Stunica, secli laus delitiaeque sui.
Vos quoque lugete heu Musae, nam utrumque colebat
Ille chorum sancte, gratus utrique fuit,
Virtutumque gregi carus: languere videntur
Doctrina et probitas, cumque pudore sales.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Inacho Mendozae de incolumi in ecclesiam suam reditu gratulatur, ejusque vitae commoditatem et studiorum occasionem praedicat, adjuncto suo in patriam remeandi proposito.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
INACHO MENDOZAE, CARD. ROM. EPISC. BURG. S. P. D.

INcolumem te, gravissime praesul, in tuam ecclesiam pervenisse, quod scire mihi magnae curae fuit, vehementer gratulor, tibique et precor, et cupio ex sententia res omnes evenire, ut ipse, quemadmodum optabas, otio fruaris honestissimo, et tuae fidei commissum populum optimis

mis

Digitized by Google

mis institutis, et vitae similis exemplo sancte et juste modereris, quo munere nihil esse arbitror nec gratius Deo, nec hominibus fructuosius: credendum est enim Paulo, qui regnum Dei justitiam esse tradit, pacemque et gaudium in spiritu sancto; in hoc enim, ait, qui servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Ad has vitae commoditates cum accedat summa in altissimo isto recessu studiorum occasio, quid tibi deerit ad eam felicitatem, quae maxima potest hominibus in mortali vita contingere? praesertim urbanas molestias recordanti, quae plerisque libertatem non solum studendi, sed etiam liberaliter vivendi tollunt. Quamquam enim Romae magna est optimorum et vetustissimorum librorum copia, frequens doctorum hominum concursus, quibus rebus studia litterarum aluntur, difficile tamen est in fortunae quasi officina, vel suis, vel alienis cupiditatibus non inservire, atque aliis ex aliis nascentibus negotiis inextricabilibus non implicari. Quarum rerum taedium impatienter ferens, statuo equidem, urbe relicta, in patriam longo post tempore, hoc est, decimo octavo meae peregrinationis anno, cum tricis me quibusdam explicavero, remeare, ut in otium ac libertatem assertus, aliquando Musarum liberiore secretioreque commercio fruar. Novi, quod ad te non putem plenius certiusque aliorum litteris perscribi, nihil est. Erasmus quid agat, ignoro. Num Stunicae adnotationes in novum testamentum a te missas acceperit, ad tuamque epistolam responderit, scire pervellem. De studiis meis, erat enim nonnihil in manibus, scribam, cum erit tempestivius. Vale. Roma, Idibus Augusti. Anno Christi M. D. XXXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Narratio admirabilis quinque facinorum Romae patratorum post Clementis Pontificis in Galliam discessum.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA
INACHO MENDOZAE, BURGENSI EPISCOPO,
ET ECCLES. ROM. CARD. S. P. D.

NE meum officium in scribendo requiras, qui operam petis, argumenti genus non perscribis, accipe tragoedias, non quas poëta quispiam sit ingeniose commentus, sed quae Romae his paucis diebus post Clementis Pontificis in Galliam discessum patratae sunt. Pessima quaedam mulier, Cassandra nomine, juvenis amore capta, ut sublato de medio sene marito expeditius adultero commodiusque vacaret, cui etiam se nupturam sperabat, adolescentem sibi notum adit, egenum et audacem, cupiens ejus manu ad mariti necem abuti, pretium sceleris proponit decem aureos nummos. Adolescens conditionem haud prorsus aspernatus, quinque accepit statim, totidem accepturus, cum necem patrasset. Postridie mulierculae domum adit, maritum invitat ad animi causa urbem pervagandum (erat enim utrique conjugi familiaris) egressumque domo per loca ducit inhabitata. Cum ventum esset ad amphitheatrum, locum insolentem, et sceleri peropportunum, adolescens marito insidias uxoris, et conditionem sibi oblatam exponit, monetque, ut ad tempus urbe decedens, uxoris conatus devitet, et quid optimum factu sit, interjecto tempore consideret, simulque acceptos nummos ad viaticum peregrinationis tradit. Sed ut sceleratae, inquit, feminae fidem

peractae necis faciamus, et reliquum propositae mercedis ad praesentem meam indigentiam allevandam eliciamus, terram hic in secretiore loco suffodiamus, et hâc leviter, fruticumque ramusculis, te mortuo similem, sed ore libero ad spirandum supersterni tantisper patere, dum ego uxori tuae gladio meo te confossum, et hic semisepultum esse renuntiem, et dubitantem, ut par est, adducam. Quae cum placuissent, rebus sic compositis, adolescens ad mulierem revertitur, mercedis reliquum petit necati mariti, quem semiobrutum terra fruticibusque sub amphitheatro reliquisset. Fide non satis habita verbis, eadem in locum sepulturae ducitur, maritum agnoscit, mortuum credit. Dum revertuntur, ad forum boarium praetoris officiali cum satellitibus occurrunt. Hic mulier furore caeca, et sceleris conscientia exagitata, inclamare coepit, et fidem militum implorans: Hunc, inquit, (monstrabat autem adolescentem) hunc sceleratum comprehendite, qui meum hodie maritum interemit. Adolescens vero captus mulierculam magis capiendam esse clamat, totum crimen in eam rejiciens, et illa capta, rem hic ordine officiali narrat, missisque satellitibus senex ab amphitheatro, nondum enim recesserat, adducitur, omnibusque custodiae traditis, et re per quaestionem cognita, viri dimittuntur, femina plectitur poena capitali.

Mulier altera pellicatus impatiens, saepe maritum incusabat, jam precibus et lacrymis, interdum agens liberioribus querelis: ille vero tanto magis incendebatur ad adulteria. Quod uxor animadvertens, nec se ludibrio contemtuique haberi ferens, dormientem observat, atque tonsorio cultro membrum genitale cum testiculis abscindit: quo vulnere miser paulo post exspira-

ra-

Digitized by Google

ravit; ipsa, dum haec scriberem, e vinculis causam dicebat.

Pharmacopolae duo Valentini, Romam advecti, magnam ex suo artificio pecuniam communiter confecerant, magnaque concordia vixerant, ita, ut uterque alterum facto testamento heredem scriberet. Horum alter natu minor monstrum sceleris et ingratitudinis sola hereditatis cupiditate ductus, eidem amico et socio cognomine Uraeae, cui omnia debebat, necem moliebatur. Ad quod perficiendum duos milites Hispanos, vel potius sicarios denis aureis nummis, quos in hoc ipsum ab eodem amico fuerat mutuatus, conduxit. Hi, quo res facilius perficeretur, tertium pari pretio ad societatem sceleris invitant: cui neganti se temere conditionem accepturum, ne forte imprudens in amicum incideret, nisi prius se, cui, et a quo malum paretur, edocerent, Alfonsum Petrum Castillegium, civem meum, virum domi nobilem, qui tunc forte praeteribat, digito monstrarunt, atque eum esse, cui insidiae pararentur, confirmaverunt; tum pro sceleris auctore alterum ipsis notum hominem nominarunt, qui cum ipso praetereunte litigaret, scilicet, ut personis falso nominatis, rectius tutiusque tragoedia peragerctur. Erat autem Alfonsus Petrus militi, cui pro ignoto monstrabatur, ex castris notus et amicus, cujus ille ut saluti consuleret, conditionem militibus sese accipere dixit, et tempore, si vocatus esset, praesto futurum ostendit. Sed ab his digressus, amicum adit, periculum, quod ipsi a duobus mercede conductis militibus Hispanis impendeat, proponit; ut caveat, hortatur, seque domi diligenter, sed maxime noctibus contineat. Ille, qui nullius injuriae tanto odio dignae sibi conscius erat, dolum et avaritiam in indi-

ce paupere subesse suspicatus, tamen propter injectum scrupulum gratias agit pro indicio, rogatque, ne se anxium suspensumque relinquat, sed caeca solicitudine liberet, et ex duabus penulis, quae sibi suppetant, alteram sibi sumat. Index animadversa suspicione, et suis verbis fidem derogari moleste ferens, donum repudiat, et amice se ac sincere rem detulisse confirmat, et quo magis fidem faceret, milites et insidiarum auctorem nominavit, et ubi diversarentur, exposuit. Hoc Alfonsus audito, quamquam litis aut simultatis nihil ei cum auctore nominato intercedebat, tamen denuntiati periculi magnitudine commotus, indice digresso, rem cum amico et contubernali communicat, qui sibi negotium auctorem adeundi, ac de simultate odiique causa percuntandi suscepit. Sed ubi domum pervenit, ipsum ad januam sedentem, pedes manusque morbo articulari implicitum offendit, hominem, ut ex ornatu et familia conjicere licuit, gravem et honoratum: ex quo rem per se suspectam, falsam omnino atque fictam esse judicans, apud eum de insidiis mentionem facere levitatis esse existimavit. Quo renuntiato, Alfonsus temperare sibi in tanta solicitudine non potuit, quin sumto gladio, accito eodem amico et socio, milites adiret, et de insidiis ad se perlatis cum ipsis expostularet; seque solicitudine, quacumque ratione daretur, explicaret: sed cum diu quaesitos non invenissent, Deo scilicet flagitium nec peragi, nec impunitum relinqui volente, sese domum appetente nocte receperunt. Postridie mane ex amicorum sententia praesidem de rebus omnibus certiorem facit. Quo jubente, primum auctor sceleris commentitius, et index, deinde sicarii, postremo verus auctor tragoediae a sicariis prodi-

ditus cum fratre conscio capiuntur. Omnibusque in vincula conjectis, non diuturna fuit, nec difficilis causae cognitio: nemo enim factum negavit, omnes citra quaestionem initum consilium confessi sunt. Itaque ceteris dimissis, in sicarios, et auctorem cogitati facinoris capitaliter animadversum est. Hujus frater ad triremes damnatus.

Nec silentio praetereundum est eisdem fere diebus duos honestos et bene nummatos homines a suis servis occisos esse et spoliatos. Audisti immania exsecrandaque flagitia: nunc audi casum miserabilem. Scortum Hispani generis lepidum, ut ferebatur, et formosum, mula, ut Romae meretrices cum amatoribus solent, animi gratia gestabatur. Haec cum venisset ad Thermas Diocletianas, vivarium ferarum ingressa, nec contenta cicures vagantes spectasse, precibus contendit, atque agre impetrat a belluarum magistro, ut ingenti urso cavea separatim incluso, sed quem constabat in neminem antea desaevisse, exitum aperiret. Facta potestate, ursus erumpit, mulam terrefacit, excussam mulierculam, ceteris, qui aderant, diffugientibus, invadit, dictoque citius strangulat, et contrito capite, primum avulsa ubera, deinde natem alteram devorat, unguibus et dentibus laceratam. Efferatam bestiam existimo colore coccineae vestis, quam induerat missella, speciem sanguinis praeferentem. Haec omnia Romae patrata sunt paucis post Pontificis discessum diebus. Sed boni consulimus, quod Italia nullo infestatur bello, quo nomine jam video publica etiam latrocinia nuncupari. Vale, praesul gravissime, cui omnia laeta feliciaque precor. Roma, pridie Nonas Novembris. An. Christi nati M. D. XXXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Gratias agit Ludov. Avilae pro commentariis rerum a Carolo Caesare in Africa gestarum ad se missis, multumque se iis juvari asserit in bello Africo conscribendo.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA LUDOVICO AVILAE S. P. D.

COmmentarios rerum a Carolo Caesare in Africa gestarum, quos a te magna diligentia, parique ingenio confectos Garsiae Lasso ad me mittendos dedisti, libentissime perlegi, et utrique vestrum pro magno, et mihi maxime optato munere ingentem habeo gratiam. Quamquam vos pro talibus officiis gratiarum actionem non exspectatis, quibus video propositum esse gloriam bellicam laude litterarum cumulare, et hujusmodi studia cunctis rationibus fovere, ut laudare magis debeant homines institutum vestrum, quam pro eo vobis agere gratias. Sic igitur habeto, nihil mihi hoc tempore gratius his tuis monumentis evenire potuisse. Nam etsi ex duplicibus commentariis aliorum et multorum praeterea, qui rebus interfuerunt, sermone, historiam hujus Africi belli conscripseram, tua tamen diligentia multum me juvari posse video, fide porro et auctoritate in iis, de quibus ambigebam, vehementer confirmari. Quibus adjumentis instructus, libenter scripta mea de sacro bello recognoscam, adversus Christiani nominis hostes pie a Carolo Caesare Rege nostro suscepto, cui, debellato Charadino, debetur etiam de Solymano Turcarum Rege in eodem suo duce devicto triumphus. Vale. Roma, pridie Idus Januarii.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Jo. Genesio se ad omne officium praestandum offert Alfonsus Valdesius, ejusque litteris ad Erasmum missis respondet.

ALFONSUS VALDESIUS
JO. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

Litteras tuas, vir ornatissime, summa cum voluptate legi, in quibus tuam erga me voluntatem atque benevolentiam, de qua certe numquam dubitavi, facile perspexi. Perspiceres et tu vicissim meam erga te, si aut sermone, aut, quod longe esset gratius, re ipsa id tibi probare possem. Attamen nunc, cum nec opere, nec sermone quidquam valeam, superest, ut aut tu pro tuo candore mihi credas, aut occasionem suppedites, qua, quis sit meus erga te animus, aperire valeam. Quas ad Erasmum dedisti litteras, an ad eum pervenerint, nescio: certe ex his, quas ex Augusta illi scripsi, periere. Lucubrationes tuas, quas summa aviditate perlegi, propterea non laudabo, quod magis illis detrahere, quam conferre meum encomium posse videatur, nec vacet illas pro meritis laudare. Fratrem meum tibi commendavi, nimirum eruditissimo viro litterarum studiosum: sed video tuam erga me benevolentiam meae commendationi locum praeoccupasse. Vale, et me, quod mutuo facies, amare perge. Bruxellis XVIII. Kalend. Novemb. M. D. XXXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Carpit tacite Alfonsum Valdesium, quod nimis Erasmo tribuat; eosque, qui contra Erasmum scripserunt, defendit, et se ut amicum in Erasmum scripsisse Apologiam, non ut obtrectatorem, suadet.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
ALFONSO VALDESIO S. P. D.

ACcepi litteras tuas, seras illas quidem, et cum Erasmi responsum ad *Antapologiam* pro ipsius in conficiendis libris celeritate jam exspectarem; sed quibus molestiam, quam ex meo libello maximam te cepisse profitebaris, vigentem adhuc, nec se spatio temporis remittentem prae te ferebas. Itaque vehementer eos incusas velut ingratos et importunos, qui Erasmum de bonis litteris ac religione quotidie bene merentem libellis omnino inutilibus a tergo confodiunt. Quod qualecumque sit, ignoscendum est dolori tuo, propter nimium amorem, quo tantopere prosequeris Erasmum, tamque solicite studes ipsius gloriae, ut in aliena ejus causa plus paene tu, quam ipse in sua, laborare videaris. Ceterum, qui scribunt in Erasmum, primum de bono opere, ut est in Evangelio, non lapidant ipsum: deinde quamquam tibi videantur errare, sic tamen existimant, libellos suos non inutiles esse, sed commodissimos potius, aut etiam necessarios, partim bonis litteris, partim religioni, cujus nomen libenter omnes usurpamus, et nostris institutis praetendimus. Quod vero ad me attinet, quem non prorsus sano consilio, sed ingrato animo illam scribendi operam suscepisse confirmas, non mihi tam molestum fuit meum institutum parum

rum probari a te judice in Erasmi causa perquam suspecto, quam illud jucundum, quod affectum animi mei in virum optime de me meritum non potuisse te non laudare conscribis.

Quod porro te ais egisse cum Erasmo, ut omisso libello ad litteras tantum meas responderet (in quo vereor, ne tibi non sit morem gesturus) meque amicum potius, quam inimicum habere curaret, facis tu quidem et amice et perhumaniter, ut te pacis auctorem praebeas, et amicos tuos ad mutuam inter ipsos concordiam cunctis rationibus adhorteris. Ceterum ego, qui officii dumtaxat gratia causam egi Alberti Pii, ut amicus admonitor, non ut infensus obtrectator in Erasmum scripsi, ut quod idem ex religione dignitateque sua facturus mihi videretur, exponerem, non ut ipsum ad dicendi certamen provocarem. Parebo igitur libenter tuis monitis, nec ulterius, ut ipse admones, nisi me itidem officium etiam atque etiam adhortabitur, progrediar, equidem, ut teneam meam consuetudinem neminem sine causa necessaria, ut injuriam repellam, laedendi; non ut ei occurram suspicioni, a qua me tantopere dehortaris, ne gloriae studio voluisse videar cum Erasmo contendere. Nam ex alterius injuria famam aucupari, miserrimi ingenii est, et nulla sua virtute freti, qualis ille fuisse traditur, qui Dianae Ephesiae templum incendit, de quo vide ne non satis opportune memineris. Illud enim in eos dumtaxat convenit, qui cum nulla ipsis adsit industria, nulla denique vel ingenii vel animi virtus, qua possint nomen suum illustrare, per omne facinus praeposteram nobilitatem quaerunt. At ego neque ambitioni servio, nec si vel quam maxime serviam, sum adeo ignaviae aut infir-

mitatis conscius, quod sine arrogantia dictum accipi velim, ut quaerenda mihi esse putem flagitiosa compendia, quo posteris me vixisse testatum relinquam, aut ex tali certamine temere suscepto gloriam posse mihi tantopere contingere, quam ipse putas, qui Erasmum quasi numen par Dianae Minervaeque suspicis, et ejus scripta dictataque velut oracula legis. At ego in ea regione multos annos cum viris doctissimis et eloquentissimis, quorum laudem aemulari soleo, vixi, ubi longe aliter, certe non tam magnifice de Erasmo docti homines, quam tu, multique nostrae gentis vel sentiunt, vel loquuntur; ut intelligas, me Erasmum, ut non contemno, sed potius magni facio, sic non tantopere demirari, ut quemadmodum ipse videris innuere, gloriosum putem cum eo certare, cujus scripta, qua parte Christianam philosophiam attingunt, quaque versatur meus libellus, theologi, fortasse non recte, plurimi tamen, contemnunt, et sic aspernantur, ut quod ipse non ignoras, multis in locis minime ferenda esse contendant. Tu igitur hoc tribuis Erasmo, quod ipse fortasse non agnosceret, nec omnium in se scribentium consilium tam magnificis verbis damnaret, praesertim post illam disputationem, qua usus in eum sum in hoc, qui te tantopere offendit, libello, ad similem, quam de Alberto Pio idem moverat, suspicionem minuendam. Vale. Anno M. D. XXXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Recenset ostenta Romae mense Augusto visa, eorumque causas et effecta; et Plinii locum reprehendit lib. 2. Arcus noctu non fit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
JO. VALDESIO S. P. D.

EGOne ut meminerim, tibi me de portentis commentatiunculam promisisse? Portentum id esset, meminisse quod non fuerit. De cometis ut aliquid scriberem, a quibusdam me rogatum esse, tibi hoc ipsum mecum nuper agere incipienti, ac de ostentis, quae his paucis diebus visa sunt, aliquid ex me, ut ajebas, audire cupienti, dixi; scripturum nemini propter ingentes meas occupationes promisi. Sed tu videlicet quod non aperte negatur, id promissum statim interpretaris. Nec tamen te miror et insolentia rerum commoveri, et placita de his philosophorum velle cognoscere. Nam quae singula et longissimo intervallo cum admiratione mortalium solent exsistere, haec multa uno Augusto mense nuper accidisse notavimus: nam septimo Idus cometa duabus amplius horis solis exortum antecedens flagrare coepit. Pridie Idus tertia ferme diei hora ad Trojam Apuliae tres soles visi sunt. Idibus ipsis prima nocte alter cometa, qui solem duarum circiter horarum intervallo sequebatur, eadem forma visus est, sed minor et subobscurior, et aliis stellis vicinus: nam matutinus cum Venere exoriebatur, a qua vespertinus longe distabat. magno argumento errare, qui negant hos fuisse diversos. Quarto Kal. Septemb. iridem noctu, quod est omnium rarissimum, secunda

post solis óccasum hora supra Romam conspeximus.

Quoniam igitur te video non sine causa cupere, de his ostentis quid viri doctissimi sentiant, intelligere, auctores locaque indicabo, ubi quaestionem accuratius disputatam invenies. Lege primum et tertium Aristotelis *Meteorologicorum* librum; Plinii *Naturalis historiae* secundum; Senecae *Quaestionum naturalium* primum et septimum; nihil fortasse praeterea desiderabis. Si summam quaeris, quod non promisi, praestabo.

Quae res cometa dicitur, eadem variata figura variis nominibus appellatur; quem nuper vidimus uterque, a promissa velut juba in speciem barbae πωγωνίας a Graecis dicitur. Ignes id genus, quacumque figura frequentiores conspiciantur, Aristoteli siccitates ventosque portendunt, velut abundante calido siccoque halitu, qui ventis juxta et cometis pro materia est, nisi quod cometae in loco ignis appellati fiunt, cum ea materia compactior, et ad ignem ex motu caeli concipiendum opportuna facta fuerit. Venti infra montes altissimos ex hac eadem, sed rariore et fluida, dum a terra subit, generantur: quamquam eis principium motus superne adest. Plinius majorum malorum praenuntium cometam facit, et rem magnis bellorum civilium et Principum occasuum exemplis confirmat. Cui Lucanus astipulatus ait:

Crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometam.

Seneca temperat hanc sententiam uno dumtaxat exemplo, nec a Plinio praeterito, ejus cometae, qui, Caesare Augusto principatum ineunte, orbi salutaris apparuit. Geminati solis, qui παρήλιος a Graecis appellatur, causa eadem

dem est propemodum, quae caelestis arcus. Nam cum radii solares in nubem densiorem incidentes ita replicantur, ut colores dumtaxat quosdam nubes ostentet, arcus efficitur, aut virgae nuncupatae; cum porro figuram etiam reddit, et aequali densitate, tamquam speculum efficitur, sol geminatus videtur, et pluviam imminentem Aristoteli portendit.

Arcum fieri posse noctu veteres ante Aristotelem negaverant, nondum erat videlicet ob ejus raritatem tunc a viris doctis animadversus. Itaque solis tantum, non etiam lunae replicatos in nube radios posse illam arcus speciem ostentare putabant. Quorum errorem Aristoteles in tertio *Meteorologicorum* libro refellens, sua memoria bis visum testatur, spatio tamen annorum supra quinquaginta. Nam rarissime fieri ipse quoque confitetur, nec umquam nisi uno die mensis, hoc est, in plenilunio, cum luna plena lumine frequentiores vehementioresque radios emittit. Itaque Plinium auctorem alioquin gravissimum magnopere miror, quid ei venerit in mentem, ut nihil veritus tanti philosophi auctoritatem, sic in secundo *Naturalis historiae* libro scriptum reliquerit: *Arcus noctu non fit, quamvis Aristoteles prodat aliquando visum. Quod tamen fatetur idem non nisi tricesima luna posse.* Paucis verbis multa peccata, primum negat noctu fieri posse iridem. At nos ipsi nuper Romae cum multis conspeximus partem circuli quarta majorem absolventem, qui a Vaticano monte, qua septemtrionem spectat, meridiem versus assurgebat. Deinde summi philosophi testimonium nulla certa ratione rejicit. Tum eumdem non nisi tricesima luna arcum noctu fieri posse professum esse tradit. At ille in plenilunio dumtaxat, hoc est, luna quarta decima prodi-

didit; quamquam is, quem nuper Romae vidimus, non in ipso die plenilunii, sed postridie apparuit, atque adeo quadragesima octava circiter hora ab ipso temporis puncto, quo sol adversus plene lunam illustraverat.

Sed haec hactenus, quae si tibi breviora, quam pro rei magnitudine et difficultate videbuntur, meminisse debebis, nos rei summam epistola perstringendam, non quaestionem libro accuratius disputandam suscepisse. Vale. Romae, Nonis Septemb. Anno Christi nati M. D. XXXI.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Suam cum Roderico Manrico amicitiam confirmat, eique mittit commentaria Alexandri Aphrodisiensis in libr. Aristotelis περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *a se conversa et Romae edita, eumque, ut eadem accurate Parisiis recudi procuret, hortatur.*

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA RODERICO MANRICO S. P. D.

Ex litteris, quas proxime ad Pontium tuum, vel nostrum potius, misisti, quo in me animo esses, quantique faceres meas nugas, intellexi, simulque tuam indolem, studiaque perspexi. In quo enim ab eo petis, ut auctor interpresque fiat amicitiae inter nos conciliandae, prae te fers cum egregia humanitate magnum quemdam virtutis ac litterarum amorem. Nam licet ipse nihil in me agnoscam ista opinione tantopere dignum, tamen, qui absentem et ignotum ob nullam aliam causam diligit, quam quod eum et probum et eruditum arbitratur, hic nihil aliud amat, quam virtutem et doctrinam, quod magnum est insitae virtutis et honestissimorum stu-

Digitized by Google

studiorum argumentum. Tibi ergo magnam habeo gratiam, quod me tua benevolentia non indignum existimaveris: me vero ad te diligendum et amanter colendum multa cohortantur; primum ipsarum, de quibus dico, virtutum et litterarum studium, virtus enim ipsa sui lena est atque blanda conciliatrix; deinde generis tui claritas; tandem quod a te provocatus in amore vinci, turpissimum esse magnis auctoribus existimo. Cujus mei animi ut te per litteras facerem certiorem, eidem Pontio viro optimo et gravissimo me diligenter abhortanti libenter sum obsecutus, dedique has litteras ad te, quae foederis instar magis habeant, quam epistolae, ut me jam scias ita esse animatum, ut in te colendo, et, si quid in me facultatis erit, ornando, nusquam sim officio defuturus.

Alexandri Aphrodisiensis commentaria in duodecim Aristotelis libros περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ a nobis ante aliquot annos e Graeco in Latinum conversa, Romaeque impressa, ad te, quemadmodum jussisti, mittimus. Quae, si me audies, saepe ac diligenter lectitabis; nihil est enim eis eruditius, nihil ipsorum auctore vel gravius, vel subtilius, teste non solum Averroë cive meo, qui ipsum est plerisque in locis secutus, sed etiam Hieronymo, qui se commentarios ejus vertisse in epistola quadam gloriatur, sive quoniam eos e Graeco in Latinum sermonem converterit, sive, quod magis puto, quia saepe evolverit lectitando. Illud autem a te peto, vehementerque rogo, ut, si hoc opus Lutetiae, quemadmodum te facturum ostendis, excudendum curaveris, des operam, ut id accurate diligenterque fiat: ad cetera enim mala, quibus fama interpretis est opportuna, accedit librariorum negligentia,

tia,

Digitized by Google

tia, qua si quid peccatum fuerit, hoc quoque plerumque solent obtrectatores interpretibus assignare. Vale, et me, quod mutuo facis, ama. Romae, Idibus Jul. Anno Christi nati M. D. XXXIV.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Se excusat, quod rarius scribat, gratulaturque Francisco Florido ob felicem Bononiam adventum, et eum, ut in studia graviora incumbat, admonet, humaniores autem litteras animi tantum gratia recolat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

FRANCISCO FLORIDO S. P. D.

ACcepi litteras tuas, erudite Francisce, plenas ut ingenii, sic officii et benevolentiae, ad quas quominus ante rescripserim, non oblivio tui, cujus mihi esse solet perquam grata recordatio, sed partim multae meae occupationes fuerunt in causa, partim quod, cui litteras ad te darem, nemo erat. Hoc epistolium, ne diutius meum officium desideres, Joanni Scobari misi, homini Hispano, et in collegio Hispanorum diversanti, qui tibi reddat investigato. Quod scribis, tibi adventum tuum Bononiam ex voto ac sententia successisse, etiam atque etiam gratulor, optoque et precor, ut cuncta tibi feliciter eveniant. Tu modo da operam, ut ingenium tuum agnoscas, ne in tanta studiorum occasione tempus nequidquam teras. Urge tuum institutum, totusque in doctrinae genus incumbe, quod uberiorem tum fructum, tum honorem non temere pollicetur. Amoenitates humaniorum litterarum, in quibus diu non sine laude versatus es, iis dumtaxat horis sectaberis, si me audies, cum animus fessus a severio-

rioribus studiis est recreandus, illis in otio frui semper licebit, horum magistros audiendi non semper est occasio. Hoc tua fortuna in primis desiderat, hoc tibi commodissimum erit, hoc patri gratius nihil facere potes. Hoc igitur cura, et vale.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Jo. Toleto gratias agit nomine Francisci Toleti, quem aere alieno liberaverat, eumque certiorem facit de sua cum Illo in Hispaniam post XX. annos redeundi cupiditate.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JOAN. TOLETO, EPISCOPO CORDUB. S. P. D.

INgentes gratias tibi nuper egit apud me Franciscus noster Toletus, cum ipsum magno aere alieno liberasses. Nam se tuo beneficio sublevatum esse dicebat onere, quod sibi gravius Aetna sustinere videretur. Ergo te, quem dominum solet omni sermone vocare, tunc patrem etiam suum appellabat, qui multa et magna in se beneficia, tanta tamque opportuna liberalitate cumulasses. Nec aliud jam vel cogitat, vel expetit, nisi ut te primo quoque tempore revisat, et tua gravissima simul et jucundissima consuetudine fruatur, quem adhuc honestae rationes prudensque consilium distinuit, ne si a Clemente P. M. cujus animum in se ornandum proclivem sentiebat, praepropera quadam festinatione discessisset, videri posset, non satis consulte neque tuis negotiis, neque suis commoditatibus prospexisse. Sed hac cunctatione per obitum Pontificis sublata, et negotiis, quae propter diuturnum ejus morbum conficere nequiverat, extricatis, sta-

Digitized by Google

tuit, cum primum per tempus anni licebit, hoc est, ineunte vere, in Hispaniam proficisci, et me, quo sui colendissimo, postquam Romam venit, semper est libenter et familiariter usus, comitem etiam itineris habere vellet, non solum ut habeat cum quo possit confabulando taedium itineris levare, et familiares conferre sermones, sed etiam quoniam se putat, ut ipse ait, rem tibi gratam facturum, si hominem secum ad te duxerit, quem tu propter nescio quam doctrinae et studiorum opinionem aliquid esse putare soles, et certe tuarum virtutum gloriaeque vestrae clarissimae familiae studiosissimum. Quocirca me jam de reditu in patriam in proximum autumnum cogitantem diligenter hortatus est, et rogavit, ut maturarem profectionem, sibique in Kalend. Aprilis pollicerer. Ego vero quamquam nondum satis, quid mihi faciendum esset, constitueram, tamen omnia mea consilia studio et voluntati ejus pro mea in ipsum singulari benevolentia et observantia posthabui.Sed dubium et labantem animum meum hoc impulit facilius, quod se statuisse affirmavit apud te aestivare ad Salmanticam, vel Albam, consilio videlicet salutari, ne si Cordubam recta contenderimus, longo post tempore reversi, protinus cogamur in calidiore regione caniculae ardores experiri cum utriusque quidem gravi periculo, sed meo longe majore post annum vigesimum in patriam ex Italica peregrinatione redeuntis, velut ex industria fuerim moram Homerici Ulyssis imitatus. Nos igitur, pater amplissime, ducente Deo ante Kalendas Junias exspectabis, et locum parari jubebis idoneum, tum ad aestivandum, tum ad philosophandum. Vale, et primo quoque tempore, volente Deo, profecturis bene precaberis. M.D.XXXIV.

EPI-

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Respondet jocis Francisci Toleti, et de voluntate animoque in se Ducis Albani, et Card. Quignonii agit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
FRANCISCO TOLETO S. P. D.

Litteras a te Romae datas postridie Nonarum Octobris ipse Genuae III. Nonas Novembris accepi, sed hujusmodi, ut facile tarditatem jucunditate compensarent. Erant enim officii, benevolentiae ac humanitatis plenae. Nam quid ego de urbanitate dicam? Quae tibi tam penitus insedit, ut nihil, nisi aspersum aliquo sale nec dicere possis, nec scribere. Haud enim sum tam hebes, ut te, cujus ingenium et libertatem novi, blanditum mihi esse putem in eo, quod scribis, Trebatium a me non solum ceteris in rebus, sed laude quoque bellica fuisse superatum. Quem tu mihi Trebatium narras? aut quid tibi venit in mentem, in meo facto Trebatii potissimum mentionem facere, qui non magis philosophus est habitus, quam ego jurisconsultus? Illud igitur haud dubie (nec enim me fallis) significare voluisti homo vafer, me nihilo magis in Ligustico mari nuper natare voluisse, quam illum olim in oceano Britannico, quod per jocum in epistola objicit ei Cicero, velut iners et ignavum. Sed heus tu, dum talia ludis, memento etiam in jocis retinere aliquam aequitatem, nisi forte eamdem fuisse putas meam et Trebatii causam: at Trebatio licuit commode in classe octingentarum navium in Britanniam brevissimo trajectu navigare, mihi erat infesto mari cymba cum magna re-

 rum

rum omnium difficultate multo longior in Galliam praeter amicorum sententiam, et manantium rumorum rationem suscipienda navigatio. Qui si vos censores audivissem, non modo natationem eo tempore vitassem, sed omnino maris conspectum; nec me, dum officii rationem sequor, ante tempus in urbem conjecissem, omnium, quas ego aut viderim, aut legerim, maxime et inhospitalem, et ab omni genere ac studio litterarum abhorrentem, et quae sola in Italia extremum belli discrimen adivit. Sed ad tuum dictum redeo, quod mihi risum movit, hoc etiam jucundiorem, quod jam pridem vix aliquem nactus fueram, quicum possem aliquantisper ridere docte. Nam quod hostem gratularis ab urbis oppugnatione fortiter a nobis fuisse rejectum, id non per jocum a te, sed serio dictum accipio: strenue namque repulsus est a nobis, a militibus quidem manu et telis, a me vero, meique ordinis hominibus, id est, a clericis, lacrymis et orationibus: sic enim solicita vota, piasque preces appellare solemus, quoniam arma nostra, ut auctor est Paulus, non carnalia sunt, nec sanguinolenta, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Sed de his hactenus.

Voluntatem optimi ac humanissimi viri Principis Albani, tui propinqui, meique patroni, quam tu mihi per litteras, conscius videlicet ejus in me animi, liberaliter polliceris, jam ego cum epistolam accepi, re fueram expertus, ejusdemque singularem humanitatem ac benevolentiam perspexeram. In quo vero meam consuetudinem te tantopere desiderare confirmas, prae te fers singularem amorem tuum, non ignotum illum mihi quidem, sed suavissimum et peroptatum. Eodemque modo

ju-

judico de animo in me praesulis amplissimi Cardinalis Quignonii, patroni mei, de cujus voluntate in me ac humanitate eadem ex aliorum litteris libenter intellexeram, quae proxime ex tuis libentissime cognovi. Vale, Genua quarto Idus Novembris, M. D. XXXVI.

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Deplorat improbitatem sui temporis, et juste Deum iratum esse contendit; ut autem facilius emendari possit, sacerdotum vitia prius corrigenda admonet.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
GASPARI CONTARENO, S. R. E. CARD. S. P. D.

CUm ex moribus nostris, et cultu Christianae pietatis neglecto conjecturam facio; cum ad tempora nostra, quorum ipse calamitatem epistola tua paucis quidem, sed prudentissime deploras, specto; tibi equidem vehementer assentior, Deum nobis etiam atque etiam iratum esse. Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quae verba olim a Paulo in ethnicos philosophos potissimum dicta, non possum non vehementer dolere tantopere in nostri ordinis, hoc est, sacerdotum mores jam pridem convenire. Qui cum morum ac religionis magistros agamus, Deumque plus ceteris novisse profiteamur, non tamen sicut Deum glorificamus, nec gratias agimus, sed evanuimus in cogitationibus nostris, et obscuratum est insipiens cor nostrum, et pro sapientibus stulti facti sumus. Ergo jam diu benignitate Dei atque patientia, quae nos ad poenitentiam inducit, abu-

u-

Digitized by Google

utentes, duritia nostra et corde impoenitente iram nobis, ut Paulus ait, thesaurizamus, quam cum adhuc mediocribus in rebus experti simus, verendum est etiam atque etiam, quod ipse scribis, ne nisi resipiscamus, justissima eadem ira Dei gravius in nos pro nostrorum criminum magnitudine et ratione desaeviat. Jam enim irascentis Dei non obscura indicia, sed manifesta documenta videmus, quae ipse commemoras, schismata, haereses, Christianorumque Principum dissidia et intestina bella, quibus malis jam pridem Ecclesia ac omnino Christianus orbis continenter afflictatur. Quo diligentius nobis, qui in partem solicitudinis, ut ipse ais, atque curae pascendi gregem Christianum vocati sumus, enitendum est, ut Deum nobis nostraeque fidei commisso populo placatum reddamus. Quod non tam verbis aut precibus, quam pietate sanctitateque hominum effici certum est: quas artes frustra et impudenter postulabimus in aliis, si curam ipsarum in nobis recusaverimus. Prius enim vitam nostram pie sancteque instituamus oportet, quam pravos popularium mores castigare aggrediamur, si velimus cum fide et auctoritate, agenda, vicissimque fugienda aliis praescribere, eodem Paulo auctore, qui sic nos in Tito cohortatur: *In omnibus*, inquit, *te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, integritate et gravitate.* Sic enim fiet, quod Christus praecipit in Evangelio, ut nostra lux, hoc est, splendor ejus doctrinae, quam ad aliorum mores instituendos atque formandos adhibemus, sic luceat coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent patrem nostrum, qui in caelis est. Verba enim, cum discrepant a vita et moribus praecipientis, fide carent et gravitate; ac, ut tuus philosophus ait,

Digitized by Google

ait, non sunt nisi verba, id est gloriolae ac venditationes. Sed longius provectus sum fortasse, quam erat necesse, non tui docendi causa (quis enim Minervam doceat?) nec admonendi, quem nullo loco Reipublicae Christianae, quantum est in te, deesse scio, ac ut religionis omnisque virtutis exemplo, sic oratione, cura et diligentia paratum esse certum habeo, tuum officium Ecclesiae praestare; sed ut sponte currenti adderem, ut dicitur, calcaria, simulque fruerer jucundissimo tuo colloquio. Mihi enim suavissimum est tecum viro doctissimo gravissimoque, et Antistite religiosissimo per litteras, quando coram negatur, hujusmodi conferre sermones, nec illiteratos videlicet, nec a bono publico abhorrentes, et apud eumdem te, quid mei judicii sit, quae ratio subveniendi rebus lapsis ineunda mihi esse videatur, quid demum maxime cupiam, testificari. Cujus summa est, ut primum omnium sacerdotum vitia, quae causam dedere nostris malis, locumque haereticorum fraudibus atque calumniis fecerunt, tum publice, tum etiam privatim emendentur; sed ita emendentur, non ut vestium fimbriarumque lasciviam edictis coërcere proceres Ecclesiae contenti sitis, sed ut veteres sanctorum patrum leges, quae mores attingunt, jam diu jacentes excitetis, ac pristinae auctoritati, quae licentia temporum jam propemodum abolevit, restituatis, idque non senatusconsultis, aut novis decretis, quorum sunt omnia referta, sed factis et exemplis usuque virtutis faciatis; ut omnes intelligant, rem Ecclesiasticam non sacerdotum arbitrio, ne libidinem dicam, ut quidam loquuntur et jactant, sed piis sanctorum patrum institutis administrari. Quod factum iri nostra tempestate ut sperem, quaedam me rationes cohor-

tan-

tantur, sed maxime omnium Pauli Pontificis Maximi sapientia, et animus, quem in bonum publicum esse proclivem, ut ipse testaris, maximis et illustribus documentis mihi videtur declarasse. Primum, quod te, et quosdam alios tui similes, singulari doctrina ac religione et omni virtutum genere praestantes viros in collegium Cardinalium cum magna et sua et vestra laude cooptaverit. Deinde, quod universale sacerdotum concilium indixerit tempore maxime necessario. Postremo, quod gratiae inter Principes Christianos reconciliandae constituendaeque pacis auctor fuerit, nullo nec labore longi itineris, nec valetudinis incommodo atque periculo in ea aetate recusato. Quae res non modo mihi, sed cunctis Christianis magnam exspectationem, et spem melioris rerum status ac conditionis attulere. Vos igitur pergite, et Pontificem incitatum sponte sua ad corruptas et vitiosas consuetudines emendandas, ad optimam rerum Ecclesiasticarum administrationem recipiendam adhortamini, ne rei bene gerendae praesentem occasionem amittatis. Qua in re, si adessem, me vestrorum consiliorum atque conatuum admonitorem, ineptum fortasse, fidum tamen ac diligentem, et boni publici studiosum haberetis. Vale, pater gravissime, tibique persuade, me tui tuarumque excellentium virtutum esse studiosissimum.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Judicium suum fert Cardinalis Contarenus de Jo. Genes. Sepulvedae opusculo De anno: *cur annus cum a bruma sumat initium, octavo post brumam die incipiat.*

GASPAR CARDINALIS CONTARENUS JO. SEPULVEDAE S. P. D.

Accepi opusculum tuum *de ratione anni* simul cum epistola mihi scripta plena singularis cujusdam erga me benevolentiae et eximiae humanitatis, quandoquidem serio judicium meum de tuo hoc opere requiris, nec ludis, ut plerique nostra hac tempestate facere consueverunt, qui post libros publicatos et editos, laudari potius volunt, quam fidum consilium habere. Quamobrem meas partes esse duxi, quamvis parum peritus, ac propterea minus idoneus sim afferre judicium de operibus praeclarorum hominum, qualem te esse plerique omnes noverunt, si non doctum, saltem tibi fidum me amicum praestare. Mihi visum est opusculum tuum hoc multis in partibus illustre. Ea quoque, quae in calce dicis de *Aera*, mihi valde verisimilia visa sunt, ac diligenter notata. Causa etiam illa prior, cur annus noster evariet, verissima est, quam nullus negare queat. Altera vero, quam addis, ac miraris praeteritam fuisse ab aliis, non mihi videtur satis constans. Ego olim saepenumero dubitavi hoc in loco, in quo video te haerere, cur scilicet annus, cum a bruma sumat initium, non etiam coeperit a die brumae, sed octava post brumam die jam a temporibus Augusti; rebar ego id, quod tu reris, erratum fuisse, nescio qua ratione, nec tamen conjicere po-

poteram, quae fuisset errandi causa. Post nonnullos annos tandem deprehendi id, quod Forosemproniensis Episcopus astrologiae peritissimus mihi illustre fecit. Julius Caesar, Genesi, in anno constituendo habuit rationem solis, in mensibus vero putavit habendam rationem lunae, a qua etiam dicti sunt menses, aureumque numerum decemnovem annorum collocandum putavit in mensibus sui anni. Idcirco post brumam novam lunam exspectavit, a qua primum mensem inchoaret, quae fuit octava die post brumam: sicque in suis Fastis seu Kalendario, ut loquar nostro more, constituit aureum numerum, unum, inquam, post viginti dies Januarii ad diem pridie Kalendas Februarias: sicque secundum aureum numerum, unum, inquam, post vigintinovem dies mense imperfecto, seu octavo Kalend. scilicet Martii. Haec ergo ratio fuit, cur Kalendae Januarii fuerint protractae octo diebus post brumam. Tuum erit judicium. Ego cum Forosemproniensi Episcopo sentio hac in re. Id vero, quod affers de anno corrigendo, ut scilicet statim ac simul tot diebus annum unum minorem faciamus, quot erravimus; cum non vulgaris turbatio tum fastorum, tum negotiorum videri posset, si id fiat, minus mihi probatur, quam si dimissa diei intercalatione, totidem annis, quot sufficiant resarciendis diebus illis, quibus antevertimus, sensim ratio anni, vel instituta a Julio Caesare, vel quae exstabat Nicaeni concilii tempore, restituatur; longe minori turbatione hoc pacto, ut reor, res tota processura est: verum non ita tueor hanc sententiam, quin facile sim concessurus tuae. Haec notanda visa sunt in tuo praeclaro hoc opere. Tu pro tua singulari eruditione rectius omnia et judicabis et statues. Vale, Romae VII. Kalendas Maii. An. M. D.XXXIX. *EPI-*

Digitized by Google

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Confirmat Contarenus suam sententiam de initio anni in superiore epistola, et respondet locis ex Galeno et primo Fastorum Ovidii allatis a Jo. Genesio Sepulveda.

GASPAR CARDINALIS CONTARENUS JO. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

NUllo pacto tibi persuadeas velim, Sepulveda doctissime, ulla negligentia, aut oblivione tui factum esse, ut tam diu respondere distulerim tuis litteris amoris et officii erga me plenis: verum cum nonnulli amici mei, tui nominis studiosi, a me legendas petiissent, ac habuissent, easque per manus traditas, cum mihi redditas esse arbitrarer, sedulo inter meas schedas inquirens, nusquam reperiebam, qua in re dum ego et mei diligentiam adhiberemus, demum ad hanc diem res est protracta, nec tamen litterae inventae. Quamobrem duxi non amplius mihi differendum esse, ne, dum vellem officiosus esse, et singulis earum partibus respondere, tibi jure videri possem parum officio satisfaciens. Legi igitur et Galeni locum, quem citas in primo *Epidemiarum*, et Ovidii in primo *Fastorum.* In Graeco codice Galeni res est magis expressa, quam in Latino; ibi enim Februarius δεύτερος μετὰ τὰς χειμερινὰς τροπὰς mensis dictus est, et Januarius primus, ubi plane videre poteris nostrae sententiae locum illum nihil obstare. Etenim nos quoque putamus prima post brumam luna fuisse Kalendas Januarias. In Ovidii vero versu, *quod sol novus, et annus novus eat Kalend. Januar.* non fuisse servatum exactum illud, quod Graeci

Digitized by Google

dicunt, ut scilicet propterea velimus eam fuisse diem brumae, cum sol Capricornum attingit: perspicue ostendit auctor idem inferius, qui scribit *secundo post Carmentalia die*, *XVI.* scilicet Kalendas Februar. ingressum solis in Aquarium, qui utique esse nulla ratione posset, si ipsis Kalendis sol primum attigisset Capricornum. Columella gravis auctor, qui floruit tempore Augusti, non multo post Julium Caesarem, lib. IX. *de Re rustica* cap. 14. inquit: *Ab occasu Vergiliarum ad brumam, quae fere conficitur circa VIII. Kalendas Januar. in octava parte Capricorni, jam recondito melle utuntur examina.* Dicit, octava parte Capricorni, octavae sphaerae, quae processerat orientem versus. XI. libro ejusdem operis cap. 2. versus finem, idem dicit juxta observationem Chaldaeorum; licet in codice impresso scriptum sit XI. *Kalend. Januar. brumam esse*: quem locum puto legendum *VIII. Kalend.* Verum utro modo legatur, nihil refert, constat brumam fuisse ante Kalendas Januar. Plinius libro XVIII. cap. 25. de quatuor cardinibus anni loquens, cum dixisset fieri illos in octavis partibus signorum, ea de causa, quam supra tetigimus, subdit: *Bruma Capricorni octava scilicet parte ab VIII. Kalend. Januar.* Mihi certe loci hi praeter ea, quae priori epistola ad te scripsi, magnopere persuadent, Julium Caesarem non inchoasse annum a bruma, sed a prima luna post brumam. Poteris tu, et peritiores melius totam hanc rem dijudicare. Forosemproniensis Episcopus non citat auctorem quempiam antiquum. Haec pro jure amicitiae nostrae volui tibi afferre, ut tota causa diligenter perspecta statuas, quid tibi sit sentiendum et agendum de opusculo illo tuo eruditionis pleno, quo me honestare, quae tua est humanitas, voluisti. Nos bene valemus, ac tibi omnia

nia bona optamus. Vale, Romae, Nonis Febr.M. D. XL.

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Excusat se de intermissione litterarum et anni corrigendi silentio; accusat vero negligentiam Rom. sacerdotum in cogendo concilio; respondet deinde ad ea, quae obstare suae sententiae videbantur.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

GASPARI CONTARENO, S. R. E. PRESB. CARD. S. P. D.

QUod tam longum fuerit mearum litterarum intervallum, et de quaestione corrigendi anni silentium, mallem equidem aliqua mea desidia, vel oblivione commissum fuisse, et in eo culpam agnoscere, soliciteque deprecari, quam ex vestra, hoc est, sacerdotum Romanorum, ut libere loquar, negligentia veram causam afferre; quos nimirum frigere, et nihil minus, quam de cogendo concilio cogitare video, cujus, ut spes me prius acuebat et incitabat, sic desperatio jampridem hebetat atque retardat. Quos enim maxime in publicam Ecclesiae salutem excubare, atque ejus dignitatis augendae nullam occasionem praetermittere oportebat, ab iis concilii, rei salutaris, et si umquam alias, nunc maxime necessariae mentionem fieri non alio tempore video, quam cum bellum aut geritur inter Principes Christianos, aut impendet; ad summam cum certa spes est, horum discordia ipsum impediri posse. Nam cum pax rediit, et firma concordia, de nulla re majus est silentium, ut quid intempestivis edictis alieno tempore captent, neminem quamlibet tardum ad intelligendum dubitare patiantur. Sed quoniam in tanta multorum desidia, tua mihi singularis rei ecclesiasticae

Digitized by Google

cae cura explorata est, et studium boni publici perspectum; redibo ad quaestionem de ratione mensium et anni, quam ad te misso libello complexus sum, respondeboque ad ea, quae obstare meae sententiae tibi visa esse proximis litteris scripsisti, vel hoc ipso navaturus operam, quod tecum viro doctissimo, religionis antistite gravissimo, de rebus honestissimis, litteratis, et ad bonum publicum pertinentibus tantisper colloquar. Scio quod scribis et admones, traditum esse tum a Columella, tum a Plinio, brumale solstitium in octava parte Capricorni confici ad octavum Kalendas Januarias. Sed illud non ignoro, quod te quoque meminisse oportet, haec eos non a Julio Caesare, aut Juliano Sosigene sumsisse, sed ut ipse Columella declarat, ab Eudoxo et Metone veteribus astrologis, hoc est, a Graecis auctoribus, apud quos diversa ratio erat tum anni, quem a solstitio aestivo inchoabant, tum mensium, quos ad lunae motum accommodabant; ut hi sine magno errore et inconstantia ad Romanorum, Caesarisque menses interpretando referri nequaquam possint. Unde Ovidii quoque manavit inconstantia, qui plane testatus, id quod erat consuetudine Romanorum indubitatum, initium anni sumi a solstitio brumali, et, ut par erat, Kalendis Januarii, in cujus mensis principio de fastis scribens, cum haec traderet, versabatur; paulo post ad Graecorum observationes redit, de transitu solis in Sagittarium, sextodecimo Kalendas Februarii, in quo, ut Columella docet, secutus est Hipparchum, cui placuisse refert, solstitia et aequinoctia non in octavis, ut Eudoxo et Metoni, sed in primis partibus signorum confici, et brumale solstitium in sextumdecimum Kalendas Jannuarii in-

incidere. Tanta est Graecorum varietas atque dissensio.

Haec cum ita sint, video tamen difficile factu fuisse, septem illos dies brumae, et Kalendis Januariis interjectos, publico mortalium errore latenter obrepsisse. Itaque admonitu tuo, re diligentius et accuratius inspecta, venit mihi in mentem suspicari, id quod ipse initio tibi placere conscripseras, Julium Caesarem, vel potius Sosigenem principium anno solstitium brumale fecisse, Januario vero novam lunam, quae proxime secuta est, octavo scilicet post die, idque non ob eam causam, quam ipse priore tua epistola auctore Forosemproniensi Episcopo proposueras, quod Caesari oportere visum fuerit, ut mensium initium ad motum lunae, unde scilicet nomen acceperunt, accommodaret, quemadmodum anni ad solis circumactum. Haec enim causa, quod ad menses attinet, inanis prorsus, quod pace Forosemproniensis Episcopi dixerim, mihi semper visa est, et ab instituto Caesaris abhorrere, qui varietatem superioris rationis, et inconstantiam pertaesus, quae in mensibus constituendis lunae cursum sequebatur, ut annum, item menses ad solis motum referri voluit, ut annus intelligatur spatium temporis, quo sol totum signiferum pervagatur, mensis vero unius signi solis ejusdem peragratio. Non igitur hanc causam, quae nulla est, secutus esse Caesar, vel Sosigenes videri potest, sed illam, quam solam mihi venit in mentem suspicari, quod tum ad fastorum sibi conficiendam rationem accomodatius, tum inveteratae sacrificiorum consuetudini convenientius Caesari visum est, a nova luna Januarium mensem inchoari, saltim eo anno, unde decemnovem annorum circuli ab ipso traditi principium su-

sumendum ac repetendum erat ; cui consuetudini quantopere soleant auctores interdum servire, docet Columella, qui libro de *Re rustica* IX. cum Hipparchi sententiam solstitia et aequinoctia in primis signorum partibus confici docentis probaret, se tamen profitetur idcirco fastos Eudoxi atque Metonis vetustiorum astrologorum in octavis tradentium sequi, quod hi publicis sacrificiis essent aptati, et notior illa vetus agricolis concepta opinio. Itaque Caesari vel maxime fuit optandum, ut lunae cum sole congressus eo anno in brumale solstitium incideret, ne scilicet quae natura indiscreta sunt, distraherentur, utque annus naturalis et civilis, ejusque primus mensis ab eodem principio repeterentur. Sed aliter cadente, non putavit prorsus sibi esse a more majorum et sacrificiorum temporibus recedendum. Erat enim vetus Romanorum consuetudo, ut satis me puto in meo libello, Ovidio, Simplicio et aliis bonis auctoribus, docuisse, ut a brumali solstitio annum inchoarent, primum vero mensem, hoc est Januarium a nova luna, quae proxime brumam sequeretur; Februarium a secunda, et ceteros eodem modo, ut Hebraei mensem primum a nova luna post aequinoctium vernum, quod eis erat initium anni, et Athenienses a nova luna post solstitium aestivum, unde principium anni capiebant, quo fieri necesse erat etiam in maxima sacerdotum fide ac diligentia, ut non semper in octavum post brumam diem, aut alio certo numero Kalendae Januarii, sed plerumque citius, aut tardius pro varietate temporis lunae silentis inciderent. Cum igitur accidisset eo anno, quo nova ratio est a Caesare constituta, ut octavo post brumam die esset nova luna, quo die superiore consuetudine Januarius hoc anno erat in-

inchoandus, itidem sibi Caesar faciendum ob eam, quam dixi, causam putavit, quae ut illi commenticiorum deorum Pontifici Maximo propter vanae religionis jam abolitos fastos gravis est visa, sic apud verae pietatis Antistites nullius debet esse ponderis, cum nihil faciat ad Christianorum fastos, aut siquid facit, leve incommodum maxima commoditate pensetur, ut obstare non debeat, quominus in correctione anni Kalendae Januarii ad anni naturale principium, et diem Christi natalem, et haec omnia ad brumale solstitium revocentur, plana, luculenta, et plena dignitatis ratione inita, quae nec a summa veteris Romanorum instituti abhorreat, et sit piae Christianorum consuetudini a natali Christi, quem natum constat in ipsa bruma, caput anni repetentium aptissima, sublata quorumdam errorum occasione. De quo quid sentias, erit humanitatis tuae, et mihi gratissimum, ut rescribas. Nam si tibi probabiles causas, cur illud dierum, ex quacumque, certe parum, aut nihil ad nos pertinente causa interjectorum intervallum multifariam importunum tolli debeat, attulisse videbor, poterit fortasse non inutiliter libellus edi, paucis mutatis de spatii temporis interjecti causa, de qua nobis fuit adhuc, nec erit amplius dissensio. Sequar enim te quocumque duxeris hac in parte, modo ipse mihi in summa causae ne refrageris. Vale.

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

A Cardinale Contareno certior fieri cupit, quid cum Carolo Caesare in religionis causa agat, et de concilio ad haereses excutiendas et damnandas convocando disserit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA GASPARI CONTARENO, S. R. E. PRESB. CARD. S. P. D.

SCripseram ad te, pater gravissime, cum Madritium ex meis Cordubensibus hibernis reverti, quo soleo quotannis ad patriam temperiem frigora vitandi gratia secedere, quae sunt meae tenui valetudini tam inimica, ut eorum timore prohibitus sim, quominus Carolum Caesarem in istas rigentes plagas proficiscentem sequerer, atque eas litteras, quibus modum faciens quaestiunculae de anni correctione ad proximas tuas respondebam, Romam proficiscenti tabellario dederam. Nondum enim de tuo in Germaniam adventu quidquam certi cognoveram: quo factum est, ut Petrus Martinus meus domesticus sine meis ad te litteris proficisceretur, cui modo per litteras, ut te adiret, supplexque meis verbis salutarer, mandavi. Ab eo de mearum rerum studiorumque ratione, si scire tibi tanti erit, edoceri poteris, quem ego isthuc, ut cum cetera memoratu digna, tum quid vos religionis patroni geratis, quid moliamini, diligenter observet, et ad me perscribat, exploratorem misi. Suspectum, inquis, vocabulum et insidiosum: fateor, si calumniam sociis, malumque moliatur, non si spectat, ut solet interdum, ad officium. Ceterum vos, quid faciatis, etiam atque etiam videte, nam exploratorum omnia sunt plena,

na, a quibus ad nihil non intentis, quidquid exceptum est, statim per omnem Christianum orbem dimissis litteris perfertur: sed alii alio, ego hoc animo consilia et facta vestra, id est, Caroli Caesaris et tua, qui Pontifici Maximo in hac publica religionis causa vicariam operam impendis, explorata mihi esse velim, ut eadem cupiam multis ex causis, et precer exitu felicissimo concludi, vel quia Christianus sum, et sacerdos catholicae pietatis non obscure studiosus, editis etiam in haereticos libellis, vel quia nihil tam libenter soleo litteris mandare, quam si quid ab iis, quorum virtutibus et gloriae faveo, gestum sit, quod posteritati gratum, et bonis piisque viris probatum fore videatur. Sic enim cum magna mea voluptate fungor officio, cui me Carolus non ambitiose, sed more majorum, suas et gentis nostrae res gestas monumentis mandandi praefecit. Quo me magis solicitum habet ea cura, quo tandem sit evasurus vester iste conatus, qui (ut vos quoque hominum de vobis sermonem exploratum habeatis) ejusmodi esse plerisque videtur, ut vota magis facienda sint, quam inito consilio fidendum; a quorum ipse sensu non multum interdum abhorreo. Constat enim, ut optime nosti, majoribus nostris, sanctisque patribus eam rationem haereticos convincendi, ac eorum fraudes detegendi certissimam, commodissimam et gravissimam visam esse, ut sacerdotum universali concilio rite convocato, in eo de publicis controversiis religionem attingentibus ad Antistites referatur, ut res multum ac diligenter agitata, eorumdem patrum sententiis ac suffragio permittatur, ipsorum decreta Spiritu Sancto, quem hujusmodi conciliis interesse, ac potius praeesse credimus, comprobante. Sed

Digitized by Google

in his piis deliberationibus illud pervetustum et justissimum decretum in primis usurpari renovarique solet, ne qua haeresis in aliquo rite coacto concilio priorum sententiis damnata, in dubium ac disputationem revocetur. Cujus sacrosancti decreti ea vis est, ut hoc uno cuncta dogmata Lutheranorum corruant. Quid enim novi excogitarunt ingeniosi artifices? quid vero afferunt, quod non hauserint ex veterum haereticorum damnata sentina? Haec cum ita sint, religionis morumque summam in hujusmodi controversia paucorum doctorum hominum disputationi, et quasi certamini, aequatis utrimque classibus, et quidem loco nostrorum iniquiore Pontificis Maximi voluntate permitti, nonne simile est ac si quos capitalium et manifestorum scelerum reos, quos liceat justissimis legibus gravissime et cum summa auctoritate damnare, summus magistratus sic suam causam agentes audiat, ut crimina plane confessi, in leges receptas sacrosanctasque argute disputent, et cum justitia et innocentia virtutes omnes in discrimen vocent? easdemque de vetere sua paternaque possessione, judicibus quoque damnatis, pellere nitantur? Cum igitur publicae viae, et sanctorum patrum auctoritate munitae et frequentatae trames quidam salebrosus et paene praeceps praelatus esse videatur, merito publicae causae a piis hominibus et vestrarum laudum cupidis timetur. Quamquam ea est hominum opinio, ut, si res ceciderit, quemadmodum optamus magis quam speramus, id totum admirandum beneficium fore credatur, quod Deus Ecclesiae suae, et optimae ac piae menti Caroli Caesaris tuaeque inusitata ratione tribuerit; sin aliquid fuerit offensum, maxima pars invidiae in eos conferatur, a quibus nullis Caroli

roli justis piisque precibus impetrari potuit, ut in tantis rerum angustiis Ecclesiae catholicae suum officium, quemadmodum oportebat, praestarent. Carolo enim quis jure obtrectet, si negligentia et culpa eorumdem a recta et tutissima via interclusus in dubia diverticula descendit, dum pie cupit religioni laboranti, et a quibus minime oportebat, paene desertae, quacumque aditus ostendatur, vel cum aliquo discrimine subvenire? Sed nos fortassis inepti sumus, nec ad altissimae mentis vestrae recessum et consiliorum intima, nostra tarditas penetravit, aut res aliter quam sit, ad nos fama perfertur. Mihi enim Pontificis Maximi Carolique ac tuam prudentiam recordanti, utrumque saepe venit in mentem suspicari. Erit igitur humanitatis tuae, quae supra scripsi, qualiacumque sunt, in bonam partem accipere, et ut sunt, sic ab optimo in catholicam religionem vosque patronos ejus animo profecta esse existimare. Vale, amplissime Praesul, cui omnia laeta feliciaque precor. Ex Madritio, pridie Idus Junii. Anno Christi M. D. XLI.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER III.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Explicat Marchesiae Zeneti rationem suorum studiorum, quomodoque mandato Caroli Caesaris in ipsius Hispanorumque rebus gestis describendis laboraverit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

MARCHESIAE ZENETI S. P. D.

AVe, Princeps illustrissima. Ex verbis Gironis tui, vel nostri potius, qui mecum solet non invitus sermones tum litteratos, tum etiam familiares conferre, multa de tuis excellentibus virtutibus, egregia doctrina, et singulari humanitate cognoveram, quae meum animum in tui admirationem observantiamque traduxerant. Nuper ex litteris, quas ad eumdem proxime misisti, hoc, quod humanissime innuis, intellexi, tibi, quando coram negatur, non ingratum fore, ut per litteras colloqueremur. Erat in eadem epistola, scire te velle, quid agam, et quibus in studiis nunc maxime verser, cum significatione quadam opinionis tuae a meis litterariis rationibus non aversa, quae cura et existimatio mihi est instar immortalitatis. Scito igitur, quando haec cognoscere pro tua humanitate tanti putas, me illa studia graviora sacrarum litterarum ac philosophiae, quae ab ineunte aetate Graece atque Latine colui, non deseruisse, ut in-
di-

dicio tibi esse potuerunt mei libelli, quorum lectionem, cum scilicet in eos incidisses, haud injucundam tibi fuisse scribis. Nihil enim ad hoc tempus edidi, edidi autem opuscula complura, quin ex illis quasi fontibus argumentum hauserim, qui ne illud quidem adduci umquam potui, ut extra libros Aristotelis de philosophia, et ejus Graece enarratorum interpretis officio fungerer. Sed posteaquam mihi Carolus Caesar suas Hispanorumque res hac memoria gestas conscribendi negotium injunxit, necesse fuit, aliquid de severioribus illis, sed mihi gratioribus studiis remittere. Quippe id muneris serio mihi a tanto principe mandatum esse, ut par est, semper existimavi, non joco, ut quidam ante me putasse videntur. Quorum si officii ratio constaret, multo minus mihi esset in hac suscepta provincia laborandum, quam nunc sic subire cogor, quasi nulla cuiquam ejus cura ante me fuisset injuncta. Itaque omnia multo etiam ante praeterita magno labore conquirenda mihi sunt, disponenda et illustranda. Nec tamen difficultatibus cedendum putavi. Sed cum ad eas expediendas, et utrique studio partitis temporibus satisfaciendum, curae ac diligentiae praesidium, non invita Minerva, mihi comparaverim, perpetuam historiam a bello Pannonico, quo princeps Turcarum Solymanus a Carolo fugatus est, usque ad Caroli ejusdem postremum hunc ex Hispania discessum deduxi. Unde ad superiora tempora, et initium principatus ipsius regressus, in eam curam incumbo, ut, quibusdam altius, sed summatim, quo sint omnia ad cognoscendum illustriora, repetitis, principium conveniens rerum tantarum enarrationi sumatur, et in quem temporum atque rerum statum Caroli regnum

gnum inciderit, non ignoretur. Vale, feminarum decus, tibique persuade, me tuarum laudum et gloriae studiosissimum esse. Ex Madritio, VII. Kalendas Septemb. Anno Christi M. D. XL.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Excusat suam apud Petrum Messiam in scribendo raritatem, eumque laudat pro animo et officio sibi praestito in indice sui libri vertendo, et cura imprimendi suscipienda.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
PETRO MESSIAE S. P. D.

EPistola tua, quam ipse decimo Kalendas Aprilis dederas, reddita mihi est cum indice libelli ad nonum Kalendas Majas, ne qua forte mea negligentia factum putes, ut sero ad eam rescriberem, qui ultro etiam paulo ante ad te nescio quid litterarum dederam, prius daturus, nisi me discedentem ipse cum indice Hispane verso tuas exspectare jussisses, quas tandem, optatissimas officii ac humanitatis, ac item singularis benevolentiae plenas accepi. Cui scilicet indulgens earum rerum me laudibus onerasti, quarum in me vix adumbratam effigiem agnosco. Sed hoc quoque humanitatis et amoris est, gloriolae vel falsae blandis stimulis ad virtutis studium euntem fortassis adhortari. Quod autem mihi omnia defers, ac liberaliter cum hac dumtaxat exceptione polliceris, quantum valeas, et quantum possis, ingentem tibi gratiam habeo pro isto in me animo, qui licet se omnibus in locis et ex cunctis partibus ostendat, nuper tamen mihi plane perspectus est et exploratus, cum me Hi-

Hispali peregrinantem comirer admodum omnibus officiis es prosecutus, ac discedentis operosum negotium libenter suscepisti. Quarum omnium rerum erit apud me memoria sempiterna, nec committam, ut in caritate et benevolentia provocatus tibi non respondisse, aut a te victus fuisse videar. Index a te apte et luculenter versus mihi visus est: eum ad te perpaucis mutatis remitto. Superest, ut ipse pro tua humanitate inceptum beneficium absolvas, curesque, ut libellus primo quoque tempore in manus hominum emendate ac diligenter excusus exeat. Mohedano nostro canonico Hispalensi, a quo mihi per te gratissima salus missa est, plurimam salutem referes. Vale, et me, quod facis, mutuo dilige.

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Majo Vicecancellario Aragoniae commendat Joannem Soram.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA

MAJO, VICECANCELLARIO ARAGONIAE, S. P. D.

VEreor, ne me parum memorem gratumve putes, qui postquam a te liberaliter, ac magnifice potius habitus, multis denique tuis officiis devinctus discessi, nihil ad te litterarum dederim: sed me rursus confirmat, quod te novisse arbitror consuetudinem ingeniumque meum, qui libentius soleo re, si quid praestare possum iis, quos colo et observo, quam verbis aut litteris meum animum declarare. Quod si forte parum habes notum, perspicies idem, si quid positum in meo studio, opera, vel diligentia tibi gratum fore, me admonere tanti putabis.

Joannem Soram Caesaraugustanum multis mihi officiis, et magnis amicitiae vinculis conjunctum, tibi, si meministi, tum inter navigandum, tum Barcinone absentem praesens accuratissime commendavi, ut te auctore magistratum quemdam in urbe patria consequeretur, et quantum ejus causa laborarem, exposui, tuque tibi rem curae fore liberaliter nobis recepisti. Is nuper cum in patriam ex gymnasio Bononiensi doctor utriusque juris redivisset, ad me scripsit, rogavitque, ut eam commendationem diligenter renovarem, nec enim se dubitare pro singulari mea in te tibi non ingrata observantia, quin ea commendatio multum apud te ponderis esset habitura. Illius voluntati hoc ego libentius annui, quo mihi notiores sunt virtutes ejus, singularisque gravitas atque doctrina. Quapropter te majorem in modum oro, atque iterum et saepius contendo, ut eum in tuam fidem recipias, in tuis habeas, et sic ornes tua benignitate, ut intelligat meam commendationem apud te magno sibi adjumento fuisse. Spondeo enim, in meque recipio, ea prudentia, ea probitate Joannem Soram esse, ut quodvis ejus generis munus ejus fidei recte possis committere, quod ipse, cum ille ad te venerit, facile pro singulari tua prudentia brevi poteris judicare. Vale, Valdolito, undecimo Kalendas Octobris. Anno Christi M. D. XXXVII.

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Causam reddit, quare Rodulpho Pio, S. R. E. Card. ob dignitatem adeptam, citius non sit gratulatus, sed id postea per Bernardinum Episcopum Venafranum fieri mandarit, laetaturque Isidorum Neilam Rodulpho Card. commendatum esse.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA
RODULPHO PIO, CARDINALI ROM. S. P. D.

Quod tibi, pater amplissime, non ante fuerim per litteras gratulatus de honore novo, tibi tamen jam pridem debito, deque gradu dignitatis, in quo te tui generis dignitas, sed multo magis excellentium virtutum ornamenta collocarunt: non est, quod ulla mea negligentia factum esse putes, qui meum in te animum nosti, atque studium et observantiam perspexisti. Hujus igitur officii differendi nulla, crede mihi, fuit alia causa, quam quod ego, donec ex Gallia in Italiam remeasses, ad te scribere opportunum non putabam; nec tamen interea tacitus sum mecum ipse laetatus, sed gaudium, quo me gratissimus ille nuntius compleverat, saepe apud magnos amicos prae me tuli, et cum tuarum virtutum laude praedicavi; simul professus, ut res est, non mihi satis esse constitutum, utrum tibi magis gratulandum sit, quod in locum ascenderis, unde clariora possis tuarum virtutum cum bono publico praebere documenta; an amplissimo Cardinalium, in quod fuisti cooptatus, collegio, quod eum virum nactum sit, cujus non modo oratione et prudenti consilio, sed etiam vitae atque morum exemplo possit magnopere juvari. Ceterum utrique gratu-

lari non desisto, utrique rem feliciter evenire cupio, precor, et spero.

Perquam reverendo patri Bernardino Episcopo Venafrano, quem justis ex causis unice diligo et observo, per litteras mandaveram, ut cum primum in urbem redivisses, te supplex meis verbis salutaret; quod factum esse, teque recordatione meae singularis in te benevolentiae et observantiae non parum delectatum, fuit mihi gratissimum ex litteris ejus intelligere, simulque cognoscere Isidorum Neilam meum, vel jam potius nostrum, qui me multis et longi temporis officiis demeruerat, a te fuisse mea causa in tuorum domesticorum numerum receptum. Itaque tibi pro tanta benignitate et humanitate magnam habeo gratiam, tibique Isidorum majorem in modum commendo, quem ejus ingenii atque morum esse confirmo, ut nihil debeas de ipsius fidelitate dubitare. Nam sedulitatem et industriam in muneribus sibi commissis exsequendis ipse perspicies, si quid ei paulo gravius commendabis, aut jam potius perspexisti. Vale, patrone mihi maxime colende, et me, quod mutuo facis, ama. Ex Valdolito, tertio Nonas Septemb. M.D.XXXVII.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Miratur Honoratum suis litteris non respondere, quibus certior fieri cupiebat de rebus Caroli Caesaris et Philippi Principis, et suae, dum ab illis abest, vitae rationem explicat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
HONORATO JOANNI S. P. D.

DEderam ad te jam pridem litteras circiter Kalendas Decembris, opinor, simulque miseram epistolam Latine scri-

scriptam, quam Philippo Principi nostro redderes; sed nec a te, nec ab alio quopiam amicorum remissas litteras accepi. Nam te certe acceptis litteris nihil rescripsisse adduci non possum, novi enim humanitatem, officiumque tuum; sed aut meas tibi non esse redditas, aut tuas ad me non esse perlatas, hiemis forsitan magnitudine interclusis itineribus, tantas enim aquas, tamque diu continuatos imbres in his regionibus nemo est, ut arbitror, qui viderit. Itaque in magna rerum aulicarum ignoratione jam pridem versor, quod me vehementer anxium habet, scire cupientem res Caroli Caesaris quo in statu sint, bellumne gerat anni durissimo tempore, qui nullas difficultates solet exhorrescere, aut magnopere vitare; an sibi, militibusque parcat in hiberna deductis; quid agat Philippus Princeps, redieritne in gratiam cum Musis, a quibus studio Hymenaei nonnihil alienatus esse videbatur. Nam si partium causa perstat in simultate, nihil est, quod studii litterarum administri properemus, praesertim in tanta itinerum difficultate, altissimis ubique fluminibus, rapidissimis torrentibus, et ut reor, ad Orospedam, jugaque Segoviensia altissimis nivibus impeditorum. Suspenso igitur animo tuas litteras exspecto, ex quibus valeam consilii mei rationem moderari. Si quaeris quid interim agam, nihil certe minus, quam quod putaveram, praeter studiorum quasi legitimum pensum. Mihi erat in animo aedificia coepta perducere, serere arbores, ac ex plantariis semina radicata transferre: nihil horum permittit pluviis durissima hiems. Ego vero, quod pertinet ad aedificia, absolutis etiam timere cogor, ut constant magna ex parte, more nostrae gentis antiquo, parietibus formaceis, quos si-

Digitized by Google

sine magna sane causa magnopere demiratur Plinius Secundus, multum scilicet de sua admiratione remissurus, si ei accidisset, ut tali quopiam anno imbribus eos pervictos passim ruere conspiceret. Pontifici Carthaginiensi, quem nuper missis litteris pro mea singulari in ipsum observantia salutandum curaveram, tu quoque meis verbis dices plurimam salutem. Vale. Pridie Nonas Febr. M. D. XLIV.

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Philippo Hispaniarum Principi, quid, dum Episcopum Carthaginiensem in interiorem Lusitaniam ad Mariam Joannis Portugalliae Regis filiam, sponsam ipsius excipiendam sequeretur, in itinere rerum vetustarum et memoria dignarum viderit, transcribit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

PHILIPPO, HISPANIARUM PRINCIPI, S. P. D.

Quoniam tibi rerum vetustarum notitiam gratam in primis esse perspexi, non alienum, nec injucundum tibi me facturum existimavi, si paucis ad te quaedam memoratu digna scriberem, quae in itinere notavi, dum Episcopum Carthaginiensem tuum legatum, viam in interiorem Lusitaniam habentem, sequerer tua voluntate, cum is ad Mariam Joannis Portugalliae Regis filiam, sponsam tuam in confinio regnorum excipiendam, deducendamque cum magno nobilium doctorumque virorum comitatu contenderet. Ex Vaccaeis profecti, in qua regione situm est, ut nosti, Valdolitum regium oppidum, Vettonibus transmissis, quorum est Metimna Campestris, Salmanticam primam urbem Lusitaniae doctrinarum omnium gymnasio celeberrimam venimus; hinc egressos

via

Digitized by Google

via militaris excepit, quae Emeritam Augustam ducit, Romanorum quondam nobilissimam Lusitaniae coloniam deductis militibus emeritis ab Augusto Caesare, unde nomen cognomenque urbi: via haec olim munita, strataque lapidibus erat, et columnis paulo statura humana procerioribus per singula passuum millia distincta. Quarum ego rerum vestigia magna cum voluptate perspexi. Nam etsi ejus munitiones injuria temporum magna ex parte disjectae deletaeque sunt, tamen quibusdam in locis exstant etiam nunc ipsarum clara vestigia, et columnae, quae quinae atque senae ad intervalla, ut dixi, milliariorum signanda erigebantur, inscriptae nonnullae litteris Latinis, sed deletis magna ex parte, et quae vix ob vetustatem dignosci queant, praeter admodum paucas, quarum una est duo millia passuum ante Carcabosum, qui vicus ab Emerita Augusta viginti quinque leucis nostris abest, cujus inscriptionis exemplum infra scripsi. Ex eo viam hanc militarem a prioribus Romanis munitam, deinde usu et vetustate disjectam, postremo ab Hadriano Imperatore instauratam restitutamque fuisse cognosces. Horum ego intervallorum sex septemve, comparato ad id certae mensurae filo, metienda curavi, eaque omnia reperi inter ipsa parvo discrimine congruentia, scilicet prout nos majore, minoreve dispendio per novam viam a vetere rectissima nonnihil discrepantem, columnarum intervalla conficiebamus. Patent igitur intervalla singula mille passus, hoc est, pedum quina millia, ratione ad veterem Romanorum consuetudinem pedisque mensuram revocata, quam pedis mensuram ipse notam habes ex ea ferrea, quam anno superiore tibi ostendi, dedique, ad duas lapideas, quae Romae sunt in hortis Angeli Colotii

Digitized by Google

tii per me ipsum emensam, et perfecte coaequatam. Itaque mihi perjucundum fuit animadvertere illam pedis mensuram horum milliariorum rationi respondere. Illud etiam gratissimum, quod spatium a nostris *leucam* appellatum passuum non tribus, ut vulgo docti etiam homines opinantur, sed quatuor millibus constare, cum leucis milliaria non semel, nec uno loco conferens, manifesto deprehendi. Quod ipsum aperte inscriptio columnae indicat, in cujus extremo, ut in plerisque aliis, numerus milliariorum, sumto initio ab ipsa Emerita Augusta, notatur, scilicet CII. qui numerus ad amussim cum leucis quadrat, collatis in singulas quaternis milliariis.

Illud quoque in eodem itinere non sine admiratione quadam animadverti, nobis, ut Pacem Augustam perveniremus, Anam fluvium, qui Baeticam dirimit a Lusitania, necessario fuisse trajiciendum, ita eamdem urbem, quae Romanorum colonia fuit, ad Anae quidem ripam, sed in parte Baeticae sitam esse, cum tamen Lusitaniae veterum auctorum consensu tribuatur. Cujus rei causa, cum accuratius omnia perpendissem, non aliunde profecta mihi tandem visa est, quam ex Lusitanorum finium inconstantia, qui pro ratione jurisdictionis saepe, ut Strabo refert, mutati sunt. Sic enim factum esse reor, ut in jurisdictione Baeticae Lusitaniaeque praesidibus finienda, Pax Augusta Lusitaniae, a qua fluminis ibi ponte commissi alveo dumtaxat excluditur, contribueretur, ac proinde Lusitana colonia populari Romanorum consuetudine diceretur. Quam consuetudinem auctores rem ad vivum non resecantes exactae rationi, velut aequitatem summo juri praetulerint. Idemque judico de Metellinensi colonia, quae et ipsa in parte Baeticae

Anae

Anae appoſita, Luſitanis tamen coloniis ab geographis connumeratur. Hanc enim urbem, quae nunc *Balojoz* corrupto vocabulo nominatur, olim fuiſſe Pacem Auguſtam, conſenſus eſt eruditorum. Nam cum pleraque urbium et oppidorum Hiſpaniae Latina nomina vel prorſus abolita ſint, vel admodum depravata Barbarorum, qui Hiſpaniam invaſerunt, injuria; Pax Auguſta in *Baxagus* primum Maurorum corruptione, deinde in *Badajoz* degeneravit, ut ex *Aſtigi* in ripa Singilis *Ecija*, et ut cetera omittam, ex *Segobriga* ad radices Oroſpedae montis Duratoni fluvio appoſita, loco munitiſſimo, *Sepulvega* primum facta eſt, quo nomine id municipium, quod quondam ampliſſimum et maximae auctoritatis fuit, in ſui fori legibus appellatur, poſtremo in *Sepulvedam* abiit. Erat autem antiquitus Pax Auguſta non ſolum Romanorum colonia, ſed etiam conventus, ut Emerita Auguſta, et utraque civitas juris Italici, ex quo jure Italici, vocabulo ad immunitatem pertinente, dicebantur, unde Italci, deinde *idalgi*, et *hidulgui* paulatim corrupta voce nominati ſunt. Vale, princeps humaniſſime, cui omnia laeta feliciaque precor. Ex Pace Auguſta, VI. Kalendas Novembr. Anno Chriſti M. D. XLIII.

INSCRIPTIO COLUMNAE.

IMP. CAESAR
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOS. TRA
IANVS. HADRIANVS. AVG
PONTIF. MAX. TRIB. POT. V
COS. III. RESTITVIT
CII

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Petrus Avila Genesio Sepulvedae probat, apud veteres in more fuisse, ut proceres historias scriberent, simulque transmittit Ludovici Avilae fratris, commentaria de rebus Caroli Caesaris in Germania contra fidei desertores gestis.

PETRUS AVILA, NAVARUM MARCHIO, JO. GEN. SEPULV. CAESAREO HISTORICO, S. P. D.

VEtustissimus, ut nosti, mos fuit, atque utinam temporis pravitas eum non abolevisset, ut proceres, ac magni viri historiam scriberent. Nam, ut regem Jubam omittamus, scis enim quantus vir fuerit Ptolemaeus, qui in Aegypto regnavit, quantus Aristobulus, ambo magni Alexandri purpurati, quis Thucydides, quis Xenophon, quis Tacitus et Sallustius, et non absque reverentia nominandus Titus Livius, sed ut numerosissimam classem istorum omittamus, veniendum est ad illum, qui solus rationi meae patrocinari potest, D. Julium Caesarem judicio meo hominum ultimum. Et cum sic se res habeat, videbatur inter nos hic mos jam propemodum evanescere, cum subito exortus est Caesar noster Carolus Quintus, tertium belli fulmen, qui rerum a se gestarum mole, magnitudine ac pulchritudine omnium scribentium calamos occupat, inter quos est Ludovicus Avila Stunica frater meus, qui commentaria de rebus in Germania gestis contra fidei desertores vernacula lingua conscripsit, ac mihi ea lege misit, ut ad te quam citissime exemplar mitterem. Accipe igitur munus fratris mei, qui te vehementer amat, atque in pretio habet, et tibi erit curae, illi

Digitized by Google

illi scribere a me ejus commentaria recepisse. Ceterum te rogo, ut me inter amicos tuos annumeres, et meis facultatibus perinde ac tuis utaris. Vale. Ex arce Navarum, Idibus Jul. M. D. XLVIII.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Respondet Petri Avilae litteris, cum quibus fratris ipsius commentaria de bello Germanico acceperat, multumque se illis juvari confidit in perficienda Caroli Caesaris historia.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

PETRO AVILAE, NAVARUM MARCHIONI, S. P. D.

Accepi tuam epistolam, illustrissime ac doctissime Marchio, simulque Ludovici Avilae fratris de *Germanico bello Commentarios*; utrumque mihi fuit gratissimum, utrumque loco magni beneficii. Itaque epistolam libentissime legi, ut Latine, sic eleganter scriptam, plenam officii et humanitatis, qua fratris optatissimum mihi munus humanissime persequeris, deque ipsius in me voluntate multis quidem officiis, atque adeo meritis mihi jam diu cognita, sed quae quotidie sese magis ostendit, commemoras. Ipsos vero Commentarios prudentissime ac diligentissime confectos, quos statim cupidissime perlegi, tanti facio, ut nihil mihi potuerit hoc quidem tempore nec optatius contingere, nec gratius. Nam cum me valetudinis aetatisque jam ingravescentis ratio intra Hispaniae fines contineat, quo minus valeam, ut maxime vellem, Carolum Caesarem assectari, unaque ratio supersit res ipsius in locis remotissimis gestas historiae causa cognoscendi, ut utar aliorum, qui rebus gerendis interfue-

fuerint, opera, et notandi scribendique diligentia; quid mihi vel ad fidem gravius, vel ad cognitionem accommodatius accidere potuit diligentissimis commentaris ab eo viro conscriptis, qui sit non solum illustri loco natus, et ab ineunte aetate studiis litterarum deditus, sed qui ab Imperatoris latere fere numquam discedat, ut rebus ipsis non interfuisse modo, sed etiam praefuisse videatur? Nam ut ipse in tua epistola prudentissime innuis, multum addit historiarum gravitati et fidei, si ad auctoris diligentiam et doctrinam etiam personae dignitas accedat. Quod igitur scribis, ut ipsum de perlatis ad me commentariis certiorem faciam, hoc equidem officio primo quoque tempore libenter fungar, atque eo magis, quod id sine crimine et ingrati animi nota praeterire non possum. Quod vero tuam voluntatem mihi tam liberaliter defers, etsi jam pridem tuum in me propensum animum claris documentis perspexeram, tamen ejus rei mihi, ut recordatio solet esse perjucunda, sic commemoratio fuit gratissima, cui voluntati ut pari, aut etiam cumulatiore studio respondeam, dabo equidem, ut hucusque feci, operam, nec committam, ut in vos, in te, inquam, et fratrem humanissimos et de me bene meritos patronos, ullum memoris et amantissimi clientis officium a me praetermissum esse videatur, vos ex animo colendo et observando, atque etiam loco, si quid erit in me facultatis, justis laudibus ornando. Vale.

EPI-

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

A Joanne Martino Silicaeo petit librum sibi promissum.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JO. MARTINO SILICAEO, PHILIPPI PRINCIPIS MAG. S. P. D.

TU me fortasse, doctissime Silicaee, nuper lusisse putas, cum te libellum poscerem, unum e tribus, quos ipse domi te habere dixeras, captivos scilicet, custodiaeque datos, velut novae religionis interpretes, per eam precandi rationem, quae nuper Romae κἀμοῦ συνεργοῦντος inita est, de qua id temporis disserebamus. Ego vero egi serio, et quam non gravate adquieveris roganti, quamque fueris liberaliter pollicitus, memoria teneo. Quod si tu temere fortasse promissorum μνάμονας μισεῖς, vitium Graecorum vetere proverbio notatum meminisse debes, haec non in convivio esse acta, sed in congressu familiari, eodemque litterario. Erit igitur officii fideique tuae manumissum libellum, incolumemque nobis mittere, cujus culpam visus mihi es amicitiae nostrae condonare, si culpa vocari debet vetus sanctorum patrum institutum magna ex parte in consuetudinem revocare, idque non privato consilio, sed jussu et auctoritate Pontificis Maximi, et communi sacerdotum atque praesulum Romanorum approbatione, quorum judicio gravissimae quaeque Christianorum et religionis causae dijudicantur. Non igitur modo ut meis commodis serviam, libellum mihi a te mitti cupio, sed tua causa multo etiam magis; quin eos omnes libellos a te, cujus laudi pietatique faveo, procul abductos perve-

Digitized by Google

velim , ne si quid gravius in eos statueris , dum odio indulges , ut rumor est , plus quam Vatiniano , aliquid te indignum admittas , teque obstringas sacrilegio. Sed extra jocum , mihi feceris pergratum, si libellum miseris, quem tibi non tantopere displicere, quam quidam ad nos detulerant, gratissimum mihi fuit nuper intelligere. Sed si me amas , quamprimum mitte , ut habeam quem possim in alterius locum sufficere , jam usu confecti , et paene demortui , qui quasi miles veteranus fractus laboribus et plagis , quas tum navalibus , tum pedestribus pugnis acceperit , confossus missionem pridem vacationemque suo jure quotidie flagitat , et vix abstinet conviciis. Quod si impetrabimus , erit , quod uterque nostrum gratias etiam atque etiam agamus tuae liberalitati. Vale.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Rogat Simonem Colinaeum, librarium Parisiensem, ut Aristotelis libros de Repub. a se in Latinum conversos, in vulgus edat.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA SIMONI COLINAEO, LIBRARIO PARISIENSI, S. P. D.

Scripsi nuper ad te , libros Aristotelis de *Republica* , quos e Graeco in Latinum convertissem , et brevibus scholiis enarrassem , velle me tuis typis , ut cetera mea scripta, diligenter excusos , si tibi nec incommodum , nec ingratum esset , in manus hominum emittere , nihil scilicet deterritum occupata a novis interpretibus editione , quorum utriusque magnam negligentiam vel caecitatem potius deprehendissem. Eam epistolam tabellarius a se tibi fuisse redditam affirmavit , sed responsum idcirco eumdem

a

a te non petivisse, quod tu Lutetia, cum ipse paucis post diebus rediret, abesses. Quid igitur ad ea rescribas, exspecto; qua de re Jacobo Carvajali viro nobili, et mihi amicissimo modo per litteras mandavi: is te de mea voluntate pluribus verbis edocebit. Ergo tuum erit, ut quid statueris, me primo quoque tempore certiorem facias, ut tibi archetypum, si conditio placuerit, mittam, sin aliter, ipse quoque de meis rebus consilium capiam. Vale, Madritio, Kalend. Septemb.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Sebastiani Leonis munusculum cum epistola sibi gratum fuisse scribit, eique suadet, ut prae ceteris Ciceronem stili exercendi ergo legat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

SEBASTIANO LEONI S. P. D.

PErgratum mihi fuit munusculum tuum, quod mensas secundas, etiam lautissimas decorare poterat, pergrata epistola docte et accurate scripta; sed utroque multo gratior tua in me propensa voluntas, quae ex omnibus partibus cum magna ingenii animique optimae indolis significatione sese ostendit. Quod scribis, tibi esse in animo meis monitis parere, qui te peramanter hortatus sum, ut in studiis litterarum stilique ratione tibi optimum quemque, id est, Ciceronem Ciceronisque aequales ad imitandum proponeres, consilium tuum, cum ex meo manet, non possum non probare. Nec me poenitet ejus esse sententiae, in qua Marcus Tullius et Fabius Quintilianus fuere, cum quibus errare expetibilius esse videri po-

potest, ut idem Cicero de Platone ait, quam cum istis recentioribus, quibus levi et praepostero consilio novissima quaeque maxime placent, recte sentire. Cujus enim prudentiae est rivulos, et hos interdum turbidos consectari, cui licet ex purissimo fonte haurire? Sed sunt, ut video, quidam camelorum similes, qui non aliter potu gaudent, quam si prius aqua fuerit conculcando turbata. Vale, et me, quod mutuo facis, ama. Ex meis Putalbanis hibernis, Kalendis Aprilis. Anno Christi nati M. D. XLVI.

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Pedrosae videndi studio teneri se scribit, modesteque de propria aestimatione loquitur.

GENESIUS SEPULVEDA

PEDROSAE SUO S. P. D.

PErgrata mihi perque jucunda fuit epistola tua, peroptato enim accidit mihi per litteras tecum, quando locis distinemur, colloqui, quem jam olim videre et affari cupio, de facie quidem ignotum, sed fama notissimum, quae te virum probum esse praedicat, et omni humanitate perpolitum. Illud autem fuit jucundum, quod interim non sine voluptate tuae de me probae opinionis usura fruebar, teque errare in meorum studiorum existimatione facile patiebar. Itaque plane intellexi, veris me laudibus indignum esse, cui etiam falsae proborum virorum non callide blandientium, sed amanter errantium laudationes non displiceant, te ipso teste, qui a laudibus suis audiendis abhorrere conscribis, qui veras merentur. Sed ego for-

Digitized by Google

ortasse non tam falsae laudis cupiditate ducor, quam cognita praestantium virorum benevolentia delector. Quod autem mihi tuam voluntatem liberaliter defers, et in me propensum animum partibus omnibus ostendis, agnosco singularem tuam humanitatem, daboque operam, ut a te nec officio, si facultas erit, nec certe amore victus fuisse videar, quando id a viris probis, ut animadverti, in rebus turpibus habetur. Vale, sexto Kalendas Maji, M. D. XLVI.

EPISTOLA XIIII.

ARGUMENTUM.

Alfonso Porticello officiose respondet, ac gratas fuisse litteras Francisci Cordubae nomine ad se missas significat.

JOANNES GENESIUS ALPHONSO PORTICELLO S. P. D.

EPistolam tuam libenter perlegi, eruditam, officii benevolentiaeque plenam, ut facile egregiam tum ingenii, tum virtutis indolem, de qua mihi relatum erat, ostendas, et singulare in me studium, de quo scribis, prae te feras. Dabo igitur operam, si qua erit occasio, ut meae in te benevolentiae officia constent, neve in amore me vicisse videaris. Quod scribis, Franciscum Cordubam Guadalcazarensem principem patronum tuum, vel potius nostrum tibi mandasse, ut litteras, quas humanissime et amantissime ad me scriptas discedenti, et me, ut putabat, conventuro dederat, liberali oratione, quod per litteras fecisti, prosequereris, hac quoque in parte gratissima mihi fuit epistola tua. Quamquam ego jam pridem eam opinionem ac spem ex sermone et singulari ejus huma-

nitate conceperam, ut officium mihi ex ipsius in me voluntate ac liberalitate nullum non pollicerer. Qua in re conjecturam quoque de ipsius animo ex meo faciebam. Vale, et me, quod mutuo facis, ama. Nono Kalendas Febr. Anno Christi M. D. XLVII.

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Chirographum Francisci Guzmani se recepisse scribit, eumque ad studia litterarum excitat, simulque suam illi operam promittit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

ALPHONSO GUZMANO S. P. D.

CHirographum tuum elegans et perhumanum libenter perlegi, gratissimumque mihi fuit in eo clarum documentum ingenii et amabilium morum tuorum perspicere, de quibus mihi meus Petrus Sepulveda diligenter exposuit, tui tuarumque laudum studiosissimus adolescens. Quo te magis hortor, ut quod facis, in studia litterarum incumbas, et virtutis via gradi pergas. Ego vero, cujus ipse studiis hoc tribuis, quod ego nec agnosco, nec postulo, sic faveo coeptis, honestissimisque tuis conatibus, ut si quid positum erit in mea facultate, libenter sim omnem curam et diligentiam in tua commoda collaturus, et voluntati morem gesturus. Vale, Non. Januariis.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Affirmat Fernando Pintiano, se ipsius monitioni pariturum, et objectionem Ludovici Avilae se non admittere, donec veriorem audiat. Denique Pincianum hortatur ad prosequendum in castigando Pomponio Mela.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

FER. PINTIANO S. P. D.

PErjucunda mihi perque optata fuit epistola tua, quam proxime accepi longo intervallo, in quo excusando, te frequentius atque libentius hoc officio fungi posse scribis, si essent in foro epistolae venales, nec scribendi labore, sed pecunia pararentur. Quod cum dicis, hoc, ut opinor, dicis, te minus parcere sumtui, quam operae. Ubi sunt igitur qui tuam parsimoniam accusant? Sed quid facias invidis istis et obtrectatoribus? quorum est tanta perversitas, ut non recusent interdum, quo minus ipsis approbantibus caeci homines viris oculatissimis praeferantur. Sed extra jocum, epistola tua mihi fuit non solum lepore jucunda, sed etiam officio pergrata. Ceterum quod mones, ut me tempori accommodem, faciam quod praecipis, sed ita, te, ut opinor, exceptionem approbante, si salvo id officio atque fide licebit, quae non minus laeditur nonnumquam occultanda sententia, qua prodesse queas, quam si quid commentitium afferas nocendi causa. Et tacere quandoque flagitiose blandientis est, non minus, quam ficta loqui, cui vitio si mihi serviendum esset, a natura et instituto meo discedendum esset, mihi enim odio est, semperque fuit quisquis ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' εἴπῃ. Quod vero scribis, tibi de meis laudibus, ut scilicet soles pro tua humanitate et mutua inter nos

benevolentia, praedicanti unam dumtaxat pertinacae in disputando exceptionem a viro nobilissimo et humanissimo Ludovico Avila objectam fuisse, vitium agnosco, si vitium est, sententiam, quam ductus certa vel probabili ratione dixeris, libera oratione constanterque tueri, atque in ea, donec veriora aut probabiliora a dissentientibus afferantur, manere.

Quod in castigando Pomponio Mela te occupatum esse conscribis, gaudeo, consiliumque probo, si quantopere scribis, is consuetudine et vitio librariorum corruptus, a paterna virtute degeneravit. Sed ut hominem non modo Hispanum, sed etiam Baeticum, et mihi a puero familiarem humaniter, quantum res patietur, tractes, te vehementer rogo, idque non illius solum, sed etiam tui causa, utque in eo castigando auctorem adhibeas Ciceronem, qui docet, omnem castigationem contumelia vacare debere: quod vereor equidem, ut praestare possis in tanta severitate, qui te sexcenta loca in opere tam parvo, vixque tot verba continente corrigere profiteris. Erit igitur tuae prudentiae et gravitatis cavere, ne quid cupidius, ne quid ambitiosius fecisse videaris, atque eo magis, quod injustae castigationis contumelia solet in castigantem nonnumquam recidere. Vale.

EPISTOLA XVI.

ARGUMENTUM.

Pintiani judicium, quo se a theologiae studio ad humaniores litteras revocare conabatur, variis rationibus improbat.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
FER. PINTIANO S. P. D.

Libentissime perlegi suavissimas tuas litteras benevolentiae

tiae plenas et humanitatis: sed cum cetera pergrata mihi fuerint et perjucunda, illud tamen non perinde probavi, quod me videris non obscure cohortari, ut omisso studio theologiae, cui me non poenitet multos jam annos impendisse, poëtis, rhetoribus, oratoribus, historicis, medicis, geographis utriusque linguae, atque item philosophis (nam totidem verba sunt in epistola tua) me totum traderem: cui consilio longe aliena mihi mens est et institutum, non quod humaniorum litterarum et utriusque linguae studia negligenda putem, quae me magnopere delectant, aut philosophorum consuetudinem rejiciendam, cum quibus quam familiariter vixerim, documento sunt multa ipsorum scripta diligenter a me e Graeco in Latinum conversa; quam vivam etiam nunc, te docere possunt Aristotelis atque Platonis, quos ipse in primis nominasti, testimonia in meis libellis frequentius etiam usurpata; quam quibusdam Theologis satis esse videatur; sed quoniam principi doctrinae non primum honorem deferre, nec operae plurimum conferre contra officium esse duco. Poetas igitur utriusque linguae legere interdum non desisto, sed cum animum placet a severioribus studiis relaxare. Oratores porro et historicos, in quibus adolescens intentiore cura elaboravi, hoc animo nunc volvo, non ut illustrem, vel emendem obscura, aut etiam depravata loca, hanc enim laudem tibi relinquo, tuique similibus magnis viris, quibus datum est nonnumquam etiam divinare, sed ut horum facundia instructior discedam ad eas cogitationes, quas litteris mandare moliar, ornandas et illustrandas, quae utinam in solo theologiae simul ac philosophiae studio versarentur, nec

nec me aliorsum tam saepe detruderet officium necessarium, injunctumque negotium Caroli Caesaris et nostrorum hominum res gestas prodendi memoriae posteritatis. Non igitur doctrinarum, quibus me a puero dederam, curam deposui, aut magnopere remisi, sed me ita comparavi, ut ceteras esse velim velut ancillas et administras theologiae, quae mores etiam, ut nosti, non modo religionem moderatur, utilissimam philosophiae partem, cui ab illis est nomen complexa. Sed tu fortasse jam dudum rides, meque ineptum vocas, qui tam serio ad ea, quae tu forsitan more tuo jocatus es. At ego tanti facio judicium tuum, ut tibi etiam jocanti causam meam probari velim; novi enim ingenium tuum festivum et vafrum, quamquam ipse nulla tali solicitudine ductus, libenter usus fuissem occasione tibi meorum studiorum rationes explicandi. Sed redeo ad studium theologiae, quod ipse non tam mihi videris epistola tua improbare, quam damnare meum consilium, qui cum tibi aliquid in doctrinis esse videar, nec abhorrete a politiore litteratura, barbaros tamen Theologos in honore habeam et legam, cum disertos liceat poëtas et rhetores honestius scilicet lectitare. At hoc ipsum etiam atque etiam vide, ne non recte, nec pro tua prudentia et ingenio statuere videaris, ut qui optimarum et gravissimarum rerum multis in locis auctores sunt, hos propterea, quod parum ornate loquantur, rhetoribus atque poëtis, hoc est, dicendi et fabulandi artificibus posthabendos putes: quos ego, ut saepe quosdam legi, sic mihi saepius etiam legendos puto, sed ita, ut aequiore animo sim verborum artificio, quam scientia rerum cariturus. Nec tamen te purissimis aquis Castalii fontis as-

assuetum has palustres Gandavenses et Gersonicas tantopere, ut scribis, aspernari et abhorrere miror, non magis quam quod ille noster amicus aëre libelli mei, paulo scilicet sereniore et illustriore offendatur, solitus haurire longe crassiorem, et totam vitam in caelo caliginoso versatus. Scio enim, quanta sit moris vis, et quam proxima naturae. Ita cum is cetera elementa, totumque libelli quasi corpus, quod erat ipsius judicii, atque item stilum probet, nihil est, quod ei de improbato aëre succenseamus: qui si stilum quoque aërea poena condemnaret, me tamen nihilo magis moveret, quam Apellem quondam ineptus ille sutor, qui locum fecit veteri proverbio, cum ultra calceos judicasset. Vale.

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Laudat Pintiani operam in Plinio corrigendo, hortaturque eum, ut opus inchoatum perficiat; praeterea tres locos in Plinio emendat.

GENESIUS PINTIANO S. D.

PLinianae tuae castigationes tantopere mihi probantur, ut non possim non vehementer Plinio, tibique simul gratulari: illi, quod innumerabilibus quasi vulneribus per indoctorum hominum injuriam jam pridem confossus, tua opera, qua parte hucusque curandum eum suscepisti, paene ad sanitatem perductus mihi esse videtur, qui multis ante medicis, et quibusdam magni nominis adhibitis parum profecerat: tibi, quod ingenii atque doctrinae magnum fructum laudemque tulisti, addo etiam industriae et officii, quibus non desinis rem communem lit-

litterariamque cum egregia tua laude juvare. Quamobrem te, mi Pintiane, hortor, et pro jure veteris nostrae amicitiae moneo et obtestor, ut quod in praefatione polliceris, opus inchoatum urgeas, ad finemque perducas, ἐν καιρῷ γοῦν εἰσέρχεταί μοι τὸ τοῦ ποιήσαντος εἰπεῖν. βάλλ' οὕτως αἴ κέν τι φόως Ἕλλησι γένηαι· nec patiaris tantam et tuae gloriae et publicae utilitatis occasionem cum magno doctorum hominum desiderio perire: ἀλλὰ τί σε σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνω; ut Agamemnon Teucrum illum sponte sua ad gloriam properantem, qui ceteros etiam doctos viros tum clara voce, tum magno exemplo ad istam industriam aemulandam adhortaris, ἀλλ' οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσι, nec omnibus paria tuis suppetunt vel doctrinae et ingenii, vel probatae fidei et veterum codicum adjumenta. Quod vero ad me attinet, quem tu pro tua benevolentia et humanitate aliquid in litteris esse putare, et certe praedicare soles, non solum earum, de quibus modo dixi, rerum inopiam, sed multa etiam et necessaria, quibus obruor, impedimenta excusare possum. Ceterum ne tibi publici boni causa laborem plane Herculeum obeunti nulli usui, prorsusque tanto in opere cessator fuisse videar, non desinam, si quis in hoc opere dignus vindice nodus inciderit, ut Horatius ait, te velut Pythium Apollinem consulere, hoc est, te admonere, ac velut sagacissimum conjectorem adhibere, cum in locum incidero difficilem mihi et inextricabilem, ut me admonente, accuratius impedita illa loca dispicias expediasque, et dum mihi haerenti fers opem, eadem opera ceteris tardioribus, meique similibus consulas, quale illud est, quod nuper offendi, dum roboris naturam cognoscere cupiens, Plinium consulerem in historia naturali. Nam cum

cum hibernorum, studiorumque causa in fines Cordubenses patriamque Baeturiam, eam dico, quae finitima est Hispaniae Tarraconensi, quaeque Petrochae nunc ex petrarum frequentia magna ex parte nominatur, inque Putalbanum municipium annua consuetudine secedam, paene factus sum agricola, cujus studium mihi videtur proxime ad philosophiam accedere. Itaque latum fundum sepiendum, ac vitibus plurimum, sed multis varii generis frugiferis arboribus permistis conserendum curavi, cujus rei causa conficiendis cupis roboris materiam circa brumam luna decrescente ex praeceptis philosophorum caedendam mandaveram, ut optimum vinum, et Hispaniae nobilissimis (crede mihi anno superiore cum multis experto) comparandum in cupas optimas conderetur, quales esse dicuntur ex roboris materia; hanc enim abieti et larici, ceterisque cognatis arboribus, quas nostri, ut video, uno *pinus* nomine vocant, longo intervallo praeferunt. Roboris igitur naturam cognoscendi gratia Plinii locum mihi paulo accuratius legenti occurrit perdifficilis salebra, quam mihi a te maxime velim expediri. Nam libro sextodecimo cap. 6. cum de glande disseruisset, omnesque glandiferas arbores nominatim proposuisset, ut idem faceret de galla: *Quae glandem*, inquit, *ferunt, omnes et gallam, alternisque annis glandem*: nam glandiferas omnes arbores gallam quoque ferre, plane translatitium est: ilicis enim, quam Graeci πρῖνον vocant, genus utrumque glandem ferre et Theophrastus docet, et Plinius ejus, dum quidem stirpium persequitur historiam, paene interpres fatetur. At quis umquam probatorum auctorum meminit ilignae gallae, quisve hominum in ilice arbore notissima, et passim provenien-

Digitized by Google

niente gallam vidit? cujus arboris, ut nosti, Plinius idem duo genera facit, alterum quod fert puniceum coccum, et communi dumtaxat πρίνου ilicisque vocabulo a Graecis Latinisque notatur, a nostris enim *coscogia*, a quisquilio scilicet corrupto vocabulo nominatur; alterum quod foliis speciem olivae praefert, *aquifolia* Latine nominata; nam Graece varia per nationes nomina sortita est, auctore Theophrasto. Arcades enim tum σμίλακα, tum φελλόδρυν; Dores ἀγρίαν appellant, nostri homines *enzinam* dicunt, magno quorumdam errore, qui quercum Latine huic nostrati vocabulo respondere tradidere, et, ut video, plerisque persuaserunt. Quercus enim, quae Graece tum ἱμερίς dicitur, tum μύδιον, genus est roboris, et folium amittit Theophrasti ac Plinii testimonio, quod huic alteri abest. Cum igitur ilex utraque glandem, neutra gallam ferat, quid venit in mentem Plinio glandiferas omnes arbores gallam quoque ferre asseverare? an quia fructus ilicis non tam βάλανον, hoc est, glandem, quam ἄκυλον nominari iidem Homero auctore prodiderunt? At interdum Theophrastus βάλανον, καὶ βαλανώδη καρπὸν; et Plinius saepe, et quidem eodem capite ilicis glandem appellat, quam proprie intelligi declarat his verbis: *Glandem, inquit, quae proprie intelligitur, ferunt robur, quercus, aesculus, cerrus, ilex, suber.* Tuum igitur erit exemplaria vetusta consulere, quae si cum ceteris congruunt, nodus hic ipso Gordiano caecior et inexplicabilior mihi quidem esse videtur, quem nisi tu mihi pro tua solertia et sagacitate expedieris, certum est Alexandrum auctorem adhibere, et quem solvere non possum, abscindere: quod ita demum fiet, si Plinium hoc in loco, quod bonus Homerus interdum facere proverbio vetere memora-

ratur, dormitasse dicemus, cujus oscitantis negligentiae, si quid tale Plinio, cetera magno et vigilantissimo auctori, accidit, occasio non aliunde nata mihi esse videtur, quam ex Theophrasti verbis ex tertio de stirpibus libro, quo in loco cum de quinque roboris generibus disseruisset, et eorum differentias cum ex aliis rebus, tum ex glandibus explicuisset, haec verba subjecit, κηκῖδας δὲ πάντα φέρει τὰ γένη. quod de roboris dumtaxat generibus a Theophrasto dictum Plinius errore, ut suspicor, inductus, transtulit ad omnia glandiferarum arborum genera, qui ut omnia fere superiora paene ad verbum, ordine tamen nonnihil immutato, Latine reddiderat, sic cum his, quae modo scripsi, continenter est persecutus subjecta illa et cohaerentia verba: Μόνη δὲ εἰς τὰ δέρματα χρησίμη ἡμερίς, ἡ δὲ τῆς αἰγίλοπος καὶ τῆς πλατυφύλλου τῇ μὲν ὄψει παρομοία, τῇ δὲ τῆς ἡμερίδος πλὴν λειοτέρα, ἀχρεῖος δὲ, φέρει δὲ καὶ τὴν ἑτέραν τὴν μέλαιναν, ᾗ τὰ ἔρια βάπτουσι. Quae postrema verba declarant, in codicibus Plinianis vulgatis in fine hujus capitis verbum *lanis* desiderari, ut sit scribendum, *haec tingendis lanis utilior.*

Sed nec illud satis expedire possum, quod idem Plinius in Hispaniae descriptione tradit libro tertio, capite primo: *Tarraconensis*, inquit, *Solorio monte, Oretanis jugis, Carpetanisque, et Asturum, a Baetica atque Lusitania distinguitur.* Nisi forte mendum inest librariorum, qui pro *Vettonum* Asturum supposuerunt. Nam post Carpetana juga, quae Tagus interfluit, Vettonum montes, quorum sunt fauces Balneorum dictae juxta Capparam et Placentiam, in Durium amnem porriguntur. Asturum vero montes ante Durium esse nequeunt, auctore Plinio, nec constanter ab eo possunt ad Lusitaniae et Tarraconensis di-

distinctionem accommodari: si pro Asturum *Vettonum* reponeretur, nihil esset offensionis; Vettones enim Plinio et Strabone auctoribus, non *Vergaones*, ut corrupte vulgo legitur in exemplaribus Ptolemaei, nuncupantur populi, quos dixi montes ultra citraque accolentes, quorum juga cum Lusitaniam a Tarraconensi distinguant, non dubium est, quin vetere et commodiore Hispaniarum partitione, quam sequitur Plinius, Salmantica et cetera oppida citra horum montium juga, quae Lusitaniae Ptolemaeus adscribit, Tarraconensi potius annumerarentur, ut Baeticae tota Baeturia Turdulorum, licet ejus partem attingentem Oretana juga ratio Ptolemaei interjecta linea transferat ad Tarraconensem.

Nam illud ex quarto libro, capite vigesimo, te non levius, ut video, quam me offendit, ubi de saltu Pyrenaco verba faciens: *Immensum*, inquit, *quantum hinc Oceano, illinc Iberico mari comprimentibus*: cui tu commodius fortassis ita mederis, ut pro *quantum cuneata* reponas; mihi si pro immensum *immissum* reponeretur, planus rectusque sensus fore videbatur in hunc modum et intelligentiam: immissum montem, quantum hinc Oceano, tantum illinc Iberico mari comprimentibus. Immittitur enim Pyrenaeus in utrumque mare duobus appositis promontoriis, et ad immensum facilis est lapsus ab immisso, quo vocabulo Mela utitur in eumdem sensum de Hispania atque eodem Pyrenaeo saltu disserens his verbis: *Donec per omnem provinciam longo limite immissus.* Et in Asiae descriptione: *Pelagus*, inquit, *quod inter ambas immissum est.* Sequitur in eodem loco: *Ipsa Pyrenaei juga ab exortu aequinoctiali ad occasum brumalem fusa*, quae oratio te tantopere offendit, in ut diversam commutandam putes. Ceterum haud

haud scio, an nihil ea verborum inversione proficiamus: quamquam locum impeditum esse fateor et mihi suspectum. Cui expediendo mathematicorum praeceptum adhibere oportet, qui ad urbis, aut provinciae, cujusvis denique loci partes pro discriminibus caelestium regionum distinguendum, primum omnium certum aliquem locum constituere jubent, quo ratio tota referatur. Nam si quis diversa et disjuncta loca respiciat, licebit huic eumdem montem, aut urbem a diversis caeli plagis sitam esse memorare: ita cum nullus locus huic rei accommodatior sit, quam medius, hunc auctores, quasi centrum in hujusmodi rationibus constituere solent, unde lineae ad diversas caeli partes deducantur: quam consuetudinem, ut ceteris in regionibus, sic in Hispania tenuisse Plinium certum habeo. Cum ergo in Hispaniae descriptione Plinius Pyrenaei juga ab ortu aequinoctiali proficisci tradit, quid aliud intelligi oportet, quam hujus saltus initium reperi ab ea parte, qua linea transit a medio Hispaniae in ortum solis aequinoctialem producta. Quam rationem secutus Ptolemaeus, hoc Hispaniae latus aestivum ortum spectare dicit, dum medii lateris, non extremorum rationem habet. Nam quod in ejusdem Hispaniae descriptione, libro tertio capite primo, de Baeturia laboras consentientibus exemplaribus, vide ne, cum Plinius Baeturiam tradit in duas partes esse divisam, duas esse Baeturias innuat, alteram Celticorum, Turdulorum alteram, ut Hispaniam quidam bipartitam esse ajunt, alii duas Hispanias dicunt citeriorem et ulteriorem. Quod si ita est, ut esse videtur, non est, quod culpam librariorum incusemus, atque eo minus, quod oppida, quae postremo memorantur, sunt haud du-

bie

Digitized by Google

bie in ea, quam Turdulorum Baeturiam dixerat, Lusitaniae et Tarraconensi finitima, ut Mirobriga, in cujus vestigiis duo lapides nuper reperti sunt, quorum ego inscriptiones legi, oppidum illud Mirobrigensium fuisse declarantes, non longe ab eo, quod Capillam nunc appellant in finibus Comitatus Bellalcazarensis. Vale.

EPISTOLA XVIII.


ARGUMENTUM.

Fern. Pintiani sententiam quam de Saltu Pyrenaeo *habebat, emendat: ipsumque temeritatis arguit.*

JOAN. GENESIUS PINTIANO S. D.

Ego te, Pintiane, pro jure nostrae amicitiae superioribus diebus admonui, ut tuarum in Plinium observationum locum illum, qui *saltus Pyrenaei* situm attingit, diligentius recognosceres, perstrictis causis, cur verborum mutatio, qua tu vulneri medendum putabas, mihi non satis probaretur. Tu tamen, ut video, nondum scilicet inventionis, qua tibi magnopere placueras, amore refrigerato, ut ex mei Villasicci litteris, deinde scriptis tuis cognovi, non solum in sententia perstas, sed meam admonitionem, velut inanem et ab astrologiae exigua fortassis cognitione profectam aspernaris, nec audiendam putas. Ego quantum operae in astrologicis theorematis adolescens posuerim, referre nihil attinet: sed quoniam ἐλευθεριάζειν οἶμαι χρὴ πρὸς τοὺς φίλους, vel te auctore, quod exploratum habeo, te non celabo. Illud igitur dico, te Plinii verbis contra fidem omnium exemplarium periculoso exemplo, et a magnorum tuique similium virorum consuetudine multum abhorrente, invertendis non solum ni-

nihil ingenioso isto commento proficere, sed in falsum sensum, et quem tueri nulla ratione possis, orationem repugnantem detorquere, et qui constare nullo modo possit, nisi Pyrenaeis montibus, quos ipse ab ortu brumali ad occasum aequinoctialem ducis, e regione Dianii inter Toletum et Cordubam Ulyssipponem versus deductis. Hispania enim, ut cum ceteri geographi, tum omnium diligentissimus Claudius Ptolemaeus testatur, sic locata est, ut ab ortu aestivo mediam Pyrenaei saltus partem spectet, a brumali vero insulas Baleares. Quoniam igitur una parte constituta, constitutae sunt omnes, describatur circulus vetusta mathematicorum ratione, cujus centrum sit in media Hispania, ducaturque meridiana linea, et item altera transversa, quae secet hanc ad angulos rectos, et duae praeterea per idem centrum inter illas paribus intervallis decussatim in hunc modum.



Haec figura Aristoteli, *Met.* 2., et Plinio, libro *historiae*

na-

naturalis decimo octavo, et Vitruvio, libro de *Architectura* primo, ortus et occasus aequinoctiales et solstitiales in quaque regione indicat. Duc igitur lineam, quae Pyrenaeum signet, ab ortu brumali in occasum aequinoctialem, et cum omnia paulo diligentius consideraveris, quam recte verba Plinii commutaveris, non poteris ignorare, simulque cognosces, si quid mutandum est in Plinio, ut omnino esse videtur, pro occasu brumali *occasum aestivum* esse reponendum in verum et commodum intellectum. Hunc enim esse montis situm exploratum nobis et perspectum est. Nam quod Ptolemaeus Pyrenaeum esse tradit ab ortu aestivo, dum medii rationem ducit, non discrepat a Plinio, qui de initio montis ab austro sumto memorat.

Illud igitur pro jure nostrae amicitiae te hortor et moneo, ut in alienis scriptis castigandis temperantius agas, nec auctoris verba sine certissima ratione praeter omnium exemplarium fidem invertere, aut quoquo modo mutare animum inducas, hoc enim periculosum habetur. At illud non cuivis in promtu est, nec caret egregia judicii et eruditionis laude, dissentientibus exemplaribus veram et germanam lectionem asserere. Nec id, quod veteres magnos viros factitasse constat, existimationem minuere solet, non ante libros emittere, quam fuerint doctorum amicorum judicio probati; hoc certe Plinium, hoc Ciceronem fecisse legimus, nec erat alia honesta causa libros convocatis amicis, quod olim passim fiebat, recitandi. Ego vero non solum doctissimos, si quos nactus sum, sed etiam semidoctos adhibere soleo. Nam πολλάκι τοὶ καὶ μωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε, ὐχ ὅπως οἱ τὰ μέτρια πεπαιδευμένοι ἄνδρες. Et ut virtus in quoque colenda est, sic veritas a quovis accipienda, gratiae-

que

que agendae. Quid igitur sentiam, quid probare, quid vicissim damnare soleam, exposui: quae si tibi non probabuntur, erit tamen humanitatis tuae cuncta in bonam partem accipere, et ab optimo, fido, amicissimoque animo profecta esse existimare. ἀφελῶς γὰρ καὶ φίλως, εὖ ἴσθι, ὅτι, ὅλως δὲ κατὰ φιλόσοφον ἔγραψα πάντα· Vale, Valdolito.

EPISTOLA XIX.

ARGUMENTUM.

Contra Pintianum, admodum ex hac sententiarum de* Saltu Pyrenaeo *contentione commotum, circuli sui in superiori epistola rationem defendit.

GENESIUS PINTIANO S. P. D.

QUoniam contentiones etiam litterarias ab amicorum consuetudine submovendas censes, et recte censes, ne, quod interdum efficitur, conjunctorum animorum alienationem pariant; faciam, quod praecipis, et tibi, quem propter ingentem tuam doctrinam, singularem humanitatem, et suavissimos mores jam inde ab ineunte mea aetate colo et observo, morem geram: quamquam ego quod scripsi, non ut tecum certarem, crede mihi, scripsi, sed ut te admonerem, inepte fortassis, optimo tamen et amicissimo animo; quod meum factum quando ipse, ut video, aliorsum accepisti, non committam posthac, ut te admonendo bis stulte, ὡς κωμικός φησι, facere dicar, laborem ipse in meis maximis occupationibus inanem capiam, et tibi, cui placere maxime cupio, molestus sim. Sed ita legam scripta tua, cum per otium licebit, ut quae mihi maxime probabuntur, ut multa probantur, haec sim meritis laudibus libenter affectu-

Digitized by Google

rus : si qua vero dubia , aut minus probabilia esse videbuntur, ut esse aliqua necesse est in opere longo et magno, ea tamen tacitus putem fundamentis inniti altius a te jactis , quam quo valeat ingenii mei acies intenta penetrare. Nam licet adhuc pauca legerim , hoc est , ea dumtaxat, quae pertinent ad Hispaniae descriptionem , in qua tunc temporis scriptorum meorum causa versabar, ita tamen captus sum quibusdam a te optime castigatis locis, ut totum opus mihi per otium perlegendum putem. Semel igitur disputatione de Plinianis castigationibus tuis omissa, respondebo tamen , sed paucis , ad eum epistolae locum , in quo te meam vel doctrinam , vel intelligentiam maxime desiderare scribis , quod sic tibi figura quadam Hispaniae partes pro ratione caelestium regionum designaverim, ut linea recta paulo supra Toletum ab oriente in occidentem ducta , quae alteram a septemtrione in meridiem contendentem transversa secet ad angulos rectos , ortum et occasum aequinoctialem suis extremis demonstrare dicerem. Nam si hoc verum est , inquis , efficitur , ut Toletana regio circulo aequinoctiali sit ad perpendiculum subjecta , unde tamen constat eam partes amplius quadraginta septemtrionem versus recessisse. Addis praeterea tertiam et quartam lineas , quae in decusses obliquae ortus et occasus aestivos ac brumales ostendunt , perperam in eadem figura per partium nonagenarum medios arcus fuisse ductas, arcubus, quos in portiones longe impares partitos oportebat, in prorsus aequales divisis, quorum utrumque permagnum videlicet errorem commissum esse a me homine in litterarum studio tamdiu versato, vehementer te demirari conscribis. Atque haec quidem summa est , ut arbitror, accusatio-

tionis admonitionisque tuae: quae tantum abest, ut mihi molesta, aut gravis acciderit, ut fuerit etiam grata et perjucunda. Quid enim mihi philosopho, id est, discendi cupido, optatius accidere potest, quam si quis me doctorum amicorum officiose velit labentem sustinere, prolapsumve erigere, aut *erranti viam*, ut est apud Ennium, *comiter monstrare*? Ceterum ego excusationem affero non modo probabilem, ut spero, sed legitimam etiam, et qua jure possim culpam omnem deprecari, quod me non temeritas, aut novus et insolens quasi trames abstulit, sed ratio et publica via veteribus ac doctissimis pertrita in eam, quae tibi tantopere improbatur, sententiam induxit. Rationem enim secutus sum, quam, ut alios magnos philosophos et mathematicos omittam, Plinius tuus Aristotelesque tradiderunt. Aut hos igitur mecum erroris et inscitiae damnare debes, aut cum eis me culpa omni liberare, qui mihi auctores fuerunt ortus et occasus solis in quaque regione ad illum, quem damnas, modum per descriptam figuram designandi; alter, ut scis, in *Naturalis historiae* libro decimo octavo, capite trigesimotertio, et trigesimoquarto, alter in *Meteorologiae* secundo libro. Quod, ut cetera Aristotelis opera te legisse et relegisse numquam equidem, ut tibi, nescio qua ex causa, suspicari in mentem venit, dubitavi: sed profecto quo saepius te Plinium Aristotelemque legisse puto, qui non obscuris aut ancipitibus, sed perspicuis planisque verbis de hac quaestione disseruerunt, hoc magis miror, te numquam ante commotum fuisse praecepti hujus absurditate, qua tantopere nunc offenderis, postquam cum descriptione litteras meas cum clarissimorum auctorum praeceptis adamussim congruentes accepisti;

Digitized by Google

quamquam non miror te ad eam salebram offendisse, quo multos incurrere video, diutius etiam in studiis astrologiae versatos, itidem illam figurae describendae rationem ad regiones dumtaxat aequinoctiali circulo subjectas recte accommodari posse existimantes. Qua de re nescio quid nugarum his paucis diebus rudioribus fortasse non inutile futurum meditabar, scriptoque mandabam. Certissimis enim argumentis, quae persequi epistola longum et ineptum esset, declaravi nihil ad illam certissimam et verissimam rationem interesse, sub aequinoctiali circulo regio sita sit, an ultra citrave, etiam sub ipso mundi cardine, qui πόλος ἀρκτικὸς a Graecis nominatur. Quod si nec Plinio credis, nec Aristoteli, ipse te rerum usus in jam appetente aequinoctio poterit edocere, si periculum facere libuerit, et ratio, si rem cum doctissimis mathematicis contuleris, si quem forte nactus eris, nec enim passim reperies, qui plane possit causas et initia rationis hujus explicare. His enim expositis atque perspectis, et ad instrumenta astrologica, praesertim globosa, examinatis, facile intelliges, illam rationem ortus et occasus aequinoctialis investigandi omnibus terrae regionibus rectissime accommodari, nec cum Plinio errasse me putabis obliquis lineis ita ducendis, ut in aequas portiones intervalla illa partium nonagenarum dividant, non quod sic usu veniat ubique terrarum, sed quia id medium est, nec procul abest a norma Hispaniae nostrae et Italiae, ubi Plinius ea prodebat, conveniente. Non enim si sol viginti tres gradus et semis circiter declinat ab aequinoctiali circulo, protinus idem Cancri primam partem obtinens, eadem distantia supra finitorem ascendit in quaque regione, cum id in recta dumtaxat sphae-

ra

Digitized by Google

ra contingat, hoc est, sub aequinoctiali sita. Nam obliquis ita variat, ut interdum per locum plus etiam quinquaginta gradibus ab aequinoctiali circulo remotum supra finitorem emergat, et oriatur ratione mirabili quidem non expertis, sed mathematicis διὰ τῶν ἀστρολογικῶν θεωρημάτων explorata. Vale. Ex oppido Valdolito, septimo Kalend. Augusti M. D. XLIV.

EPISTOLA XX.

ARGUMENTUM.

Miratur Pintiani pertinaciam in tuenda sententia sua de motu solis per signiferum ad terram relato, de ratione caelestes regiones designandi, et de Orospedae montis situ; suamque opinionem Quignonio explicat, a quo se contra calumniatores defendi cupit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JO. QUIGNONIO, GYMNASII SALMANT. PRAEF. S. P. D.

VIdistine quemquam pertinaciorem, quam fuit Fernandus Pintianus in illa Salmanticensi disputatione, cui tu Neylaque noster, et Olivarius vir astrologia ceterisque mathematicis disciplinis eruditissimus interfuistis? cum ille non a me solum, sed a vobis etiam omnibus, quibus meam sententiam certissimis rationibus probaveram, obstinatissime propter inveteratam in ipso et plerisque aliis opinionem dissentiret: de motu scilicet solis per signiferum ad terram relato, deque caelestes regiones designandi ratione, et Orospedae montis situ: his enim de rebus disceptabamus. Erat autem meae sententiae orationisque summa, de progressu quidem solis, omnem ab eo terram tum ad meridiem, tum ad septemtrionem lon-

Digitized by Google

longissimo intervallo relinqui; ita ut terrae dumtaxat rotunditas obstet, quo minus umbrae omnes Europam incolentium statim post vernum aequinoctium, sole caeli medium obtinente, in meridiem jactentur, quod, si terra plana esset, usu veniret. Quamquam enim sol per signiferum incedens, nec solstitia transit, nec radiis ad perpendiculum jactis Torridam terrestrem zonam et Syenem urbem praegreditur; tamen postridie verni aequinoctii omnem terram a meridie relinquit, quam terram caelesti globo, cui sol affixus convolvitur, comparatam pro puncto esse, inter mathematicos constat. De regionibus autem caelestibus, si per lineam meridianam linea recta, quae illam secet ad angulos rectos, ducatur, hujus altera parte ortum solis aequinoctialem, altera occasum in quaque parte orbis terrae monstrari confirmabam: in quo theoremate non ab Aristotele solum, sed etiam a veteribus mathematicis magno consensu tradito plerique juniorum allucinabantur, id regioni dumtaxat aequinoctiali circulo subjectae accommodari existimantes.

De Orospeda vero hunc esse montem asseverabam, qui ex media fere Idubeda circa Saguntiam urbem profectus in occasum excurrit, Segobrigenses et Segobienses Avelensesque fines a Carpetanis disterminans: deinde in meridiem flexus Lusitanos a Toletanis dirimit, tum Spartarium campum et ex altera parte Baeturiam praetergressus, Carthaginensibus montibus conjungitur, et per oram interni maris usque ad fretum Herculeum excurrit. Cujus sententiae auctor Strabo est, qui libro *de situ orbis* tertio Hispaniae mediterraneas regiones, quae

quae inter Pyrenaeum saltum et latus septemtrionale usque ad Astures continentur, duobus maxime montibus disterminari testatur, Idubeda et Orospeda: deinde utrumque describens ex media Idubeda a Cantabris ad mare nostrum non procul Iberi ostio pertinente ortam Orospedam, per quas dixi regiones, ad Calpen usque deducit. Quo plane publicus error, in quo Pintianus erat, convincitur, omnem Orospedam existimantium ora maris nostri contineri, et maximum Hispaniae, maximeque in oculis hominum positum montem esse nominis expertem.

Quarum rerum memoriam faciendam putavi, ut tibi per epistolam renovarem, ut in isto clarissimo et doctissimis hominibus frequentissimo gymnasio Salmanticensi, cui ipse scholarchus ecclesiastica dignitate praees, et cum egregia tua laude pro tua singulari et hereditaria prudentia, virtute et gravitate moderaris, si quis apud te de meo his de rebus judicio perperam, ut passim quosdam factitasse exploratum habeo, memoraverit, calumniam possis pro tua in me benevolentia meaque in te observantia tum ex tuo gravissimo testimonio, tum ex meis litteris refellere. Quamquam de solis per signiferum motu, et terrae transitu libello huic quaestioni dicato, de ratione vero caelestes regiones in quaque terrarum parte demonstrandi, cum in utraque quaestione non modo Pincianum, sed multos praeterea adversarios habuissem, in epistolis ad eumdem Pincianum missis accuratius disputavi. Quo in loco mons idem Orospeda me cujusdam publici item erroris admonet, de quo te celatum nolo: ex Orospeda enim Baetis fluvius in Oretania non

non procul capite Mariani montis, qui et ipse ab Oroſpeda proficiſcitur, exoritur, diuque Mariano παράλληλος in occaſum delapſus, et non procul Hiſpali in meridiem deflexus duobus oſtiis in Oceanum Atlanticum emitti a veteribus ſcriptoribus cum memoretur, juniorum tamen communis, ſed falſa perſuaſio jam pridem invaluit, alterum Baetis oſtium paulatim evanuiſſe, cujus alvei clara veſtigia circa Rotam littorale caſtellum exſtare, quidam ex noſtris ſcriptoribus, dum ceteris diligentiores, nec temere publicam perſuaſionem ſecuti eſſe videri vellent, litteris mandare non dubitarunt, magna ſcilicet ſecuritate; Baetis enim, ut olim, ſic hoc tempore duobus oſtiis in Atlanticum oceanum emittitur. A quo flumine quatuor inſulas infra Hiſpalim effici conſtat, ſed duas, quas memorare non pigeat, alteram ſexdecim, alteram viginti octo circiter millia paſſuum longitudine patentes, minorem et majorem appellatas, quarum inferiorem Baetis duobus quaſi brachiis complexus alluit, donec Oceano brevi ſinu terras uſque ad inſulam intranti occurrat, quae duo brachia Oceanum dextra laevaque influentia veteres duo Baetis oſtia, ut ſunt, ſic eſſe dixerunt, ut Strabo gravis auctor declarat, his verbis: *Baetis biſariam partitus in Oceanum exit, inter cujus oſtia intercepta inſula centum, vel ut quidam tradunt, amplius ſtadiis a littore diſtat*; cum hac enim Strabonis oratione nunc quoque res quadrat ad amuſſim. Nam frons inſulae hujus tribus noſtratibus leucis, quae ſumma fere eſt centum ſtadiorum, abeſt a Sanlucare, quod caſtellum primum eſt in Oceani littore extra ſinum, ori tamen ipſius appoſitum, quem ſinum non amnis in unum corpus redeuntis, ſed maris partem eſſe veteres magna ratione propter aqua-
rum

rum tum salsedinem perpetuam, tum latitudinem statuerunt. Nam si interceptam insulam accipias spatium Sanlucari et Rotae interjectum, quod juniorum scriptis est consentaneum, insula non stadiis centum a littore aberat, ut Strabo tradidit, sed ipsa littus efficiebat, et Oceani fluctibus alluebatur. Vale. Corduba Nonis Decembris.

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER IV.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Ramirum Nugnum Gusmanum salutat, eumque ad litterarum scriptionem provocat.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA

RAMIRO NUGNO GUSMANO S. P. D.

JOannes tuus, seu noster potius dicendus est, quem tu genuisti, ego doctrina lirrerarum excolui, ad me nuper scripsit, te propter quamdam de studiis meis opinionem, nescio quibus meis nugis legendis perceptam, animum a me gerere non alienum, ac proinde rem fore tibi non ingratam, si te, quando aliter non datur, missis litteris salutarem: quod officium tantum abest, ut ipse recusarem, ut jam pridem nihil libentius susceperim. Nam mihi crede homini ab assentationis crimine alienissimo, paucissimos esse ex Hispana nobilitate, quos meus animus pari observantia, et quasi religione complectatur, ac te; quem majore, certe neminem. Nam te optimum virum et sapientissimum esse, non tam mihi persuasit consentiens omnium, qui propius virtutes tuas perspexerunt, testimonium, quam probatissimi suavissimique mores tuorum filiorum, Alfonsi et Joannis, quos ego familiari longioris temporis consuetudine cum magna non modo jucunditate colui, sed etiam admiratione tam huma-

nam

nam et comitate conditam gravitatem, tam pertinax omnium vitiorum odium in adolescentes ea aetate potuisse cadere. Sic enim statui, nullis posse hanc morum felicitatem contingere, praeter eos, qui domestica disciplina, et singulari paternarum virtutum exemplo liberaliter sancteque fuerint educati. Accedit ad causas meae in te singularis observantiae, quod tu praeter morem gentis nostrae bellicam laudem doctrina politiorum litterarum cumulasti: in qua senex, et quidem ea aetate, quo perpauci, et hi per summam vitae superioris continentiam perveniunt, tam libenter versaris, ut in ea dumtaxat adquiescas, ac ejus consuetudine intervenientes molestias lenias, et curas etiam asperiores depellas. Haec igitur ad te scripsi, simul ut morem gererem Joanni filio tuo, quem ob egregias ejus virtutes et amo et suspicio, simul ut tantisper optatissimo colloquio tuo, quacumque ratione datur, fruerer. Quod si mihi hoc epistolio aliquid a te litterarum elicere contigerit, jam me putabo numquam operam navasse fructuosius. Vale, Roma Kalendis August. Anno Christi nati M. D. XXXIII.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Genesii litteris respondet, quas sibi pergratas fuisse scribit, earumque studio se jam dedere non posse propter aetatem grandaevam: hortaturque eumdem, ut Hispanorum res gestas in lucem proferat.

RAMIRUS NUGNUS GUSMANUS

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

MAgno equidem gaudio affectus sum iis litteris, quas proxime a Joanne filio abs te recepi, fuissemque mul-

to majore, si eas mihi accipere contigisset eo tempore, quum otium atque aetas tulit, ut ad amicos Latine scriberem. Nunc autem quid commercii cum litteris homini octogenario, ac tot malis morbisque obnoxio? Cui nihil magis curae esse debet, quam ut animum veteribus piaculis gravatum, assidua meditatione atque poenitudine in rerum divinarum cogitatione exerceat, Deoque placando, quam maximo possit affectu, studeat. Unum interim mihi reliquum est, ut semper doctissimorum hominum scriptis, si quando ad manus meas pervenere, maxime oblecter. Quod filius meus te praeceptorem sortitus sit, gaudeo majorem in modum, neque dubito, quin doctrinae tuae jactis fundamentis ad altiora propediem te ducente securus evadat. Is mihi nuper significavit, te Hispanorum Regum historiae expoliendae, atque a barbarie vindicandae provinciam suscepisse: quo mihi nihil gratius afferri potuit. Scio enim qua eloquentia atque prudentia es, neque ad stilum, neque ad rerum gestarum fidem tibi quidquam defuturum. Age igitur, et nostratium Principum gloriam, quae vel temporum culpa, vel scriptorum ignoratione tamdiu latuit, in lucem profer. Vale, et me inter intimos tibi annumera. Datum duodecimo Kalendas Novembris. M. D. XXXIII.

EPI-

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Joannis Taverae Pontificis Toletani litteris respondet de Caroli Caesaris rebus bellicis et infausta ad Argeliam Mauritaniae navigatione, deque suo ob continuos Aquilones et hiemis siccitatem ex Baetica in Vaccaeorum fines discessu.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
JO. TAVERAE PONTIF. TOLET. ET E. R. C. S. P. D.

SUavissimas tuas litteras, Praesul gravissime, et simul exempla epistolarum, quae ad te de rebus bellicis, et infausta illa nostrorum ad Argeliam Mauritaniae navigatione, a Carolo Caesare missae fuerunt, accepi. Utraeque mihi optatissimae contigere, et fuerunt instar magni beneficii, sed vario diversoque modo legentem affecerunt: haud enim facile dixerim, utrum mihi gratius jucundiusque fuerit humanissimum tuum colloquium, quo tuam in me voluntatem perspectam mihi quidem multis documentis, sed suavissimam et peroptatam per litteras declarasti; an tristior contemplatio naufragii, et a nostris acceptae calamitatis, de qua in suis litteris Carolus memorabat, indignus profecto, cujus tam pios conatus iniquitas fortunae frustraretur. Ceterum fit nescio qua Dei occulta rerum administratione, ut scelera populorum obsint interdum bonorum Principum pietati, ut vicissim peccatis Regum nonnumquam commoda populorum impediuntur. Quam valde jam pridem in nos et haec tempora convenit dictum illud Jeremiae, oraculumque divinum. *Ab Aquilone pandetur omne malum*! Nam ab Aquilone Lutherus ejusque discipuli longe jam magi-

gi-

gistro nocentiores non cessant ecclesiae quietem conturbare, cujus nitorem ac puritatem fedissimis maculis inficere conantur. Ad Aquilonem vergentes nationes fere solent reliqui nostri orbis pacem publicam solicitare. Aquilonii flatus ad oram Mauritaniae in hostium conspectu autumno superiore nostram Imperatoriamque classem afflixerunt. Aquilonibus eisdem ab eo tempore paene continenter flantibus, perpetua totius hiemis inducta serenitate, bona pars Hispaniae, sed maxime Baetica nostra reddita est consimilis Aegypto, quae pluviis rarissime madescit: sed hoc sumus nos, quam Aegyptii duriore conditione, quod nullum habemus Nilum, qui restagnantibus aquis stato tempore nostros, ut illorum agros fecundet. Itaque frumenta sub ipsa hieme sitiunt humore destituta, pecora fame conficiuntur pabulo non suppetente, vel ob hanc igitur causam nobis hinc migrandum est, et ad vos et feliciores nunc, ut opinor quidem, Vaccaeorum fines redire maturandum, cujus rei et hospitii parandi causa meum Petrum Martinum, ut soleo, praemisi. Cujus exspectavi discessum, ut has ad te litteras darem: huic ut in mea causa faveas, eamdemque pro tua singulari humanitate et consuetudine suscipias, te etiam atque etiam oro. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Ad eumdem Jo. Taveram scribit, se novo patriae desiderio teneri, ut commodius res gestas Caroli Caesaris percipiat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
JO. TAVERAE ARCHIEP. TOLET. S. R. E. CARD. S. P. D.

CUm essem apud vos, hiberna patria desiderabam, nunc in hibernis eisdem vestram, hoc est, aulicam consuetudinem requiro: utrum magis ratione faciam, haud facile dixerim. Nam fortasse fit utrumque vitio quodam naturae, ut nos rerum praesentium satietas, absentium desiderium celeriter capiat. Sed me nunc nihil aeque solicitat, ac ignoratio rerum, quae in hoc pio bello a Carolo Rege nostro Imperatoreque geruntur: quippe sero ad nos perferuntur, et per magnos anfractus. Itaque boni consului, nuper litteras a meo Petro Martino ex majoribus Balearibus sexdecim diebus, quibus datae fuerant, accepisse. Tunc cognovi de obitu Compostellani praesulis. Mirum est, Italia quam inclementer jampridem cum nostrae nationis Cardinalibus se gerat. Quo igitur animo nunc eum esse putemus, qui anno superiore invitus et reluctans illuc tamquam ad Anthropophagorum regionem jussus pervenerat, nunc sociis omnibus aut absumtis, aut fuga subtractis, solus relictus est, velut Achaemenides Virgilianus in patria Cyclopum. Haec ad te scripsi, pater amplissime, qui pro tua humanitate soles meas litteras, praesertim Latinas, non invitus legere, ut tantisper tuo suavissimo colloquio fruerer. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Petro Fer. Velasco, Friarum Duci, duarum columnarum ad Ferrariam inscriptiones explicat, et solvit controversiam Soriae Zamoraeque urbium inter se de Numantiae situ digladiantium: demum locum Orosii interpretatur, quo se Zamorani Numantinos probant.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
PETRO FER. VELASCO FRIARUM DUCI, ET CASTELLAE COMESTABILI, S. P. D.

Columnarum, quas non procul a Pisoraca flumine ad Ferrariam tuae ditionis castellum, tibi repertas esse proximis ad me litteris scripsisti, inscriptiones libenter, ut jusseras, consideravi, deque his cum viris doctis communicavi. Erant autem hujusmodi:

TI. R. DIVI. AVG. F
DIVI. IVL. N. AVG. PONT
MAX. TRIB. POT. XXXV
IMP. IIX. COS. V
A. PISORACA
M. I

IN ALTERA COLUMNA.

NERO. CLAVDIVS. DIVI
CLAVDI
AVG. F. GER. CAES. AVG. N
TI. CAES. AVG. PRO. N. DIVI
AVG. AB. N. CAES. AVG. GER
PONT. MAX. TR. POT. IMP. COS
A. PISOR. M. I

Post longam igitur disputationem in eam opinionem di-

Digitized by Google

discessimus, hos lapides ad milliariorum intervalla more veterum Romanorum notanda fuisse constitutos, principio scilicet a Pisoraca flumine sumto, unde, ut scribis, mille circiter passibus absunt. Nam illae litterae M. I. milliarium unum signant. Quamquam enim in viis militaribus, quae a magnis urbibus proficiscerentur, nec urbis, nec milliariorum mentio nominatim fiebat, sed numerum tantum adscribere mos erat, ut indicant ii, qui in via ab Emerita Augusta Salmanticam ferente dispositi sunt; cum tamen de initio dubitari poterat, nomen ejus non praetermittebatur, ut in duabus item marmoreis columnis animadvertere licet, quae non ita pridem Cordubae ad aedem sacratum maximam repertae ac effossae sunt, Augusti Caesari Tiberioque dicatae, cum inscriptionibus hujusmodi:

IMP. CAESAR. DIVI. F
AVGVSTVS. COS. XIII. TRIB
POTEST XXI. PONTIF. MAX
A. BAETE. ET. IANO. AVGVST
AD. OCEANVM.
LXIIII

TI. CAE. DIVI. AVGVSTI. F
DIVI. IVLII. NEPOS. AV
GVSTVS. PO
MAX. XXI. COS. VI. TRI
P. XXXVII
AB. IANO. AVGVSTO
QVI. EST. AD. BAETEM
VSQVE. AD. OCEANVM
LXIIII

Quod de Numantia quaeris, unde nata sit Soriae Zamoraeque tam distantium inter se urbium de situ illius contro-

Digitized by Google

versia, dum utraque veterum Numantinorum velut majorum gloriam sibi vindicaret, haud parva quaestio est, quam tibi tamen breviter explicare tentabo. Veteres auctores, qui de situ orbis scripserunt, tum Romani, tum etiam Graeci Numantiam circa Durii fontes collocarunt, et horum consensu Soriani, qui non procul ab ejus fluminis capite absunt, nituntur. Ceterum Orosius, scriptor natione Hispanus, qui divi Augustini aequalis et auditor fuit, Numantiam in capite Gallaeciae sitam fuisse prodidit, cujus testimonium sic interpretantur Zamorani, ut urbem suam ab Orosio designari confirment: Zamoram enim caput esse Gallaeciae, quippe quae in publicis Castellanorum conciliis pro se Gallaecisque suffragium init. Quod vero ad auctores pertinet, Hispanum scriptorem de locis et urbibus Hispaniae disserentem omnibus Graecis et Latinis praeferendum esse contendunt. Hae sunt igitur causae, haec contentionis origo. Quod vero judicium meum exquiris, cognitis rebus facilis est judicandi ratio. Nam a veterum tum Romanorum, tum etiam Graecorum scriptorum consensu dissentire temerarium puto, atque eo magis, quod Strabo, gravis auctor et diligentissimus, intervallum etiam prodit octingentorum scilicet stadiorum, id est, leucarum nostrarum vigintiquinque, quo Numantia distat a Caesaraugusta. Hic autem in Hispaniae descriptione et locorum commemoratione Polybium Graecum historicum, quem saepe citat, maxime sequitur, magnae virum auctoritatis, Africani Scipionis comitem, quique bello Numantino interfuit, idque a perpetua historia, ut Cicero testatur, separavit. Numantia igitur, ut est publica eruditorum persuasio, non in Soriae solo, nec tamen longe a Soria sita fuit: ita cum re-

regio talium virorum procreatrix Soriae sit cum Numantia communis, jure Soriani veterum Numantinorum vicinae civitatis gloriam sibi possunt bona ex parte vindicare. Superest, ut rationem, quam Orosius secutus est, paucis explicemus: hujus enim ignoratione Zamorani lapsi sunt. Trium Hispaniarum, et earum cujusque fines saepe a Romanis, sub quorum imperio erant, fuisse mutatos, cum alii Geographiae auctores, tum maxime Strabo libro tertio *De situ orbis* testatur, idque pro jurisdictionis ratione factum fuisse declarat. Ceterum Agrippae Augustique Caesaris, qui de situ orbis cum summa etiam statuendi potestate conscripserunt, institutum atque rationem veteres et gravissimos auctores secutos fuisse constat. Horum consensu Gallaecia proprie intelligitur ea regio, quae a Durio flumine per Oceani oram ad Asturiam usque procurrit: hanc provinciam Tiberii principatu legatus unus praesidii gratia cum duabus legionibus obtinebat; postea vero, Paulique Orosii aetate hujus legati provincia ab Oceano Callaico ad Celtiberos usque cum esset protracta, coepit totus ille tractus usque ad fontes Durii propter communem legatum Gallaeciae nomine vocari. Ita cum Numantia in confinio Celtiberiae, et ejus regionis, quae Gallaecia tunc vulgo dicebatur, sita fuisset, factum est, ut eadem in capite Gallaeciae ab Orosio sita fuisse diceretur. Quo plane intelligitur, Orosii testimonium nihil Zamoranis suffragari. Cujus tamen civitatis ac regionis ἐγκώμιον si quis adornaret, non deesset aliunde larga virtutis laudisque materia, ut tibi in primis notum esse certum habeo, qui ut Hispanorum procerum opibus et auctoritate primus es, aut certe nulli secundus, sic omnibus nostris non dico

Digitized by Google

proceribus, sed hominibus historiarum nostrae gentis notitia, et vetustatis, ut equidem mihi persuasi, cognitione praestas. Nam de cetera tua prudentia et singulari humanitate, et in omni genere virtutis praestantia non est hujus loci commemorare. Vale. Valdolito, Idibus Jul. Anno M. D. XLV.

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Laudat Alfonsum Guajardum, illumque inter alia negotia versantem ad studia litterarum excitat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO GUAJARDO S. P. D.

Accepi litteras tuas plenas benevolentiae et humanitatis. Quod enim me iis laudibus oneras, quas ego nec agnosco, nec postulo, quid aliud, quam indulges veteri nostrae amicitiae et mutuo amori, qui solet interdum homines in amicorum causa ad errorem inducere, ut quae parva humiliaque sunt, magna putent et sublimia. Quod vero peracre ingenium tuum et non vulgarem litterarum Latinarum eruditionem, quae certe vicit opinionem meam, tantopere extenuas, prae te fers egregiam quamdam humanitatem et moderationem: quae omnia quamquam mihi erant jam pridem cognita et perspecta, tamen hoc novum documentum persuave perque optatum fuit. Illud quoque gratissimum, quod te licet negotiis familiaribus jam pridem implicitum, non tamen ab studio litterarum abhorrere animadverti, et iis potissimum, quae ingenuo ac libero homine dignissima sunt, animum oblectare.

Per-

Digitized by Google

Perge igitur, et, ut instituisti, studia intermissa revoca, et diligenter cole. Nam, mihi crede, magnitudine ingenii tui per curam et laborem vel mediocrem, quidquid voles, consequeris. Vale, et me, quod mutuo facis, ama.

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Alfonso Guajardo, cum pro ratione anni locorum mutationem, liberamque peregrinandi licentiam, Genesio invideret, varia peregrinantium incommoda transcribit, ejusque vitae statum in matrimonio, suo in caelibatu multas ob causas anteponit.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA
ALFONSO GUAJARDO SUO S. P. D.

INvidere te mihi scribis vivendi libertatem, qui nulli loco additus, nulla nec uxoris nec liberorum cura solicitante, regiam aulam in Carpetania, et frigidiore etiam nunc Vaccaeorum regione magna ex parte commorantem, pro injuncto mihi munere aestate sequar; frigoribus autem appetentibus patriam repetam, meque in Baeturiam commodissimam hibernis regionem conjiciam, nullam nec locorum commoditatem, nec studiorum occasionem praetermittens, more gruum et ceterarum avium, quae locorum opportunitates annua migratione consectantur. Quod igitur sedes pro temporum anni ratione et vicissitudine mutare, et in diversas plagas migrare utilem quamdam jucunditatem afferre putas, facile tibi assentior: valet enim non solum ad incommoda et injurias frigoris et caloris vitandas, sed nonnihil etiam ad valetudinem tuendam. Verumtamen, si vitam hanc irrequietam et laboriosam ob eam causam eorum otio, qui se do-

domi cum suis continent, et raro molestias variaque peregrinationis incommoda experiuntur, praeferendam censes, vehementer erras, praesertim in aetate ingravescente, et senectute, quae laborem, quo gaudet interdum firmior aetas, imbecillitate refugit, quietem amat captatque, *ad focum, si frigus erit; si messis, in umbra*, ut ait Poëta. Quod si nobis datum esset, quod volucribus, quas memoras, natura tribuit, ut brevi tempore, parvo labore, nulla impensa longa spatia volando transmitteremus, et confecto itinere gratuita cibaria et domus ad diversandum sine molestia contingeret, haud equidem erat, quod magnopere hujusmodi peregrinationem recusaremus. Nunc magno labore et impendio iter faciendum nobis est, et cum perventum fuerit, frumentum, et jumentorum pabulum, quod quieti solent in annum recondere, magnis impensis in diem quaeritandum; et, quod omnes labores molestiasque vincit, hospitium, ut jam sine pretio propter regiae familiae privilegium contingat, multis precibus a metatoribus poscendum, conviciis efflagitandum, ad summam, fere non nisi post diuturnam pugnam vel extorquendum, vel impetrandum. Alia ratio est, si pretio hic labor redimatur, quam conditionem libenter equidem tantis molestiis et indignitatibus anteferrem, si res simpliciter ageretur, nec munus timore legitimae poenae recusantium simulatio, et versutia artificio quodam esset et occultis precibus expugnanda, quod ipsum nec molestia vacat, nec indignitate. Quibus malis atque molestiis saepe hospitum ipsorum querimoniae, jurgia, et nonnullorum lites etiam accedunt.

Quod autem de uxore, et liberorum famulorumque cu-

cura memoras, fateor in his nonnihil esse impedimenti auctore Paulo ad Christiane et Apostolice philosophandum. Sed, crede mihi, clericorum vita non quidem eorum, qui vivunt in diem, sed quibus pars ecclesiasticarum facultatum ad se et familiam pro suae cujusque dignitatis gradu honeste alendum, et pauperum indigentiam, quatenus res patitur, sublevandum commissa est, multo majoribus molestiis, quam vestra profanorum implicatur. Vos enim uxor et filii pie sancteque colunt et venerantur, in vos, ut in omnium bonorum suorum secundum Deum auctores intuentur, vestrae dignitatis primam rationem ducunt, vestris commodis, ut suis, diligenter serviunt, in custodiam rei familiaris, ne ab exteris invadatur, excubantes. Nos in famulorum ministrorumque potestate sumus, in quos (paucis exceptis, si quis forte sincere amicus fidelisque servus Dei munere contingat) maxime convenit illud evangelicum, *inimici hominis domestici ejus*, qui furandi, diripiendi, fraudandi omnes occasiones, quas apud vos uxoris, cuncta recondentis, habentisque in sua potestate, cura et diligentia tollit, vigilanter captant, ne desit facultas veneri et gulae, et item aleae (his enim fere se addixerunt) serviendi: a quibus imperiosis dominis saepe, ne domi praesto sint, neve, cum res postulat, nobis officium praestare possint, prohibentur: quae quotidiana flagitia et indignitates quis animo ingenuo et libero sine magna molestia et cruciatu ferre valeat? Itaque expertis res fidem facit veteris fabellae, qua traditur quidam animi tranquillitatis amator, ne ministrorum molestias ferret, ad monachatum confugisse, in quadam videlicet frugum copia, et annorum, qualis nunc est, ubertate. Id enim bonum hoc,

hoc, ut res docet, importat mali, non quidem suo, sed hominum, saepe bonitate rerum abutentium, vitio, ut infimi ordinis improborum arrogantia et licentia, operarumque sine immoderata mercede laboris detrectatio exsistat: quod nescio an magis reipublicae noceat, quam annonae caritas, sit modo tolerabilis, quae solet multorum avaram et copia insolescentem pauperiem in officio continere. Sed longius me hac in parte indignatio, et duorum quorumdam pedissequorum molesta recordatio provexit, qui nuper ex hac εὐετηρία, et temporis conditione, cui me cessurum existimabant, arrogantia sumta, cum ea libertate, ea laboris et curae vacuitate, quam, ut opinor, numquam ante ausi fuerant optare, apud nos in hoc Putalbano secessu abuterentur, levissima et aequissima jussa detrectantes, jubendi leges mihi imponere tentarunt: quam ipse impudentiam non ferendam ratus, statim eos missos feci, longiusque facessere jussi, vel meram solitudinem talium ministrorum frequentiae non gravate praelaturus, nec recusaturus, si res poscat, quominus τῇ αὐταρκείᾳ facilitateque naturae utar; quae natura ipsa sibi sufficit, parvoque et parabili non in victu solum, sed etiam in reliquo vitae cultu contenta est, illius philosophi documento, qui cum ex omni patrimonio et instrumento poculum modo, ut necessarium, sibi reservasset, animadvertens homini cuidam rustico ex fonte haurienti cavam manum cyathi vicem explevisse, ipsum quoque poculum, ut supervacaneum abjiciendum existimavit. Vale, pridie Nonas Octobris. M. D. LII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Laudat argutum et elegans ejusdem Guajardi ingenium, eumque monet, ut cautim agat, ne suo Dialogo aliorum in se animos concitet.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO GUAJARDO S. P. D.

GRatissima mihi fuit epistola tua plena benevolentiae et humanitatis: jucundissimus *Dialogus*, in quo libenter ingenium tuum agnovi argutum et elegans, et tibi sum vehementer gratulatus, quod tantopere cum Musis in gratiam redieris. Quo si te Enquinirae nostri compulit aemulatio, est quod illi gratiam etiam atque etiam habeas, quod te tam utiliter ad certamen litterarium provocaverit; quem, si tuum Dialogum elegantem, acutum et ingeniosum perlegit, ut perlegisse probabile est, suspicor hac in parte desperata victoria ad caelestia theoremata confugisse, ut te, quem eloquentia aequare non potest, fulgetrorum tonitruumque denuntiatione, atque minis oppugnet. Tu vero, si te bene novi, ne pluviam quidem extimesces ab eo, qui saepe largos imbres minatus vix potuit tenues et infecundas nubes ostentare. Ceterum tu vide, ne cum hunc adversarium submoveris non admodum pertinacem, alios provoces, cum quibus tibi sit longe difficilior concertatio. An ignotas, quos adversarios irritet, qui monachorum in se quacumque ratione concitat invidiam? Praesertim si quis refricet ea vulnera, unde bellum exarsit in Erasmum, quem eo nomine nonnulli capitaliter oderunt; nec desinunt manes ejus tamquam

impios omnibus conviciis et exsecrationibus lacerare. Lude igitur, sed ita, ne ludus emanet extra domesticos parietes, sed intra familiarium consuetudinem contineatur. Vale. Ex Madritio.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Excusat se de longo litterarum intervallo, et Alfonsum Guajardum laudat de ejus in se propensa voluntate, mittitque cum epistola carmen, quod luserat in adventu Maximiliani Archiducis Valdolitum.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO GUAJARDO S. P. D.

QUod ad tuas litteras tam longo intervallo respondeam, non oblivione tui factum est, aut aliqua mea negligentia. Quis est enim me magis vel amicorum memor, vel impiger in scribendo? Sed tot impedimenta tantaeque curae, et hae magna ex parte molestae, superiore aestate meum animum occuparunt, ut his officiis, quae vacuum et hilarem animum desiderant, satisfaciendi locum non relinquerent. Nunc quando in hunc optatissimum secessum reversus me magna ex parte molestiis exsolvi, respondebo epistolae tuae non solum officii gratia, sed etiam, ut qua ratione datur, tantisper colloquio tuo et jucundissima consuetudine fruar. Quod ergo mihi per litteras de litterarii certaminis victoria gratularis, agnosco tuam in me voluntatem et propensum animum, qui de victoria sperata quasi parta gratularis: quamquam, si victoria est meliorem causam in judicio tueri, vicimus. Sed quid facias turbulentis, importunis ac invidis hominibus, qui suam et amicorum libidinem justitiae ac veritati pertina-

naciter praeferunt? Et hoc demum laudem esse ducunt, alienis inventis obstrepere, et laudibus obtrectare? Sed haec commodius et pluribus coram, nec ita multo post, ut spero. De veteribus sodalibus perpaucos reperi Compluti, plurimos longitudo temporis absumserat. Ceterum vereor, ne partium, quae post meum in Italiam discessum levitate quorumdam exstiterant, et vigent etiam nunc, studium innocenti mihi nocuerit. Castillus noster valet, sed jam pristino magistratu abiit, et pro aulico praetore factus est regius consiliarius. Maximilianum patruelem Philippo nostro in regni procurationem successisse nosti. Carmen, quod in ejus adventu lusi, ad te cum his litteris mitto, ne te lateat me cum Musis mansuetioribus in gratiam redivisse. Vale. Ex meis hibernis Putalbanis, pridie Kalendas Novembris. M. D. XLVIII.

IN MAXIMILIANUM ARCHIDUCEM AUSTRIAE,

quo Valdolitum ingresso, mox imber optatissimus flante Aquilone decidit,

EPIGRAMMA GENESII SEPULVEDAE.

Terra dehiscebat sitiens, fontesque perennes
Aruerant: moeror cuncta premebat iners.
Te veniente redit facies laetissima rerum,
Imber et optatus flante Aquilone cadit;
Arridensque tibi vires natura remittit,
Et pluvias infert, quo prohibere solet.
Ergo tuus faustum Boreas, dulcissime Princeps,
Adventum signat, cunctaque laeta fore.
Unde venit Boreas, hac te regione profectum
Excipimus laeti: tempora laeta dabis.
Longaque felici perages cum conjuge felix
Tempora, sed socero cum seniore senex.
Sospite Philippo, quo discedente, feremus
Moerorem graviter, te remanente, minus.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Apud eumdem Guajardum se excusat, quod ruri delitescat, cum ob solitudinem Musis amicam, tum ob urbis patriae quotidiana flagitia.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO GUAJARDO S. P. D.

MIraris accusasque per epistolam consilium meum, quod in vico, aut etiam ruri malim, quam in urbe, et commodissimis meis aedibus hibernare, et solitudinem praeferam magnae hominum frequentiae. Quid si scires, me in hac ipsa infrequentia excursus ad vicinam villam, et item ad proximas silvas, saepe colloquiorum non contemnendorum occasionibus, cum animus est a severioribus studiis remittendus, anteferre? Quod me igitur ut rhetorice ac ingeniose, sic amice in urbem vocas, facile ac libentissime tuum et acre ingenium et in me propensum animum agnosco: est tamen quo me possim adversus accusationem tuam, quae plus habet benevolentiae quam aequitatis, tueri. Non enim Scipioni solum, ut arbitror, datum fuit id, quod a multis memoratur, ut numquam minus solus esset, quam cum solus. Idem omnibus, qui recte, nec inviti philosophantur, contingit. Quomodo enim solus esse potest, qui cum viris optimis et sapientibus, quorum scripta lectitat, quotidie colloquitur? Quod igitur ad me attinet, qui nulla re magis, quam studio litterarum oblector, equidem in hac, quae cum urbe collata solitudo tibi esse videtur, tamen cum Hieronymo, Ambrosio, Augustino, et ceteris Christianae religionis magistris: item cum Aristotele et Plato-

tone, adde etiam Ciceronem et ceteros philosophos et oratores, quorum libros partitis temporibus lectito, vivere mihi videor. Non semper, inquis, est cum mortuis colloquendum, nec vivorum consuetudo more Timonis μισανθρώπου fugienda. Fateor: sed cum aestatem in Principis aula, et magna nobilissimorum virorum frequentia transegerim, mihi annua consuetudine ad Cordubensia hiberna redeunti pergratus est non sine causa tempori accommodatissimus Petrochiensis Putalbanusque secessus. Age vero quid est hoc tempore, quod me magis possit in urbe delectare? An magnificarum aedium incendia spectare? An nocturna latrocinia, quae, ut mare piratica solet, sic ipsa nuper, ut audio, Cordubam infestam reddiderant, solicite cavere? An sacerdotum meique ordinis hominum intestinas discordias, quae paucorum inhumana crudelitate et pervicacia plusquam hostiliter cum magna infamia totius civitatis exercentur, videre? Quas indignitates ne audire quidem sine maximo dolore possum. Haec cum ita sint, teneor tamen urbis patriae desiderio; nec me tam deterret quorumdam importunitas, quam allicit tua ceterorumque tui similium civium et amicorum virtus et humanitas. Itaque propediem domum redire cogito: me igitur cum se primum frigora remiserint, id est, circa Idus Januarias exspectabis: tu interim vale, et me, quod mutuo facis, ama. IV. Kalendas Januar.

Digitized by Google

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Alfonsus Guajardus Jo. Genesio Sepulvedae narrat agri sui delicias, et sub finem vitae aulicae incommoda recenset.

ALFONSUS GUAJARDUS

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

CUm mihi in mentem venit, te toties hiberna tua Petrochiensia merito magni facere, quod rigidum brumae tempus variis loci commoditatibus possis superare; ager meus, veris amoenitate decoratus, bellus mihi interdum visus est, et certe dignus, quem mihi invidere incipias, qui nulli invidere consuevisti, atque eo magis, quod patria profugus aulam sequeris, quo tempore pecus omne sub ulmo est, et coquit insana canicula messes. Ager itaque noster octo ferme passuum millibus ab urbe distat, vico proximus, ac potius contiguus, quo domus est non prorsus contemnenda, sed quae dominum valeat honestare. Hac egressus animi gratia mollibus passibus agrum meum invisere soleo, bone Deus, quot delitiis affluentem! placidus in primis est, soli planirie miroque situ gratissimus; qua itur, breviuscula via floribus scatet, variisque eorum coloribus, quasi penicillo depicta est: hac me venientem laetissimus avicularum coetus festivissime excipit, ac multisonis vocibus, cantusque suavissima modulatione salutat. Ingredior tandem limites meos oculos circumquaque divertens. Nunc me violae, nunc lilia detinent, sed rosarum fragrantia spiritus reficit, et aura temperatissima praecordiis arridet. Progredior passim singula lustrans, hic sa-

Digitized by Google

satas arbores placida juventute crescentes longiuscula quadam tarditate contemplor, hic pullulantium fructuum varia fertilitate recreor: illic me novellae vites uvarum pendentibus botris nec invitum remorantur, tum novellas moros ramis et foliorum viriditate formosas miratus vix gressum moveo, qua me vi singula ad se trahunt. Ceterum ubi ad aquarum rivulos perennemque fontem, ex quo derivantur, accedo, ῶ ζεῦ καὶ θεοί, quam mihi beatus videor! consideo tantisper, et lotis manibus faciem etiam lavo, dum me aquarum impetus leni susurro demulcet: denique villicum meum cuncta immissis aquis irrigantem placido sermone saluto, nunc haec, nunc illa familiariter rogans: sole vero altius ascendente sub opaca ficu, aut patula moro a proxima domo mihi prandium ministratur: assistit famulus, et remota mensa, pallioque herbis imposito tantillum incubans membris indulgeo, et placidum somnum laetus exspectare incipio. Videas interdum aquarum murmure ramorumque motu concitatas aviculas variis clamoribus modulantes, et raucos turtures querula simplicitate languentes, sed inter omnes philomela est, quae sopito mihi mollius gratissima voce blanditur. Venit tandem optatus somnus, qui tacito sopore artus reficit, etiam humanae necessitati succurrit, quo citius expergefactus, graves oculos lenta caligine studeo liberare, et Ciceronem nostrum frequentius, sed interdum Livium aut Curtium intentus lectito, dum solis aestus defervet; quo in occasum declinante, relicta lectione, iterum atque iterum universa contemplor, et noctis crepusculo me domum recipio. Age tu, qui aulicus es, et cui prae ceteris Caesaris negotia magis curae sunt, quique ipso Cae-

Digitized by Google

Caesaris colloquio interdum uteris, et tanti Principis gratia propria virtute dignus haberis, et praedicaris, tetrica illa magnatum supercilia, superbasque familias et elatas, quasque postulant, adorationes, ruri meo praeferenda censebis? Nonne illa putida sunt, et libero homine prorsus indigna? Quid referam labores, solicitudines, molestias, sumtus, incommoda, et, quod gravioris jacturae est, servam libertatem, quae omnia caeca nescio qua exspectatione delusi patiuntur aulici, grande aliquid egisse putantes, si Caesarem importunissime secuti, miseram et ignobilem servitutem ingenuae libertati praetulisse videantur. Tu vero, si te bene novi, unicum servitutis osorem, tristia haec omnia et omnino misera, sat scio, molestissime sustines; sed tui officii memor, vel sufferre cogeris, vel dissimulare contendis: mihi vero fallaci fortunae prorsus diffidenti, et utriusque vitae non ignaro longe diversus est animus. Cum Aglao Arcade tutius sentiendum existimo, quem Gygi Lydiae Regi jure praetulit consultus Apollo. Vale. Pridie Kalendas Majas.

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Gratulatur Alfonso Guajardo Genesius, quod feliciter Oscam pervenerit, hortaturque, ut civitatis exspectationi de ipso conceptae satisfaciat, reique bene administrandae modum late deducit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA ALFONSO GUAJARDO S. P. D.

PErgratum mihi est, quod scribis, Oscam te, quo anni per se suspecti alieno tempore profectus fueras, incolumem pervenisse, et magna cum civitatis gratulatione tuum

tuum adventum equestribus ludis fuisse celebratum, optima scilicet spe publice concepta, fore ut, te praeside et correctore, bonis otio et pace frui, suumque negotium agere, improborum injuriis non interpellantibus, liceat; quam spem non solum antecedens tuarum virtutum fama, sed etiam praesentis corporis dignitas dedisse videri potest. Nam corporis dignitas, quae sine proceritate, ut philosophus testatur, non contingit, spem animi pulchritudinis, quae virtutibus constat, plerumque solet injicere. Quo tibi major est adhibenda cura, ut quam exspectationem tui fecisti, hanc non modo sustineas, sed etiam vincas, et officio satisfacias. Quod ita demum fiet, primum si te in adeundo facilem praebueris, nec tamen nimia provincialium familiaritate contemni patiaris. Deinde si Ciceronem auctorem adhibueris, sic in libro primo *Officiorum* disserentem: *Caput est in omni procuratione negotii, et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio*: et paulo post: *Nullum*, inquit, *vitium est tetrius, quam avaritia, praesertim in principibus, et rempublicam gubernantibus*: tum si probis hominibus affabilem te et humanum praebueris, scelestis autem et flagitiosis formidabilem, ut exemplo praeceptum Pauli comprobes, qui ad Corinthios scribens: *Vis*, inquit, *non timere potestatem? Fac bonum, et habebis laudem ab illa: si autem malum facis, time, non enim sine causa gladium portat.* Nec vero hoc dico, ut adversus eos, quos improbos putes, excandescas. Hoc enim non est constantis et recti judicis, non magis, quam precibus calamitosorum illacrymari, ut Callistratus jureconsultus prudentissime tradidit; sed ut bonos pro virtute collaudes, facinoris convictis, aut etiam confessis gratiam criminis ne facias. In hos enim miseri-

cordem esse, quid aliud est, quam in bonos saevire, et reipublicae nocere? cujus interest, ne crimina maneant impunita, et violare leges, quibus salus reipublicae continetur, easdemque suo fine fraudare. Leges enim, Isidoro auctore, factae sunt, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia et nocendi facultas. Quo magnus quorumdam et legibus ac reipublicae religionique inimicus error convincitur, qui humanitatis et pietatis officium esse putant pro improbis et sceleratis hominibus supplices esse praetoribus, non animadvertentes sontium impunitatem innocentium esse perniciem. Neque vero te nolo propensiorem esse ad absolvendum, quam ad condemnandum in causa dubia, praesertim eorum, qui non fraude, ex insidiisve aut consuetudine, sed impetu quodam et perturbatione animi deliquerunt. Nam minore vel culpa vel infamia sontem absolveris, quam innocentem condemnaveris, et sic animatum esse, nec scientem et volentem a justitia et aequitate, quae semper est summo juri praeferenda, discedere, boni viri est, bonique praetoris. Eadem est enim utriusque virtus. Nam reipublicae praesidentem metu potentiorum animive mollitia, vel amicorum ambitiosis precibus culpas poenasque remittere, aut causae cognitionem in longum ducere, aut etiam successori tradere, legesque violari conniventem pati, qui boni viri esse dicunt, boni praesidis praefectique negant, hi magno in errore, et reipublicae perniciosissimo imprudentissime versantur. Nam qui munus suae fidei publice commissum negligit, inutiliterve et cum magno reipublicae detrimento gerit, hunc ego non bonum virum, sed ignа-

navum, inertem, et datae fidei jurisque jurandi violatorem, et in bonos et innocentes ipsamque rempublicam injuriosum esse dico.

Haec ad te scripsi non tui docendi causa, cui ea domi nascuntur, sed ut rebus his commemorandis, quarum recordatio nec inutilis tibi sit, nec injucunda, te tua sponte incitatum ad laudem et officium cohortarer. Vale.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Ludovico Carvajali, Franciscanorum ad Baeticam provinciali, ipsius Cordubam adventum sibi gratum esse, scribit, simulque nova, quae pro anni tempore ruri accidebant, transcribit, cupiens ab eodem certior fieri, quid rerum novarum agatur foris.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
LUD. CARVAJALI, FRANCISCANORUM MONACHOR.
AD BAETICAM PRAEFECTO PROVINCIALI, S. P. D.

PErgratum mihi est, te Cordubam hoc animo redivisse, ut diutius apud nos, quam superiore anno, sis commoraturus. Illud miror, quid tibi in mentem venerit, ad me in praedio meo Mariano otii studiorumque gratia rusticantem mittere, et per litteras nuntiosque monachos petere, ut te de rebus novis certiorem faciam. Quid enim novi esse potest rebus quietis in montibus et convallibus, stirpibus exceptis, quae a terra feracissima novo germine procreantur? Nisi forte scire vis, jam turdos, qui hanc regionem, cui nomen dederunt, hieme complere solent, cibo deficiente demigrasse, quippe unedonis, oleastri, lentisci, et myrti sponte passimque in saltu Cordubensi provenientium fruticum baccis, qua-

Digitized by Google

rum jam tempeſtivitas effluxit, paſcuntur; et apes, quae bruma conduntur, et perpetua multorum dierum quiete delitescunt, jam tempore invitante, thymoque et rore marino, et ceterorum generum herbis florentibus, novam feturam urgentes pabulatum prodire: quarum solertiam curamque reipublicae, cui partita officia cupidissime ac mirabiliter impendunt, et cetera magna miracula, quae in parvo insecto Aristoteles ceterique rei rusticae auctores persequuntur, contemplari me magnopere delectat. Nam hoc quoque jucundissimum spectaculum, et hanc philosophandi occasionem nobis nostrum Marianum suppeditat. Cujus citrei varii generis, ceterasque frugiferas arbores superioribus diebus excoluimus, vites putavimus, ablaqueavimus, atque mergis propagavimus, fruticibus exstirpatis multa mitiorum arborum semina radicata suffecimus. Hae igitur res novae sunt apud nos, quibus de studio fessus animum soleo magna jucunditate relaxare, et item nova villa, quam aestate superiore, ut tecto commodiore uteremur, aedificandam curavi. Quid Carolus Caesar, quid frater Fernandus agat, quid Henricus Gallorum Rex, qui Mediolanensibus furiis exagitatus non potest quiescere, moliatur, jam pridem ignoro, nec equidem scire, si salvo officio id facere possem, magnopere curarem. Nuper amicorum litteris certior factus sum, Carolum ex Germania Inspruchum venisse, ut a bello Parmensi, et Tridentino Concilio propius abesset, Fernandum Transylvaniam, Pannoniae inferioris regionem, Georgio Monacho auctore, invitissimis Turcis recepisse. Vale. Postridie Idus Februarias Anni Christi M. D. LII.

EPI-

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Praemissa officiorum suorum commendatione, Manrico Larae, Duci Najarensi, de splendida Barcinonensi coena, a Petro Fer. Velasco instructa, habitisque in ea sermonibus narrat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA MANRICO LARAE, DUCI NAJARENSI, S. P. D.

VOlebam te, Dux clarissime, per epistolam longiore scilicet intervallo salutare, ne parum hoc in genere officiosus cliens esse viderer in maximum et optime de me meritum patronum: sed cum nihil esset, quod scriberem, nisi me tuarum laudum esse studiosissimum, et tuorum in me magnorum meritorum semper memorem fore, mihi venit in mentem coenae illius Barcinonensis, ad quam Petrus Fernandus Velascus Castellae Comestabilis te fratremque Joannem Manricum, et Fernandum Raimundum Cardonae Ducem, et item Cortensem Marchionem, quatuor viros principes vocaverat, qui ad Carolum Caesarem Regem nostrum post Gallos a Perpignani obsidione nostrorum virtute depulsos convenerant: unde argumentum epistolae nasci posse existimavi, tibi nec ingratum nec injucundum. Nam mihi coena digna visa est, quae non minus, quam Platonicum illud convivium, siqua facultas esset, celebraretur. De qua et habitis in ea sermonibus non Aristodemum aliquem referentem, ut Apollodorus apud Platonem, audivi, sed ipse interfui, ut nosti. Nam me quoque Velascus idem pro singulari sua humanitate adesse, et, vobis pro vestra in doctrinarum studiosos indulgentia non indignantibus, jussit *mensis*

sis accumbere divum, ut verbis utar poëtae. Quod convivium a veterum Romanorum et Atheniensium laudata consuetudine non abhorruisse, testis est Marcus Varro, qui de ipsa consuetudine memorans, aptùm convivarum numerum definit, ut a Gratiis profectus Musarum multitudinem non excedat, id est, ut nec pauciores sint, quam tres, nec plures, quam novem, ne convivium sit vel paucitate et silentio subtriste, vel multitudine et strepitu turbulentum: quorum numerorum coena illa Barcinonensis medium tenuit. Nam quinque sine me accumbebatis, nec muti, nec loquaces, quales idem Varro convivas esse oportere tradit, qui convivium ita demum suis omnibus numeris absolutum fore docet, ut Gellius refert, *si belli homunculi collecti sint, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus*: quarum rerum nihil, ut opinor, abfuit convivio vestro, nisi quod non belli homunculi convenistis, sed magni viri, et proceres opulenti, multisque populis imperitantes, gravissimi quidem, sed morum suavitate et sermonis lepore jucundi, et quod apparatus modum excessisse videri poterat, nisi mensae fuissent tantis principibus instructae. Nec mirum, nam vestrae, id est, procerum Hispaniae quotidianae quoque mensae, et familiaria convivia eo luxus processere, ut non injuria a frugi et antiquariis hominibus improbari videantur, utpote longe a veterum parsimonia degenerantes. Nam majores nostri necessario, aut paulo etiam liberaliore victu et cultu contenti, Lacedaemoniorum frugalissimae nationis morem aemulari, et tenuiorum amicorum, non gulae exquisitis dapibus indulgere, sed inopiam rebus necessariis suggerendis sublevare, id demum procerum officium et e-

gre-

Digitized by Google

gregiam laudem existimabant. Nam illa erat communis Hispanorum laus, auctore Trogo, quod eis essent corpora ad inediam laboremque, animi ad mortem parati, duraque omnibus et stricta parsimonia. Nostra vero aetas, externorum, ut opinor, consuetudine, et peregrinis moribus depravata, accedente diuturnae ad Hispaniam Caroli Imperatoris Regisque nostri beneficio pacis licentia, tantopere in diversum deflexit, ut principum virorum mensae pro Laconica parsimonia Syracusanum luxum gravi Platonis censura notatum imitentur. Sed redeo ad coenam Barcinonensem, in qua me sermones habiti de administranda republica in primis delectarunt: quibus initium occasionemque mentio dedit, nescio quo pacto, de seditionibus popularibus exorta, ad quas seditiones compescendas, Velasco eodem belli summam obtinente, ipse puer a patre cum manu militari missus magna generosae indolis documenta praestitisti. Sed in ea disputatione cum multa libenter audirem, illud non perinde placebat, quod tu, dum in statum reipublicae popularem vehementius invehereris, in paucorum potentiam, quae parum abest a tyrannide, inclinare videbaris. Quamquam non dubito, quin ea a te non ex animi sententia, sed disceptandi gratia, et in odium reipublicae popularis dicta sint, et harum trium reipublicae depravationum nullam non damnes, ex tribus rectis regiam, ut plerique omnes sapientes, maxime probes, qui regibus nostris pace belloque tam non gravate, tamque libenter operam et industriam studiumque more majorum tuorum navare soles. Sed ea contemplatio ex omnibus gratissima mihi fuit, quod primae classis Hispaniae proceres opibus, auctoritate et clientelis prae-

po-

Digitized by Google

potentes, magnarum olim et hostiliter dissidentium factionum principes, omni simultate deposita, mutua consuetudine frequenter frui, multum simul esse, simul epulari, quod saepe ante animadverteram, gauderetis. Quo nomine tacitus Hispaniae saeculoque nostro vehementer gratulabar, et Carolo Caesari Regi nostro tantae felicitatis pro sua justitia et animi magnitudine auctori apud animum meum ingentes gratias agebam. Vale.

JO.

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE CORDUBENSIS EPISTOLARUM LIBER V.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Ad Martinum Olivanum, Inquisitorem Apostolicum, scribit, pergratum sibi fuisse commentarium ejus de fraterna correptione, *paucisque disputat de puniendis haereticis occultis.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

M. OLIVANO, INQUISITORI APOSTOLICO, S. P. D.

Commentarium *de fraterna correptione*, quod mihi redditum est cum tuis humanissimis litteris, libentissime perlegi, pergratumque fuit in eo magnum ingenium tuum, et singularem eruditionem, copiam et facultatem agnoscere. Nam multa mihi visa sunt a te et subtiliter ex media juris utriusque doctrina depromta, et prudenter disputata, ut accuratius nequiverit locus de ratione haeresis occultae, deque ipsius denuntiatione tractari; quem ego ex industria vobis, qui officio, quod ut est, sic sanctum nuncupatur, praefecti estis, dijudicandum in meo *Theophilo* reliqui: in quo mihi propositum fuit de morum magis peccatis, quam de mentis erroribus, quas haereses appellamus, ut ad te nuper scripseram, disserere. Sed quamvis tua mihi sententia in primis probetur, nec possim, aut debeam a vestro gravissimo decreto dissentire, quaedam tamen inter legendum mihi venerunt in mentem, quae si libellum edere cogitas, non erit fortas-

sis ab re, paulo latius explicare, ut non solum aequis hominibus, sed contentiosis etiam satisfacias. Quibus de rebus cum Cordubam rediero, quod propediem facere cogitabam, coram, nisi tibi molestum fuerit, commodius disseremus. Nam quod ais, haereticos etiam occultissimos esse jure excommunicatos, tibi etiam atque etiam assentio, nec probari mihi umquam potuit illa mentis dumtaxat assensus, et actus exterioris quamlibet arcani, a junioribus inducta distinctio, sed semper est visa commentitia (Cajet. 22. q. 11. art. 3. et 4.) nec dubito quin in foro conscientiae Ecclesia militans jurisdictionem habeat in crimina etiam occultissima. Sacerdos enim, qui pars est Ecclesiae, et ejusdem Deique administer, in confessione sacra de mentis quoque cogitationibus inquirit, et poenas imponit, et si quis occultissime clericum percusserit, jure Ecclesiae excommunicatus est (c. *non dubium*, *de sentent. excomm.*) eodemque modo, si quis vel sola cogitatione mentis et assensu, qui per se valet absolutum haereticum reddere, fiat haereticus (c. *excommunicamus*, *de haeret.*) cum Ecclesiae non magis hoc incognitum occultumque sit, quam illud, et utrumque penitus ignoretur; sed in foro exteriore Ecclesia jus non habet nominatim in quemquam inquirendi, aut puniendi morum peccata penitus occulta, etiamsi fuerint opere patrata, nec qui propter tale crimen fuerit excommunicatus, hunc habet Ecclesia in foro exteriore pro excommunicato, nec judex conscius posset ipsum, aut deberet palam prohibere sacris (gloss. c. *multorum*, §. *Verum de haeret. in Clem.*)

Ceterum de crimine haeresis utrum aliter sit statuendum, nihil definio, sed integram causam vobis, quorum of-

officium hoc magis attingit, vestroque judicio relinquo, quos hujus generis quaestiones cunctas diligenter excussas, et pie sacrisque legibus convenienter constitutas ac dijudicatas habere convenit. Vale. Toleto, postridie Idus Decembris. Anno M. D. XXXVIII.

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Eidem Olivano locum Catonis, et C. Marii, quo videntur litteras Graecas contemnere, explicat, easque contra obtrectatores defendit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

M. OLIVANO, INQUISITORI APOSTOLICO, S. P. D.

Scribis ad me, petisque, Olivane doctissime, quidnam causae fuisse putem, cur M. Cato, qui vir optimus habitus est, et omni civili facultate praestantissimus, litteras Graecas tantopere damnaret, ut de Graecis commemorans ad Marcum filium illud multorum ore celebratum scribere non dubitaret: *Hoc puta, Marce fili, vatem dixisse: Quandocumque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet.* Quod vaticinium non in veteres Romanos magis, quam in nostrae memoriae Germanos editum esse videri tibi profiteris. Nam ut Romanis olim morum magnam corruptelam, sic nuper Germanis religionis labem insignem litterarum Graecarum eloquentiaeque studium et scientiam attulisse, ut jure querela pervetusta novis exemplis renovari posse videatur. His addis Caji Marii testimonium ex illa nobili oratione, qua est in optimates invectus, ubi litteras Graecas non obscure vir magnus et suis virtutibus clarus contemnere atque im-

Digitized by Google

probare visus est. Haec est, ut arbitror, summa tuae non sententiae, sed quaestionis: nec enim adduci possum, te virum pergravem, et praestante tum ingenio, tum etiam doctrina falsae et injustae Catonis accusationi, ut huic parti primum respondeam, suffragari: nec tamen miror eumdem te cum multis viris eruditissimis tanti viri auctoritate commoveri, et de facti causa dubitare. Sed, crede mihi, periniqua est Catonis litterarum Graecarum criminatio, quae non aliunde nata mihi esse videtur, quam ex errore quodam et odio. Accidit enim nescio quo pacto tetricis hominibus, ut quos oderint propter vitia, in his etiam si qua probanda sunt, affectu impediti non agnoscant, ac potius vitio vertant. Quod Catoni homini severissimo in hac causa usu venisse certum habeo, qui, cum Graecos propter insitam multis eorum levitatem vanitatemque, et alia vitia, quae vulgo huic nationi tribuuntur, magnopere, ut res ipsa docet, odisset ac improbaret, omnes eorum artes suspectas habebat, vituperandasque putabat magno medicinae argumento, quam facultatem necessariam et salutarem cum in Graecis vel doctissimis condemnaret, ejus tamen commentarium sese habere profitebatur, quo sibi, filio, servis et familiaribus mederetur. Quod si quis Graecarum litterarum ignarus (*sunt enim quidam*, ut ait Hieronymus, *qui optima quaeque contemnere videri malunt, quam discere*) Catonis testatam opinionem non errorem esse asserat, sed rectum judicium, et ratione destitutus in tanti viri auctoritate satis esse ponderis ad fidem faciendam contendat, possumus et nos ejusdem Catonis judicium, et multo quidem incorruptius opponere, qui cum vir probus esset, nec in errore pertinax, litteras Grae-

Graecas, quas junior temere damnaverat, senex prudentissime didicit, dignasque putavit, in quibus opera et tempus etiam a gravissimis viris poneretur. Quae res multo plus ponderis habet ad Catoniani judicii declarationem, non solum propter prudentiorem aetatem, sed etiam quia, magnis philosophis auctoribus, ad cognoscendam proborum hominum de rebus bonis ac malis sententiam, non tam dicta ipsorum spectare oportet, quam facta, si vita scilicet ab oratione aliqua in parte dissentiat. At evenit Catonis vaticinium, nec prius vitia Romanos penitus invaserunt, quam Graecorum litterae et artes in urbem reciperentur. Fateor: sed nec prius, quam, hostibus longissime submotis, optatissima pace fruerentur. Nam in bello et negotiis perparum loci relinquitur studiis litterarum, quae pacis comites sunt otiique sociae, ut pacem eodem modo condemnare liceat, sine qua tamen civitatibus felicitas non contingit. Ut igitur pacis nulla culpa est, quod quietis potissimum temporibus voluptati ejusque ministratricibus artibus sese homines tradunt, sic ea mala Romanis non litterarum studia, in quibus maximum est ad virtutes colendas praesidium, sed pravitas hominum libertate et otio turpiter abutentium invexit. Nam in rerum difficultatibus, bellicisque laboribus atque periculis homines fere incommoda calamitatesque patienter ferre, pericula subire, voluptatibus abstinere coguntur, qua consuetudine virtutes quaedam ingenerantur; sed pace reddita, et confirmata, ut jam mores et studia, non necessitas et timor, sed consilium et voluntas moderetur, multi, nullis honestatis adminiculis suppetentibus, se inertiae ac turpitudini per licentiam dedunt, pauci vel bonitate naturae, quae-

quos-

quosdam finxit ad honestatem et officia procliviores, vel bonarum artium, quas ab ineunte aetate coluerunt, exercitatione sublevati, et ope summi Dei, qui recte agere conantibus vires liberaliter subministrat, adjuti, virtutem libenter colunt, et via, quae proxima est ad felicitatem, gradiuntur. Sed cum utrique hominum generi per bonas leges consulendum sit, et utriusque temporis habenda ratio, tamen una est communis provisio sapientium consensu, ut homines ab ineunte aetate honestis actionibus delectari consuescant. Sic enim natura comparatum est, quemadmodum non philosophi solum, sed rerum usus declarat, ut homines, quibus vitam licet arbitratu suo traducere, magna ex parte in iis rebus versentur, quibus maxime gaudent. Sed interest, quod boni rebus honestis, mali turpibus delectantur. Ceterum cum aliae virtutes alii parti vitae sint aptiores, fortitudo et laborum calamitatumque tolerantia, ut iidem philosophi docent, proprie negotiis atque bellis utilissimae sunt; paci vero et otio philosophia; utriusque autem temporis communes justitia et temperantia, quae tamen otium et pacem agitantibus magis conducunt. Itaque philosophiae et doctrinarum studium, quas Cato in litteris Graecis, quibus potissimum continentur, damnabat, tantum abest, ut probis moribus officiat, ut sit praecipuum virtutum in pace praesidium, et maximum ad bene beateque vivendum adjumentum, quod studium sapientium testimonio, ut pueris pro Architae crepitaculo est, sic viris optimis optima ratio fruendi otio et vitam honeste, jucunde ac liberaliter degendi, praesertim philosophiae impensum, quae non solum est vitae morumque magistra, sed ingenerat etiam quemdam virtutis

et

Digitized by Google

et rerum honestarum amorem in iis quidem, qui recte philosophantur, nec doctrinarum studio more sophistarum ad quaestum aut ostentationem abutuntur. Non enim, quid virtus sit, sciendi, sed recte et ex virtute vivendi causa doctrina morum inventa est. Itaque philosophia, quae latissime patet, et omnes liberales doctrinas complectitur, animos hominum, qui semel vitiis et pravis opinionibus exstirpatis, paulo familiarius se per longam consuetudinem in ejus amicitiam insinuarunt, ea dulcedine complet per optimarum rerum scientiam et contemplationem, ut facile ceteras omnes voluptates contemnanr. Quae res si ad Deum referantur, et ex praeceptis Christianae philosophiae administrentur, fiet, quod fieri non posse cuipiam fortasse videatur, ut sapiens tum in hoc saeculo, tum in futuro vitam beatam cum maxima jucunditate degat, quam alii per hujus vitae calamitates et supplicia post mortem dumtaxat assequuntur. Nam multis viis, sed quarum unus est exitus finisque Christus, ad aeternam vitam pervenitur. Hoc enim illud est, quod Paulus ait: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Scilicet quia virtus egregia in utraque fortuna nitet, et viros praestantes non solum probis hominibus ad laudem, sed multo etiam magis Deo ad aeternam felicitatem commendat. Ut paucis igitur summam complectar, vitiorum mala, quae per otium et securitatem ex pravitate hominum oriuntur, paci aut doctrinarum studiis accepta ferre, simile est, ac si quis felicibus annis, cum inutiles herbae, quibus vites et reliquae arbores sterilescunt, et jacta optima semina obruuntur, atque necantur, in agris male cultis uberius proveniunt, agricolarum culpam in rusticarum rerum uti-

utilissimam et honestissimam artem, aut temporum felicitatem conferat. Atque haec quidem ad Romanorum exemplum, quod quidam injustae Catonis litterarum Graecarum vituperationi suffragari putant.

Venio ad Germanorum calamitates, et religionis corruptelam, quas si ab hominibus Graecarum litterarum et eloquentiae studiosis invectas esse contendis, nihil pugno: sed si ob eam rem eloquentiam, et Graecarum disciplinarum notitiam vituperandas putas, quod eis interdum ad scelus pravi homines abutantur; vide ne injustam et periculosam judicandi rationem inducas, qua liceat eodem modo non solum vires et pulchritudinem, facultates et gloriam condemnare, sed et solertiam, et eos habitus, quos in viris probis prudentiam et virtutes nuncupamus. Quibus rebus, cum optima sint et magna Dei munera, tamen pravi homines nonnumquam ad magnas injurias abutuntur. Qua de re sic memorat Aristoteles philosophorum princeps in libro primo de Republ. *Homo*, inquit, *ut perfectus sive probus, omnium animalium est optimus, sic lege justitiaque vacans, cunctorum pessimus habetur, perniciosissima est enim armata injustitia, homo autem prudentia et virtute armatus est, quibus uti potest in contraria.* Igitur eloquendi facultas, et Graecarum Latinarumque litterarum scientia honestissimis facultatibus jure optimo annumerantur. Quibus Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus, Basilius ex Graecis, ex nostris Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ceterique optimi et sanctissimi viri instructi, magnas religioni Christianae commoditates attulerunt. Germanis autem, ut eadem hac memoria magnopere nocerent, non ipsarum culpa factum est, sed scelere et impie-

Digitized by Google

pietate quorumdam, qui optimas sua natura facultates ad evertendam Christianam religionem in fraudem et malitiam converterunt. Non enim, ut apud nos pia Principum et utilissima reipublicae provisione per urbes viri doctrina, virtute ac religione praestantes, officio, quo tu jam pridem cum magna tua laude fungeris, praeficiuntur, haereticorum temeritatem ac scelus vindicandi, sic apud Germanos, aut certe non ea auctoritate et potestate vindices erant impietatis, qui turbulentorum et flagitiosorum hominum in religione rebus novis studentium, scelus et audaciam coërcerent.

Quod vero pertinet ad Caji Marii testimonium viri militari tolerantia et bellicis artibus, quam innocentia et justitia, pacis virtutibus, clarioris, qui in concione populari sic de Graecis litteris disseruit, ut easdem cum nobilitate jure contemnere videretur, idque Romanae plebi, cujus suffragio consul factus est, persuasit, quid habet argumenti, nisi hominibus inertibus aut improbis in generis claritate, aut litterarum notitia parum esse praesidii ad laudem egregiam, sed praestante virtute opus esse ad res maximas gerendas? At viris probis, et honestatis amatoribus, quis sanus neget plurimum esse adjumenti ad colendas virtutes, tum in paterna majorumque virtute et gloria, tum in rerum optimarum scientia? Cum haec virtutis viam ostendat, illae ad ingrediendum domesticis exemplis adhortentur. Praeclara igitur ornamenta, quorum expers erat Marius, contemnere se magis, quam requirere callida oratione jactabat, ut se indoctae plebi hac quoque ratione commendaret.

Haec mihi in mentem venerunt, quibus ad littera-

Digitized by Google

rum Graecarum vituperationem, tuamque quaestionem responderi posse videbatur. Quae si tibi probabuntur, facile omnes omnium tetricorum invidorumque calumnias contemnam: sin aliter, tuum erit, ut me refellas hominem minime pertinacem, et prudentioribus tuis monitis et auctoritati facile concessurum. Quamquam enim litteras Graecas, quibus me a puero dedi, nihil habeo, quod accusem, quin potius eis magnam habeo gratiam, quod ipsarum beneficio tum in Graecorum philosophorum libris, tum in sacris praesertim novi Testamenti litteris ita sum versatus, ut mihi liceret ex fontibus potius haurire, quam interpretum rivulos consectari; tamen te auctore et prudentius admonente litterarum Graecarum studio vel omnino desistam, vel si hoc propter diuturnam consuetudinem nimis erit difficile, temperantius utar. Vale, et me, quod mutuo facis, ama. Ex meis hibernis Putalbanis, Idib. Decemb. Ann. Christi M. D. XLVII.

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Olivanus Genesio Sepulvedae, a monachis Dominicanis Cordubae palaestram litterariam septem diebus quaestionibus Theologicis exercitam, scribit; eamque epistolam, quam in defensionem litterarum Graecarum miserat, esse approbatam: denique quod ab Hieronymo Garsia, Francorum Reginae a secretis, duo volumina operum Genesii sibi transmitti postulaverit.

MARTINUS OLIVANUS J. U. DOCT.

JO. GENESIO SEPULVEDAE S. THEOL. D. S. P. D.

Posteaquam litteras tuas accepi, nihil omnino fuit novi, de quo te certiorem facerem. Nunc autem est, quod scribam. Superioribus diebus in hac urbe in monasterio

D.

Digitized by Google

D. Pauli monachi Dominicani Baeticae provinciae, quorum multi erant scientia et dignitate praestantes, cum conventum agerent, quod ipsi *capitulum provinciale* vocant, septem continuis diebus palaestram litterariam theologicis quaestionibus exercuerunt. Quorum fuit et inter se et cum aliis ceterorum ordinum monachis non minima concertatio, dum suam quisque tueri conaretur opinionem: fuerunt autem inter alias quaestiones duae praecipuae, quarum altera circa ea versabatur, quae tu in *Dialogo*, cui titulum *Democratem secundum* fecisti, accuratissime pertractasti: *Utrum barbaris novi orbis, quos Indos Hispana consuetudo vocat, liceat bellum inferre*, et cetera, quae in eodem libro elegantissime persequeris. Altera: *Utrum Romanus Pontifex potestatem habeat supra id, quod oecumenica synodus statuerit, definiendi, aut ipsa per se etiam contra voluntatem Pontificis quidquam statuere possit.* De qua quaestione spero cito te librum magna cum studiosorum utilitate in lucem emissurum, et utrumque opus ut quamprimum in lucem prodeat, vehementer exopto: erunt enim mihi gratissima, ut cetera scripta tua, quae nescio doctrina, an elegantia magis eruditorum praeconio commendentur.

Vellem itidem, ut in secunda tui *Theophili* editione illud quoque adderes, quod ad haeresis crimen occultum de fraterna correptione attinet, de qua ipse in eodem libro disputasti. Quod negotium si obiter ac breviter percurreris, aliorum periculis et erroribus occurres, praesertim cum ad id ipsum nemo non alioquin teneatur. Quoddam exemplar illius eruditissimae et elegantissimae epistolae, quam ad me jam pridem scripseras, ut in eo mihi satisfaceres, quod hic saepe familiariter

 su-

sumus collocuti, posteaquam tibi litteris significavi, utrum Graecarum litterarum studium hac nostra aetate Germanis ad religionem Christianam offecisset, misi ad Joannem Olivanum fratris filium, qui non sine aliquo bonarum litterarum tamquam fundamento juri civili Salmanticae incumbit, qui cum non ignoraret epistolam propter eruditionem et doctrinam, qua ubique scatebat, magno in pretio habendam, gymnasiarchae et doctori Neylae tibi amicitia conjunctis, aliisque illius Academiae scientiarum omnium peritis ejus copiam fecit. Quam epistolam mihi per proximum tabellarium remittens, negat per litteras se satis digne referre posse, quanto applausu quantisque laudum generibus eam susceperint. Jam vero quid mihi responderint Ureniae Comes, Marchio Comariensis, aliique bonarum litterarum studiosi viri, quibus eam feci etiam communem, quid refert commemorare? Omnes uno ore praedicant, te numquam non debere calamo operam dare, ut et te et patriam ea gloria famaque illustres, qua vix alius quisquam antiquorum umquam condecoraverit. Quod non dubium est, quin facile consequaris, data videlicet occasione, ac monachorum molestiis et controversiis, aliisque familiaribus, quae se, ut necesse est, praeter spem quotidie offerunt, omnino expulsis.

Ad Hieronymum Garsiam Francorum Reginae a secretis Parisiis commorantem nuper dedi litteras, quibus postulabam, ut tuorum operum, quae hactenus in lucem prodierunt, duo ad me volumina transmittat, ac praeterea ut quantum in se fuerit, chalcographum, cui curae est tua *Politica* prelis committere, identidem invisat, horteturque, ut quam citissime optima fide in lu-

Digitized by Google

lucem emittat. Hoc genere scribendi meum ingenium alii studio deditum nunc exercere volui Latino sermone potius, quam Hispano, non quod nostram vernaculam linguam facundam atque suavem parvi faciendam censeam, sed ut a te in omni genere litterarum consummato viro Latinam etiam epistolam ceteris tuis similem eliciam, docte scilicet, graviter et eleganter scriptam, quae mihi erit summae voluptati. Vale, et me, quod mutuo facis, ama. Cordubae Kal. Augusti, An. M. D. XLVIII.

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Respondet Martino Olivano ad litteras praecedentes, sibi eodem tempore certamen fuisse acerrimum cum summis theologis, utrum bellum Barbaris sit inferendum, probatque partem ajentem summorum virorum auctoritate.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA

MARTINO OLIVANO, INQUISITORI APOST. S. P. D.

PErgrata mihi fuit epistola tua, erudita, humana, et benevolentiae plena, in qua quod scribis monachos Dominicanos, qui Cordubam conventus provincialis agendi causa ex more frequentes convenerant, palaestra litteraria sese exercentes vobis spectaculo non injucundo scilicet fuisse, gratulor vobis, quibus extra teli jactum pugnae simulacrum spectare licuit. At mihi eisdem diebus cum aliis doctis, sed pertinacibus theologis non ludicra palaestra, sed verum certamen fuit. Atque utinam aequo et aperto Marte, parique pugnandi conditione fuissemus congressi, nec ipse versutissimi ducis arte fraudeque circumventus fuissem, iis copiis ad defectionem per dolum et figmenta solicitatis et abductis, quarum prae-

praesidio ipse mihi certam victoriam pollicebar. Itaque non victi judiciali pugna excessimus, sed elusi et destituti, quippe in optima nostra causa paucorum judicio a gymnasiis bona fide commissa, eosdem magna ex parte judices habuimus, et eosdem per quorumdam artificium pertinacissimos adversarios. Quibus rejectis ad sanctius tribunal provocavimus, firmioribus et constantioribus auxiliis usuri, et his partim ex ipsorum adversariorum grege. Nam paucorum, vel potius unius iniquitate, et quorumdam caecitate perspecta, optimus et doctissimus quisque causae nostrae favet, quam tibi et gravissimo atque doctissimo tuique simili collegae non improbari mihi fuit gratissimum ex tuis litteris intelligere. Nec miror vos gravissimos et integerrimos judices, qui religionis et catholicae Ecclesiae contemtores coërcendi officio cum summa potestate praeestis, ab ea sententia non abhorrere, quae, ut cetera fundamenta, quibus praealtis nititur, taceam, summum Pontificem, et qui nobis in Ecclesia pro Christo est, unum et alterum auctorem habet, et ipsius Ecclesiae auctoritate fulcitur. Quod ut habeas exploratius, exemplum ad te mitto litterarum, quas Alexander VI. Pontifex maximus Fernando et Isabellae Regibus nostris rescripsit, quibus non solum bellum Barbaricum probat, sed ad id suscipiendum et obeundum, Barbarosque in ditionem tradendae pietatis causa redigendos, magnopere religiosos principes cohortatur; qua de re Fernandus Valdesius sanctissimi tribunalis vestri omnis Hispaniae praefectus, et idem praesul Hispalensis, quem virum gravissimum et juris consultissimum nosti, nuper cum viri multi gravitate et doctrina praestantes adessent, sic mecum est collocutus: *Cur*, inquit,
Ge-

Geneſi, libri tui editionem quidam viri alioquin docti et graves tantopere impediunt? Et ego: *Quid tu*, inquam, *praeſul ampliſſime, me de negotio percontaris, quod melius noſti, quam ego? Cauſa*, inquit ille, *quam ipſi jactant, perlevis eſt, et mihi numquam probata, qui cavendum eſſe dicunt, ne milites noſtri per occaſionem libri gravius saeviant in Barbaros: at hoc ne fiat, ipſorum muneris eſt, quantum res patitur, providere. Nam bellum, ut ſine aliqua injuria et maleficio geratur, aut fieri non poteſt, aut eſt difficillimum*: et cum parumper ſiluiſſet, adjecit illud: *Dicam equidem, quod ſentio: melius iidem suae famae conſulerent, ſi potius librum hunc ipſi grandioribus litteris excudendum, et per omnem Hiſpaniam ex ſuggeſtis ad publicam commoditatem praedicandum curarent.* Sed de his hactenus.

De commentatiuncula a me de *Pontif. Maxim. et concilii univerſalis poteſtate et comparatione* in libro, quem de *Regno* inſcripſi, elucubrata, argumentum eſt lubricum, et ſic a quibuſdam viris doctiſſimis tractatum, ut in eis partium ſtudium magis exſtet, quam ſincerae veritatis amor. Ego ut utrique parti ſatisfacerem, ſuumque jus ac dignitatem tribuerem, etiam atque etiam elaboravi: an ſim aſſecutus, tuum erit judicium, perlecto libello, cujus tibi copiam libenter faciam, ſed cum vos reviſero Cordubam reverſus, ut eum tunc maxime legas, cum erit colloquendi facultas, et coram, perpenſis in utramque partem rationibus, diſputandi.

Quod meam ſententiam exquiris de ratione in haereſi occulta teſtificandi, ego quid in occultis criminibus faciendum putarem, edito, quod ſcis, libello quam potui diligenter expoſui: tu ſi quid in eo deſiderari putas, et haereticorum cauſam a ceteris criminibus ſeparandam cen-

censes, docere me magis debes, qui hanc quaestionem proprie ad tuum officium pertinentem doctissimo commentario persecutus es, quam ut quid sentiam, explicem postulare. Vale ex nostris Putalbanis hibernis, Kal. Novembr. M. D. XLVIII.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Eumdem Olivanum invitat ad praedii sui amoenitatem, narratque successum reportatae sententiae suae de gerendo contra Barbaros bello.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

MARTINO OLIVANO, J. U. D. INQUIS. APOST. S. P. D.

EPistola tua, Olivane, plena officii et benevolentiae reddita mihi fuit ad meum praedium Marianum, quo et otii et studiorum gratia non minus libenter secedere soleo, quam Cicero quondam ad illud suum, quod doctissimis et eloquentissimis scriptis nobilitavit, Tusculanum, cui hoc nostrum ad convallem Mariani montis, qua Cordubae nostrae imminet, situm, obscurum adhuc et Galli cognomine contentum, quantum fama cedit, tanto amoenitate superius esse certum habeo, sive arborum frugiferarum varia genera perpetua viriditate vernantia, sive dulcissimarum aquarum copiam spectes, quae ex duobus perennibus fontibus manantes cum jucundissimo murmure delabuntur. Sed de his hactenus. Malo enim te oculis, cum ad nos gravissimarum rerum, et ad pietatem Christianam, haereticosque coërcendos pertinentium cura relaxatus in rem praesentem veneris, ut te facturum ostenderas, quam auribus de fundi nostri amoenitate constituere. Quod

Quod quaeris de judicio doctissimorum gravissimorumque virorum, quos ex omnibus regiis consiliis delectos cum quatuor theologis eruditissimis Carolus Caesar causam de bello barbarico cognoscere voluit, quam ego causam libello persecutus eram, cui titulus est *Democrates secundus, sive de justis belli causis*: longum esset praestigias, artes et machinamenta commemorare, quibus me deprimere, et veritatem atque justitiam obscurare conatus est artifex ille versutissimus, et idem vigilantissimus et loquacissimus, cui Ulysses Homericus collatus iners erat et balbus. Hujus enim artificio, et quorumdam amicorum pertinacia haud procul ab eo fuimus, ut periculo nostro judices abstraherentur, suumque judicium jureperiti suspectorum theologorum auctoritati posthaberent, ut aliqui fecerant in eadem causa eisdem praestigiis ludificati. Quod praejudicium eisdem artibus eisdemque auctoribus extortum adversarii passim citabant, et judicibus ostentabant. Cui praejudicio nos Doctorum Romanorum consensum, et Vicarii P. Max. et magistri sacri palatii, itemque doctissimi viri ex Rotae gravissimo tribunali, qui tres nominatim in excuso libello memorantur, ipsiusque urbis Romae, ubi meus libellus ab his comprobatus et impressione evulgatus erat, multo et graviorem et augustiorem auctoritatem et majestatem opponebamus.

Quod vero pertinet ad rationes, his quoque ipsi longe superiores eramus. Ceterum adversarii, ut erant valentes dialectici, diuque in scholasticis palaestris exercitati, ingeniosis et callidis interpretationibus sic Scripturarum et Sanctorum Patrum testimonia in suum sensum detorquebant, ut illustrissimae veritati tenebras offunde-

rent. Quas ipse cum excutere ac diluere via et ratione conarer, hoc minus auctoritate valebam, quo me magis ambitionis nomine suspectum quorumdam artificiosa versutia reddiderat. Qui me non publicum negotium, quamquam id principes et nationem nostram plurimum attingit, sed meam causam agitare cavillabantur jactabantque, ut meo nomini existimationique consulerem, ne unde gloriam assertae in lucem veritatis, multis doctissimis alioquin viris non animadversae et ignoratae, petiveram, inde contumeliam ferrem, si meam sententiam datis judicibus non probassem, victusque discessissem. Sed in tanta rerum iniquitate, dum quorumdam ingeniis unius artificio appeteremur, Bernardinus Arevalus monachus Franciscanus, vir ut sacrarum litterarum et ecclesiasticorum doctorum cognitione, solidaque doctrina, sic sanctitate morum, et pietatis ac religionis opinione praestans, opportunissimo praesidio venit, qui nostram velut aciem non quidem profligatam, ut adversarii per litteras et nuntios falso et praepostero encomio quoquoversus divulgarant, at certe primo congressu, quibus artibus diximus, inclinatam, non tam orationis seu rationum novitate, quam auctoritatis pondere restituit. Quamquam enim causam ille gravissime tractavit, et libellum a se in eamdem sententiam doctissime confectum ceteris judicibus recitavit, gravissimae tamen et efficacissimae rationes, quibus et ipse et ceteri, qui eamdem sententiam post me libellis confirmarunt, qui octo numero fuerunt nostrae nationis viri eruditissimi, in meo libro *de justis belli causis* jam pridem multis exemplis vulgato, vel ipsae, vel fundamenta ipsarum continentur. Erat scilicet Bernardinus ex numero judicum,

sed

sed vulneribus primum a sodali monacho furente illatis, deinde pedum doloribus impeditus, nec nostris disputationibus, nec judicum inter se consilia conferentium disceptationibus interesse valuerat. Ita nemine respondente, captiosa adversariorum theologorum oratio in conventu judicum invalescebat, et recentiores jureperitos conturbabat: nam veterani et doctissimi, quibus ab initio nostram causam probaveramus, in sententia constantissime permanserunt. Sed cum interjecto multorum dierum spatio, ad rationes, quas alii ab aliis in consiliorum et sententiarum collatione audierant, diligentius considerandas dato, rursus ad negotium conficiendum, et quid cuique placeret constituendum convenissent, Bernardinus nondum satis recepta valetudine cum adesset, primo loco sententiam rogatus gravissima, et cum meo libello, quem in manibus habuerat, nec oscitanter perlegerat, congruente adamussim oratione tantopere commovit eorum animos, quos sermo adversariorum theologorum abstraxerat, ut rationes, quibus in diversum deducti essent, suspectas sese habere non obscure significarent. Quippe omnes ad unum ejus causae judicium ad theologos rejiciendum esse censere se dixerunt, qui scilicet facilius possent decipulas captiosorum theologorum, quibus decipulis ipsi jureperiti opportuniores essent, vitare. Sed horum cunctationem, et superius consilium seniores gravissimis verbis castigarunt, indignum esse confirmantes illorum gravitate in causa judiciali, et legibus atque rationibus a jure, cujus scientiam iidem profiterentur, petendis dijudicanda obmutescere, et cum haberent ex suis doctores gravissimos, qui eamdem causam sapientissime tractassent, et quorum auctoritatem gravissime sequerentur,

tur, praesidium petere ab externis, et damnato suo suorumque judicio, alienorum arbitrium consectari.

Qua oratione juniores officii sui admoniti, et Bernardini auctoritate permoti pristinam sui quisque judicii libertatem, quam illorum theologorum auctoritati addixerant, recipere coeperunt, atque eo magis, quod cum illis dissentientibus in consessu judicum, me non jam scriptis, sed voce disceptare cupiente, ut theologicis rationibus accuratius utrimque collatis, quid religionis ratio postularet, appareret, idque per libellum eodem loco palam recitatum, postridie quam Bernardinus peroraverat, postulante, eosdem theologos certamen detrectasse perspexerant. Quam recusationem in doctissimis et acerrimis disputatoribus quis a causae diffidentia profectam esse non suspicaretur? Ab eo igitur tempore ceteri judices aures, quas ad meas admonitiones ac disputationes, quasi ad Sirenum mortiferos cantus obturaverant, mihi singulos adeunti, et veterem cantilenam, quasi novam recinenti, aperire, et rationes admittere coeperunt, et quibus difficultatibus afficerentur indicantes, explicari a me facile patiebantur. Ita brevi factum est, ut judicibus iis, quos error abstulerat, in viam redeuntibus, omnes eam sententiam probarent, in qua ipse tuenda jam multos annos fueram occupatus, ut barbaros novi Orbis, quos Indos vocamus, in Christianorum ditionem redigi jus et fas esse censerent, uno dumtaxat theologo contradicente: nam ex duobus reliquis unus Tridentum Concilii causa jam pridem discesserat; alter ut sententiam suam aperiret pronuntiaretque, adduci non potuit; scilicet, ut quidem multorum opinio fuit, ne vel contra mentem nostris rationibus victam impie judicium ferret, vel contra amico-

eorum voluntatem, quorum animos offendere nolebat, statuisse videretur. Nam jure periti ex quatuor rationibus, quibus ipsi singulis confici negotium conscripseramus, cum alius alia magis duceretur, et in quibusdam pertinaciores tergiversarentur, illam tamen, quae ad cultum idolorum prohibendum, et asserendam legem naturae pertinet, omnes post eam, de qua dixi, gravissimorum castigationem, incunctanter probaverunt.

Haec ad te pluribus verbis scripsi, ut te, qui pro tua in me singulari et mutua benevolentia de mea existimatione aeque ac de tua laborare soles, solicitudine, si qua superesset, liberarem. Nam te in magna tunc fuisse, cum falsus rumor de nostrae causae judicio et quasi mala pugna a turbarum architecto dissipatus ad tuas aures pervenisset, non solum ex tuis, sed etiam aliorum litteris intellexeram. De pingui sacerdotio, quo Caroli Caesaris beneficio auctus es, tibi etiam atque etiam gratulor; idque gradum ad majora fieri, et opto et spero, ut magnae civitatis antistes ex archimandrita factus, hominibus tuarum virtutum lumen fructuosius ostendas. Vale. Kalend. Octobr. M. D. LI.

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Martino Olivano, S. Joannis ad Petram Abbati, reditum in patriam, et negotium a Philippo Principe commissum gratulatur, laudemque suam extenuat, quam contra Zoilos defendit.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA

MAR. OLIVANO S. JO. AD PETR. ABBATI S. P. D.

INcolumem te Caesaraugustam urbem patriam post lon-

longam peregrinationem remeantem pervenisse, et in magni et honorifici sacerdotii jam pridem tuis virtutibus debiti possessionem dejectis adversariis inductum fuisse, pergratum mihi fuit ex tuis litteris intelligere. Illud quoque me delectavit, quod de Philippi principis, quem ad Valdolitum venerabundus salutaveris, humanitate in te judicioque memoras. Qui negotium, quod singularem tum rerum jurisque prudentiam, tum justitiam et integritatem requirit, tibi recte committi existimavit, nec mandare dubitavit. Quod vero te multis cum doctis hominibus collocutum animadvertisse scribis, mihi primas in philosophia concessu eruditorum inter Hispanos deferri, haud equidem me meae tenuitatis conscium tali dignor honore. Nam in latissima et ingeniorum feracissima regione cum in quaque scientia excellere magnum est, tum in philosophia maximum, et certe longe mea facultate majus, in ea dico, non quam hujus temporis sophistae profitentur, in novo quodam philosophandi genere, id est, in nugis et puerilibus tricis tempus infeliciter terentes, sed quam viri gravissimi et sapientes tradiderunt, maxime Aristoteles, sive in natura rerum explicanda, sive in tradendis morum praeceptis versetur. Quamquam me in hujus philosophi cujusque generis scriptis lectitando, e Graeco in Latinum convertendo, quaedam etiam scholiis enarrando multum temporis consumsisse non eo inficias οὐ γὰρ εἰρωνεύειν χρή. Sed non defuerunt videlicet placidi homines, qui ut tuo mearum laudum singulari, quod prae te fers, studio morem gererent, apud te mihi de philosophiae non vulgari cognitione blandirentur. Nisi forte, quod magis suspicor, in aliquos meos iniquos et aemulos incidisti, quorum quosdam explo-

ploratum habeo de meis in philosophia studiis liberaliter praedicare solitos, non ut in hac severiorum doctrinarum parte meam existimationem, cui minime favent, augeant, sed ut meis theologicorum argumentorum scriptis auctoritatem minuant, quae ipsis invitissimis et contradicentibus confeci, et doctissimis gravissimisque theologis approbantibus edidi. Nam primum iidem utriusque linguae et eloquentiae diuturnum studium mihi objiciebant. Deinde, cum id parum procederet, cunctisque constare videretur, me quidquid hujus facultatis nactus sum, id totum partim in Aristotelem convertendum et enarrandum, partim in graviorum doctrinarum locos tractandos, et quaestiones explicandas conferre, et Romae publico salario moralem philosophiam docuisse; ad hoc artificium ingeniose, ut sibi videbantur, descenderunt, ne quid intactum relinquerent, quo eorum scriptorum meorum, quibus ipsi offendebantur, auctoritas minui posse videretur, dum sibi persuadent, quantum mihi in philosophiae studiis tribuitur, tantum in theologicis detrahi, in quibus consenui, quoniam pigri homines ceteros ex sese metientes, nec fieri, nec persuaderi cuiquam posse putabant, ut quisquam in utroque genere elaborasset; quos utinam tam facile esset livoris morbo et obtrectandi libidine sanare, quam erroris convincere, testibus maximis auctoribus, et veteris memoriae sapientibus, quorum nemo in aliqua doctrina principatum est consecutus sine eloquentiae praesidio, et reliquarum disciplinarum, quae omnes inter se cognatae sunt, adjumento; quamquam ea laus sine magnitudine ingenii, indefesso studio, et aetatis longitudine non contingit. Quorum praestantium virorum industriam imitari me conatum

Digitized by Google

tum fuisse profiteor, assecutum fuisse, mihi non arrogo, longe enim abest. Ceterum hoc, quantulumcumque ingenii est, quod certe vel mediocre mihi contigisse boni consulerem, et ea diligentia, quam mihi praesidio comparavi, quantum in longa aetate profecerim, si quid profeci, aequiorum judicium esse velim, non eorum, qui ex alienae laudis obtrectatione vel sibi famam ambitione praepostera, vel suis erratis patrocinium per superbam pertinaciam quaerunt. Vale. M. D. LI.

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Anton. Augustino sacri palatii Auditori mittit libellum a se conscriptum: jurene an injuria Barbari in Christianorum potestatem redigantur, ejusque judicium exspectat, num libellus edendus sit, an secus.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ANT. AUGUSTINO, S. PALATII CAUSAR. AUDIT. S. P. D.

JUre an injuria Barbari, quos Indos vocamus, pagani idolorumque cultores in Christianorum Hispanorum ditionem redacti sint, rediganturque, ut sublato idolorum cultu, paratioribus animis praedicationem evangelicam audire cogantur, dubitatum est a nostrorum doctis quibusdam hominibus, et non sine contentione in utramque partem disputatum. Quam ego controversiam dirimere cupiens, quaestionem dicato libello accuratius sum persecutus, et quid sentirem, testatus; recte, an secus, maxime vellem tuo tuique similium eruditissimorum virorum, qui Romam ex omni orbe Christiano confluere solent, gravissimo judicio declarari. Causa pergravis est, nec indigna, quae talium virorum sapientia et auctoritate di-

dijudicetur. Pertinet enim ad universalem Ecclesiam, et justam rationem gentes paganas ad Christi fidem inducendi. Cujus quaestionis summam in morem scholasticum rationibus utriusque partis explicatis redactam tibi mitto. Erit igitur humanitatis officiique tui, ut primum per te causam collatis rationibus pro tua singulari eruditione diligenter consideres: deinde viros aliquot, quorum tibi gravitas et doctrina judiciumque maxime probetur, tum theologos, tum juris Pontificii peritos adhibeas, praesertim ex vestro Rotae collegio, cujus est in toto orbe Christiano auctoritas gravissima, ut, sententiis communicatis, quid hac in causa verum justumque sit, et num libellus edendus esse videatur, constituatis, ut ego vestram auctoritatem secutus libellum vel vanum et inutilem, si vobis ita visum fuerit, supprimam, vel incunctanter ptimo quoque tempore emittendum curem, si eisdem vobis, ut spero, ad publicum commodum, et declarandam in re gravissima veritatem pertinere judicabitur. Vale. Ex Valdolito, septimo Kal. Septembr. M. D. XLIX.

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Antonius Augustinus ad praescriptas litteras respondet.

ANTONIUS AUGUSTINUS

JOANN. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

SUmmam illius quaestionis de bello Indico, quae a te in libro de justis belli causis pluribus verbis perdocte perque eleganter disputatur, cum optimo Antistite Philippo Archinto P. M. Vicario, et cum religiosissimo viro Aegi-

dio Foscarario sacri palatii Magistro, atque aliis gravissimis et doctissimis theologis ac jureconsultis communicavi, sic enim mihi per litteras mandaveras. Omnes singularem in omni genere litterarum eruditionem et acre ingenium tuum semper admirati sumus atque coluimus. Haec etiam nobis quaestio digna visa est, quae in omnium hominum theatro tractaretur: res enim maxima est, et ad plurimos homines nostrae nationis ac gentis pertinet, neque est a republica Christiana aliena. Itaque libellum ipsum pluribus exemplis describi, edique permisimus, te fortasse non invito, qui quamvis haec non eo animo scripseris, ut in vulgus manarent, tamen comprimi ea abs te et abscondi oportuerat, si non te digna evolatura fuisse putaveras. Tu nos ama, et vale. Roma Kalend. Aprilis.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Apud Antonium Honcalam se excusat, quare Apologiam scripserit in communem utriusque amicum, forte Melch. Canum.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ANT. HONCALAE D. THEOL. CANON. AVELENSI, S. P. D.

EPistolam tuam libenter legi, ex eaque cognoscere tibi optimo viro et theologo primario meam in amicum illum nostrum, scis quem dico, *Apologiam* probari, mihi fuit pergratum. Quod autem me dehortaris, ne asperius agam in ordinem maximis praesidiis munitum, id cujusmodi sit, non satis intelligo. Nam quem ordinem seu familiam significare videris, hanc ego semper suspexi et magna veneratione colui. Quod si injuriam, quae mihi ab uno vel altero monacho infertur, paulo liberius propul-

pulsare nitor, quod mihi leges omnes omniaque jura concedunt, cujus aequitatis est, hoc vel injustum esse, vel ad totius familiae injuriam pertinere interpretari? Non improbo, inquis, defensionem, sed temperamentum requiro. At ego Hieronymum auctorem oppono, qui oportere negat in suspicione haeresis quemquam esse patientem. Et rursus dico, unius hominis aut alterius causam cum toto ordine communicare iniquum esse; praesertim cum a nobis sint plerique ejusdem familiae monachi doctissimi et gravissimi. Loquor autem de causa belli barbarici, nam de loco Pauli, quem mihi monachus ille objecit, dissentire puto praeterea neminem. Quae a me idcirco dicta sunt, non solum, ut me tibi purgarem, sed multo etiam magis, ut si haec ex aliorum sermone et querimonia scripsisti, habeas quo me possis ab iniquorum calumnia vindicare; atque eo magis, quod res tota sine ullo convicio peracta est, nec quidquam asperius in quemquam privatim dictum, licet quaedam universe jactaverim. Quae si quis in suam contumeliam interpretabitur, is non a me, sed a seipso magis accusari videndus erit. Vale. M. D. XLIX.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Ludovici Lucenae consilium probat, quo litterarum gratia in urbem profectus est, multaque addit de invidorum calumniis, a quibus se variis modis vindicare conatur.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
LUDOVICO LUCENAE, ARTIUM ET MEDIC. D. S. P. D.

QUotidie magis magisque probo consilium tuum, opti-

me atque doctissime Lucena, qui ex Hispania, ubi natus et ad multam aetatem educatus fueras, quam longo post tempore reviseras, Romam quasi ad sedem patriamque communem eo consilio, ut mihi discedens indicaveras, remigrasti, non ut ambitioni et cupiditati servires, ut tibi affirmanti facile credidi, novi enim modestiam tuam, et singularem in omni genere continentiam, sed ut otio litterario, et honesta libertate in ea regione atque urbe fruereris, ubi magna est tum studendi occasio, tum facultas simpliciter et sine fuco fallaciisque degendi. Nam cum viris optimis et doctissimis vivere, ac sine invidia et obtrectatione philosophari, nihil fingentem, nihil fictum audientem, nihil ad falsam virtutis sanctimoniaeque ostentationem simulantem, non calumnias, non sycophantias metuentem, id demum mihi non modo libertas, sed instar etiam beatae vitae videri solet. Quamquam enim in Hispania multi viri optimi sunt, et iidem gravissimi, quidam etiam doctrina praestantes, et animo candido, nulla tamen Roma est, quo tales homines confluentes, et commorantes tantarum commoditatum occasionem praebeant, nec desunt alii, et hi non pauci ex litterarum studiosis, qui ambitione quadam praepostera famam sibi ex aliorum obtrectatione quaerendam putent, praesertim si quis nonnihil nominis inter eruditos consecutus esse videatur. Quod mihi si non ingenio, at industria, et pertinaci studio et diligentia in longa aetate contigisse, quamquam nemini offensum, aut invidiosum esse debuit, quosdam tamen sic exagitat, quasi mea existimatione nonnihil exstante, ipsorum fama emergere nequeat. Qui ut duplici genere sunt (pars enim linguarum et eloquentiae, alii scientiarum studia separatim aemulan-

lantur) sic duabus, sed contrariis rationibus opinionem nomenque meum minuere conantur. Nam qui diserti videri volunt, et in utriusque linguae cognitione aetatem consumserunt, hi mihi graviorum doctrinarum, quas ab adolescentia colui, longi temporis studium, illi alteri operam in politiore litteratura diu positam objiciunt; utrique fieri posse negantes, ut quisquam simul in ambobus generibus magnopere profecerit, in quorum altero sit difficillimum excellere. Quos utinam mihi tam facile esset invidiae arrogantiaeque morbo sanare, meque magnorum virorum diligentiam non frustra aemulatum fuisse probare, quam mendacii ab inertia vel tarditate profecti convincere. Quotus enim quisque Graecorum vel Latinorum olim principem locum in doctrinis liberalibus philosophiaque tenuit, qui non idem facultate valeret suas cogitationes atque praecepta culta oratione disponendi et illustrandi? Ceterum ego, qui quo in me quisque animo praeter meam culpam sit, praestare nequeo, de obtrectatorum meorum invidia haud equidem laborarem; si periculosis saltim calumniis temperarent. Nunc quidam eo livoris processerunt, ut occasionibus immineant mea vel dicta, vel scripta calumniandi, non solum in eo genere, ubi mendum litura tollitur, sed etiam ubi error infami palinodia more nostro vindicatur. Quod periculum nuper quidam nostrorum theologorum mihi, tamquam in insidias per imprudentiam praecipitato, diversi magnificis verbis cum denuntiassent, sic meam causam libellis, et apologiis editis egi, ut eos fregisse viderer, ac doctis hominibus probasse eosdem, dum alienam inscitiam insectarentur, suam prodidisse, et meos iniquos intemperantiae suae poeniteret. De quorum invidentia,

tia, dum justo dolore impulsus paulo concitatius memorarem, illud in apologia quadam adjeci, me longe aequiores externos homines expertum fuisse, quique candidius de meis studiis tum voce tum scriptis praedicarent, quam meorum Hispanorum quosdam. Et testimonio aetatis non frustra in studio litterarum consumtae mihi a viris doctissimis dato usus sum, in primisque ex Italis a Paulo Jovio Episcopo Nucerino, et Francisco Florido Sabino, et utriusque verba sine locis et librorum titulis, ut mihi a te fuerant ex urbe Roma missa, subjeci. Nam libri nondum ad meas manus pervenerunt. Feceris igitur mihi pergratum, si ut verba, item loca, titulosque librorum mihi primo quoque tempore, nequis me finxisse putet, mittere non gravaberis. Ceterum quod pertinet ad iniquorum meorum invidiam, hi fortasse non gentis nostrae privato vitio, sed communi hominum utuntur, hoc est enim τὸ τοῦ ποιήσαντος, κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων. Quod his maxime, qui ejusdem nationis, aut etiam civitatis sunt, usu venire declarat illud ejusdem poëtae ζηλοῖ δὲ γείτονα γείτων. Ceterum quod ait ἀγαθὴ δὲ ἔρις, id in eos haud dubie convenit, qui suis virtutibus sine alterius injuria praestare volunt, non in jejuna exiliaque ingenia, quae laudis alienae obtrectatione et calumniis nituntur, quorum est ἔρις κακόχαρτος καὶ ἐπιμωμητή. Vale. Kalend. Januar. M. D. XLIX.

EPI-

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Ludovicus Lucena gaudet consilium suum quo Romam migraverat, Genesio probari, mittitque ad eum Pauli Jovii, Francisci Floridi et Petri Curtii de ipso elogia, et monet, ne propter paucorum Zoilorum temeritatem multis succenseat.

LUDOVICUS LUCENA

JO. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

PErgratum mihi est probari a te tali tantoque viro consilium meum remigrandi Romam. Nam quod te ex meo sermone intellexisse ais, me non cupiditatem, aut ambitionem secutum esse, sed officium, et studiorum, ac honestae libertatis rationem, verissimum est. Adde, quod me locus ipse delectat, qui quasi theatrum est orbis Christiani, et in quo parietes ipsi, et urbis ruinae eruditionem quamdam praebere videntur, et nusquam est major doctorum hominum undique concursus, cum quibus, ut ais, vivere et philosophari jucundissimum est, quod tunc etiam mihi gratius erat, cum tua, tuique similium, Jacobi Neylae nostri, Ortisiique optimorum, doctissimorumque virorum consuetudine frui licebat. Quae de invidis et tuae laudis obtrectatoribus scribis, molesta mihi, non tamen miranda acciderunt. Nam ut fulmina montes ac editiora loca tangere magis solent, quam dejecta, sic magni viri, quam parvi magis patent iniquorum invidiae.

Pauli Jovii et Francisci Floridi elogia, quae ad te descripta locis non citatis miseram, nunc, ut jubes, locis et librorum titulis ascriptis remitto, adjuncto etiam Petri Curtii honorifico testimonio.

Pau-

Digitized by Google

Paulus Jovius Episcopus Nucerinus in libro de clarorum virorum imaginibus in Hispanorum mentione:

Sed hodie procul dubio Jo. Sepulveda Cordubensis ipsam eximiae laudis arcem tenet, qui Graecae peritus linguae, et scientiarum prope omnium validis instructus praesidiis, dum assidue, atque ideo feliciter stilum exercet, eloquentissimus evadit.

Franciscus Floridus Sabinus in Apologia in linguae Latinae calumniatorem: *Joannem Sepulvedam Hispaniae saeculique nostri decus, philosophum, theologumque egregium, prout par esset, celebrare, majus est opus, quam ut a nobis commode praestari possit: siquidem ejus scripta exactam rerum cognitionem, mirumque in latinitate candorem praeferunt.*

Petrus Curtius in libro apologetico pro Italis in Erasmum. *Quid tu Gen. Sepulvedam Hispanum, qui philosophiam ac theologiam Graecis Latinisque litteris gnaviter persecutus, utramque etiam orationis ubertate et vitae gravitate decoravit, ad scribendum contra te traxisse cogites, nisi officium? nisi pietatem?*

Haec Italorum tuarum virtutum et doctrinae praedicatio hoc plus ponderis habere mihi videtur, quod quamvis haec natio studiis litterarum maxime dedita sit, ac eruditorum dignitati faveat, tamen ita sibi placet interdum, ut suos tantum Musas rite colere videri velit.

Quod vero pertinet ad nostros Hispanos, nolo te propter paucorum, qui tibi negotium facessunt, temeritatem multis succensere, cum major pars, et in hac doctissimus quisque tuam doctrinam et eloquentiam magni faciant, nec verbis solum, sed etiam scriptura praedicent. Sed in magna turba et ingeniorum varietate necesse est tale aliquid accidere. Vale. Roma, Kalend. Aprilis. An. Christi M. D. XLIX.

EPI-

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Laetatur de Laurentii Carvajalis bona valetudine, eumque incitat ad studia litterarum alacriter proſequenda.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
LAURENTIO CARVAJALI S.P.D.

Ex litteris, quas ad me proxime misisti, te et recte valere, et libenter in studio litterarum versari didici. Utrumque mihi fuit pergratum. Nam solet Salmantica adolescentium studia litterarum aemulantium valetudinem tentare, eorum praesertim, qui caelo clementiori nostrae regionis ab ineunte aetate sint assueti, sive aquarum id vitium est, sive plagae rigidioris intemperies. Quod vero pertinet ad litteras, multum te in eis profecisse declarat studendi voluptas, quae magnum est ingenerati habitus, unde manat, argumentum. Quippe id sine multa in quoque genere navata opera non contingit. Perge igitur, totoque animo in hanc curam incumbe, ut qua ratione coepisti, ad virtutis doctrinaeque summam pervenias. Huc autem ducentem viam optime, voluptatibus, quae istam aetatem solicitare solent, praetermittendis, et liberalium doctrinarum assidua meditatione munies. Quod ut diligenter facias, te domestica exempla, majorumque tuorum spectata virtus adhortari debet, qui, quam partem virtutis sibi colendam statuerunt, in ea cum egregia sua laude plurimum elaborarunt. Nam viros generosos aliud decet belli tempore, cum cives ad arma ratio Reipublicae vocat, aliud populo longam pa-

cem agitante. Et patriae, diversis belli pacisque artibus vel manu, vel consilio rem gerentem consulere licet, et utrumque pulcherrimum habetur. Vale.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Vascosano librario Parisiensi scribit sibi gratum fuisse, Aristotelis Politica, a se conversa, ab ipso esse edita, cupitque, ut propter errata, quae propediem missurus est, recudat accuratius.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
VASCOSANO LIBRARIO PARISIENSI S. P. D.

OPus Aristotelis *de Rep.* Vascosane, quod ipse e Graeco in Latinum sermonem vertendum, ac scholiis enarrandum curavi, a te potissimum viro docto et diligente excusum fuisse mihi fuit pergratum. Nam et characteres mihi probantur, nec tuam vigilantiam magnopere desiderarem, nisi inter initia nonnihil dormitasses. Itaque menda, quae non pauca librum percurrendo videre contigit, adnotavi; nec dubito, quin me aliqua praeterierint. Ex litteris amicorum intellexi opus in Gallia, Italia, et Germania, Belgioque exceptum fuisse non sine doctorum approbatione, et, ut scribunt, applausu, et tibi esse in animo rursus propediem excudere. Quod si ita est, tuum erit, ut me certiorem facias, ut tibi errata, de quibus dixi, descripta mittam, quae nisi fuerint emendata, et nova, ut fieri solet, accesserint, rationibus tuis et opinioni nonnihil decedat necesse est. Ut igitur res procedat, multum te juvabit diligentia mihi in emendatione libri adhibita, et quae fortassis major adhibebitur. Vale. Valdolito, Kalend. August. An. M. D. XLIX.

EPI-

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Recognitionem suorum opusculorum mittit Vascosano, quam ab eodem separatim edi cupit.

JOAN. GENESIUS SEPULVEDA VASCOSANO LIBRARIO PARISIENSI S. P. D.

CHartam recognitionis meorum opusculorum, quam Gaspari Trechsello proficiscenti ad te dederam, sed auctiorem, mitto, quam ut sic imprimendam mandes, pervelim, ea forma et characteribus, qui mea opuscula, ut a Colinaeo anno Christi M. D. XLI. excusa sunt, imitentur. Quod ut primo quoque tempore facias, te etiam atque etiam rogo, etiamsi Trechsellus alteram impresserit. Res est paucarum horarum, et minimae impensae, et hanc ipsam faciet Orator Caesareus patronus meus. Ego tamen pro re exigua tibi magnam habebo gratiam. Centum exempla mihi satis erunt, quae tradi volo heredibus Colinaei, ut singula totidem meorum opusculorum codicibus addantur, praeter sex aut septem, quae ad nos per transeuntes a Caesare tabellarios mitti volo; quam curam idem Orator, ut beneficium absolvat, suscipiet. Hoc cum effeceris, erit diligentiae tuae, ut Trechsellum, ne forte laborem inanem capiat, certiorem facias. Vale. Ex Valdolito, Nonis Julii. An. Christi M. D. L.

Digitized by Google

EPISTOLA XV.

ARGUMENTUM.

Laudat Antonium Cordubam, quod in iſta aetate, relictis voluptatum illecebris, litteris animum applicet, eique hanc quaeſtionem determinat: Utrum ars theorica praeſtet practicae?

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ANTONIO CORDUBAE S. P. D.

GRatulor tibi, Antoni Corduba, qui adoleſcens iſta fortuna, iſto familiae ſplendore, tot undique illecebris avocantibus, ſic in ſtudia litterarum incumbis, ut haec ceteris omnibus jucunditatibus anteferre videaris: quod cum antea tuorum familiarium conſentiente voce ad nos perferretur, proxime tamen ex tuis litteris magno documento libentiſſime cognovi. De rebus enim ejusmodi per eas me conſulis, ac edoceri poſcis, quibus nemo niſi philoſophiae et optimarum doctrinarum perſtudioſus ſolicitari ſolet. Quaeris enim, qua ratione inductus Cicero civilem, hoc eſt, eorum, qui in civitatum Reipublicaeque adminiſtratione verſantur, contemplantium vitae, quae ceterorum fere ſapientium judicio potior et praeſtantior habetur, praeferendam eſſe in opere *de Officiis*, ut perſuadeat, contendit. Nam de veritate, ut video, non ambigis, et quidem magna ratione: quod enim Chriſti verbis in Maria et Martha dijudicatum eſt, de hoc nefas fuerit Chriſtianum hominem dubitare. Quamobrem hac quaeſtione, quae, ſi quis in utramque partem diſputare vellet, epiſtolae modum excederet, omiſſa, quae mihi, ut quaeſtioni tuae reſponderem, in mentem venerunt, paucis explicabo.

Cum

Cum duae viae ad colendam virtutem pateant, altera, qua, qui Rempublicam administrant, et rebus gerendis sunt occupati, altera, qua philosophi, et qui se rerum contemplationi dedunt, ingrediuntur; in utravis satis esse praesidii ad bene beateque vivendum, Peripateticorum dogma est, a quo nostri, id est, qui Christiane philosophantur, parum, aut nihil abhorrent. Nisi quod nostri felicitatem in hac mortali vita, quam peregrinationem potius et exsilium vocant, in spe dumtaxat agnoscunt; Peripatetici rebus etiam felices esse tradunt, qui alterutro genere virtutis, modo non impeditae, fungantur: virtutis enim usum nunc egestate, nunc adversa valetudine impediri docent. Ceterum potiorem faecilioremque esse otiosorum et contemplantium vitam, quam eorum, qui negotiis et rebus gerendis implicantur, cum Peripateticis nobis convenit magno consensu, qua tamen in parte magni viri, quorum, ut scribis, Marcus Tullius fuit, non defuerunt, qui ab utrisque dissentientes, eorum, qui in Republica militiae aut togae administranda versantur, vitam potiorem beatioremque putarent, quam qui aetatem in doctrinis rerumque contemplatione degunt. Dissentiendi causa duplex mihi esse videtur, altera, quod qua quisque in re vel excellit, vel excellendi facultatem habet, hanc ceteris praestare et potiorem haberi, ut cupit, sic interdum sibi persuadet. Ita fit, ut tum oratores, qui vel in senatu, vel in foro et concionibus quasi dominantur, tum viri strenui, qui in rebus domi forisque gerendis cum laude versantur, ceteros prae se quasi desides, ignavos, et nihil agentes contemnant. Altera causa est, quod in hac disputatione quidam rationibus speciosis magis quam veris, hoc est, paralogismis ab-

abstrahuntur, qualis illa ratio est, qua Cicero utitur in libro *de Officiis* primo: *Quis*, inquit, *tam cupidus est in perspicienda, cognoscendaque rerum natura, ut si ei tractanti, contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire, opitularique possit, non illa omnia relinquat, atque abjiciat, etiamsi dinumerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitraretur, atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit*? Fallitur igitur paralogismo vir alioquin doctissimus: non enim si qua res alicui, aut aliquo tempore magis expetenda, sive diligenda est, protinus eadem potior et melior habetur. Quod exemplo commodissimo *Topic.* lib. 3. docet Arist. *Philosophiae*, inquit, *quam rei familiari operam dare melius et praestantius habetur*: *si quis tamen rebus necessariis indigeat huic cura potius rei familiari adhibenda est, quam philosophiae vacandum.* Sic igitur in Ciceronis exemplo, optimarum caelestiumque rerum contemplatio omni reipublicae administratione melior et praestantior est, tamen in civitatis, parentis, aut amicorum periculo omittenda contemplatio est, et Reipublicae aut amicis vel cum indignitate serviendum, non quod haec meliora sint, sed quia magis necessaria. Quo mihi pertinere Evangelicum illud videri solet: *Unum est necessarium*: *Maria optimam partem elegit.* Nam audire verba Christi, et contemplationi vacare, optima vitae pars erat, longeque melior, quam mensam et res accipiendis hospitibus necessarias parare: at nisi Martha eam curam, qua non sine laude fungebatur, suscepisset, contra officium forsitan erat Mariam munus necessarium contemplationi tantisper non anteferre. Item rei divinae ac sacrificiis interesse res optima est, multoque melior, quam texere, vel nere: at si qua materfami-

Digitized by Google

milias, quae non aliunde possit, quam ex hujusmodi artificio liberos alere, hoc omisso, sacrificiorum causa mane et vesperi diebus etiam profestis, in suorum fame et nuditate, et grandiore fortasse filia per occasionem matris absentis male cogitante, templa per speciem pietatis frequentet, quis prudens consilium ejus laudet? quae ut munere, quod sine peccato praeteriri potest, fungatur, officium necessarium negligit contra legem divinam et naturalem, reclamante ipso Deo: *Obedientiam volo, non sacrificium.* Et Paulo: *Qui non habet curam suorum, et maxime domesticorum, fidem negavit, et est infideli deterior.* Simpliciter igitur auctore philosopho, ut res quaeque optima est, sic maxime deligenda, alicui tamen vel aliquo tempore ut necessaria meliori praeferatur, ordo naturalis, id est, lex aeterna postulat, quam voluntatem esse Dei Augustinus interpretatur.

Sed redeo ad Ciceronem, qui alia quoque ratione, dum laudem et popularem gloriam cupidius sequitur, in errorem lapsus esse videri potest. Nam ut philosophi, et his vita similes viri moderati gloriam et res humanas magno animo contemnunt, parvoque sunt et parabili contenti, sic fere, qui naturae adjumentis instructi, se rebus gerendis dedunt, utrumque maxime consectantur. Quamquam enim melior, et, ut Cicero ipse ait, facilior et tutior, minusque aliis gravis, aut molesta vita est otiosorum, tamen fructuosior hominum generi, et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempublicam et magnas res gerendas accommodarunt. Ceterum in magnarum rerum et facultatum dignitate et nativa perfectione aestimanda utilitatem nihil momenti addere, doctrinarum et artium inter ipsas comparatio ma-

gno-

gnopere declarat, quarum, ut quaeque maxime seipsa contenta est, et sponte sua, ipsiusque cognitionis dumtaxat gratia, non propter aliud adventitium expetitur, hoc majoris dignitatis ac potior habetur. Quo argumento Philosophus primae philosophiae, quam eamdem theologiam vocat, principatum in doctrinis tribuere non dubitavit, quia de rebus optimis et divinis est, et Dei scientiam aemulatur. Quae omnia ut contemplationis propria sunt, sic vitae activae ejusque rationibus aliena: quamquam neminem esse idem Philosophus docet, qui perpetuam vitam in contemplatione ducat. Saepe namque homines tum suis, tum patriae, vel cognatorum et amicorum temporibus atque rationibus a contemplatione, in qua maxime adquiescunt, ad officia necessaria, et res vel publice, vel privatim gerendas avocari. Itaque solius Dei esse, nullis in contemplatione negotiis externis, nullis curis aut molestiis interpellari. Vale. Corduba, postridie Non. Maii M. D. LII.

* *EPISTOLA XVI.*

ARGUMENTUM.

Petit a Sepulveda Cardillus, ut sibi explicet, quibus rationibus adductus, in ea sententia animum obfirmarit, ut crederet, Aristotelem animam putasse in corpora diversa transferri.

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE CORDUB.

GASPARUS CARDILLUS VILLALPANDUS SEGOV. S.P.D.

Accepi a te, Sepulveda doctissime, summopere desi-
de-

* Epistola ist haec, uti ex XVIII. et XIX. hujus libri, quae in Epistolarum Sepulvedae editionibus non exstant, translatae huc sunt ex *Apologia Aristotelis adversus eos, qui ajunt sensisse animam cum corpore exstingui*, auctore Gasp. Cardillo, Compluti edita a Jo. Brocario an. 1560. 8. ubi comparent ad finem libelli.

Digitized by Google

deratam epistolam, quae non solum me, quem paucarum horarum familiaritas et de litteris colloquium arctissime devinxerat, sed Antonium quoque patronum meum, qui te tantum fama cognitum magna benevolentia prosequebatur, mirabiliter delectavit. Habes hoc tu quidem cum paucis commune, ut humanitate tua morumque suavitate omnibus, qui te vel parum familiariter noverint, vehementer quidem sis placiturus, nihilque magis, quam praeposterum quorumdam judicium oderis, qui virtutis atque scientiae persuasione imbuti in ceteros omnes imperiosi atque molesti esse pergunt. Quod ubi facis, capis, ut ego sane puto, bonarum litterarum, quibus ab ineunte aetate mentem atque ingenium, quod natura optimum atque felicissimum sortitus es, conformasti, plurimosque non Hispanos modo, sed ceterarum quoque gentium homines imbuisti, veros atque germanos fructus, et quos censores isti, plus quam satis est, rigidi atque superstitiosi ne summis quidem labiis umquam attingent. Macte igitur virtute: perge, quo tua te vocat virtus, grandia praemia allaturus tuae istius humanitatis atque erga studiosos benevolentiae: Antoniumque meum, qui tuum istum animum in omnes homines propensissimum, sed in se maxime, non mediocre vinculum ad voluntates copulandas, plurimum miratur et laudat, existima tibi esse deditissimum. Is enim ad utramque fortunae aleam operam atque officium suum tibi pollicetur: quod ipse per litteras tibi significare in animum induxerat, fecissetque modo, nisi seriae quaedam occupationes obstitissent. Verum quod de studiorum temperamento consilium tribuis, ille sic accipit, ac si ab Hippocrate aut Apolline profectum esset. Quod a Sebastiano

Leone familiari tuo per litteras accipio, te, inquam, in ea esse opinione, ut pro certo habeas, Aristotelem rationalem animam putasse in corpora diversa transferri, quoniam mihi parum probatur, ut tibi coram ad Puteum album significavi, multum sane cuperem abs te doceri. Quamquam enim hoc tibi vel simpliciter asserenti (vide, quantum tibi tribuam) plenam atque perfectam habendam esse fidem mihi persuaserim : gratissimum sane feceris, si paullo altius explicueris, quibus aut testimoniis, aut rationibus in ea sententia animum obfirmaris, ut credas, animam, postquam discessit a corpore, in aliud corpus Aristotelis opinione migrare. Nam praeterquam quod id magnum momentum habet ad eam controversiam explicandam, quae a nobis de aeternitate animorum suscepta est, non modo auctoritatis tuae pondere, quae est apud me, ut esse debet, maxima, sed testimoniorum quoque aut rationis viribus efficies, ut hujus opinionis, qua egomet mihi falso fortasse imposueram, fibras omnes etiam tenuissimas evellam, atque procul abjiciam. Et nisi tibi hoc molestum est gravioribus negotiis curisque occupato, quibus ego argumentis adducar, ut putem, fuisse apud Aristotelem genus quoddam scriptorum appellatum *extrarium*, quod tu fabulosum et commentitium esse in scholiis tuis de Republica defendis, ad te, ubi velis, scribam : ita enim quod tu veluti aliud agens vere forsan tetigisti, majores vires sumet contra adversarios. Sunt enim, quantum intellexi, non parum multi, quibus haec tua sententia non usquequaque probabilis esse videatur. Neque id mirum est, siquidem veritas altissimum donum Dei paucis contingit : est enim in profundo, ut inquit Democritus, demersa. Nollem autem,

dum

Digitized by Google

dum id ago, vel leviter offendere animum tuum, quem multum desidero propensum in me atque amicum experiri. Vale, litterarum omnium refertissimum emporium, Hispaniae decus atque laus: quem nobis perpetuo Deus incolumem servare velit. Salmantica, VIII. Kalendas Maj. M. D. LIII.

EPISTOLA XVII.

ARGUMENTUM.

Gaspari Villalpando rationibus ostendit, sibi non probari eorum opinionem, qui putant Aristotelem a Pythagorica παλιγγενεσίᾳ *non abhorruisse, nonnullorumque sententias affert de animae creatione et aeternitate, manetque in suo de libris exotericis judicio.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

GASPARI VILLALPANDO S. P. D.

IMprobari tibi eorum persuasionem, si qui putant Aristotelem a Pythagorica illa παλιγγενεσίᾳ non abhorruisse, nihil miror, cum idem Aristoteles in libro de Anima primo hanc Pythagoricorum non opinionem vocet, sed fabulam. Ceterum mea, de qua te Sebastiani Leonis, mei familiaris, litteris intelléxisse scribis, non persuasio est, sed suspicio: quamquam ne suspicari quidem mihi umquam in mentem venit, placuisse philosopho humanas animas in aliorum animalium corpora migrare: hoc est enim, quod ille plane fabulosum esse certissima ratione confirmat, a quacumque anima quodvis corpus sine discrimine formari posse et animari, cum propriam quodque animal speciem et formam habere cernatur. Alia ratio est, si hominis defuncti anima in alterius nascentis hominis corpus migrare, ipsumque animare existimetur. Quod licet sit,

ut est, commentitium, non tamen Aristotelica illa ratione redarguitur. Magni enim refert, duo corpora, alterum elephanti, exempli gratia, alterum hominis, quorum habitus et constitutio plurimum differunt, eadem anima deinceps informari, an in duo corpora humana eamdem animam rationis compotem diversis temporibus recipi dicas: quorum utrumque quia non modo Pythagorae, sed etiam Platoni placuisse constat, suspicari mihi in mentem venit, Aristotelem magistri sententiam, una parte rejecta, in altera secutum fuisse, ut hac ratione in aeternitate mundi, quam ipse asserit, animarum rationis compotum infinitum numerum, cum morte non deleantur, effugeret. Animas enim humanas immortales esse Aristotelis etiam sententia, certum habeo, quod tu ipse erudito Commentario, quod nuper libenter perlegi, magno ingenio, et egregia doctrinae Aristotelicae cognitione collegisse mihi visus es. Hanc enim animarum migrationis plagam accipere, levius puto, quam illam alteram de unitate cunctorum hominum intellectus, quam Themistium, Alexandrum Aphrodisiensem, nostrumque Averroëm convenienter, ut ipsi sibi videbantur, Aristotelis sententiae probasse videmus. Quod eis accidit, dum explicare aliter non possent, quomodo non pugnet cum reliqua Aristotelis doctrina, animam rationis compotem, quam intellectum agentem ipse nominat, suam cujusque hominis haberi, et eamdem incorruptibilem esse et immortalem, quod idem saepe in libris de Anima testatur, sed apertissime libro primo, *text. 65.* ubi intellectum agentem substantiam quamdam esse, nec interire testatur, et in tertio, *text. 20.* eumdem separatum, immortalem et sempiternum esse, idque praefatus, hoc quod mihi suspi-

Digitized by Google

spicionem movet, adjecit: *Sed non meminimus*, inquit, *quoniam hic intellectus perpessionis est immunis, passivus autem, sine quo nihil intelligit, mortalis est.* Hoc enim dicere videri potest, intellectum, qui nunc per migrationem est, exempli gratia, Julius, et prius fuerat Alexander, non meminisse eorum, quae ab Alexandro visa auditave fuerunt, propterea quod intellectus passivus, id est, phantasia, seu facultas imaginandi, sine qua nec intelligere datur, nec meminisse, cum corpore exstinguitur, et impressa per sensum phantasmata, id est, rerum imagines, quarum contemplatio intelligere est, et meminisse, simul deleantur, et alia imaginandi facultas nascenti homini ingeneratur. Atque haec quidem de Aristotelis opinione, qui mundum aeternum, et species rerum mundo coaevas esse putavit: non enim de veritate quaerimus, quae nobis, id est, Christianis oracula divina patefecerunt: Mundum a Deo creatum esse: animas rationis compotes aliquando non fuisse, nec tamen interituras: quamquam de ipsarum initio inter pios etiam et catholicos controversia fuit, nec defuerunt, qui eas initio rerum cum angelis simul creatas a Deo fuisse existimarent, et in prima corporum generatione in suum quamque semel scilicet e caelo demitti: quibus de rebus si legere libuerit, Augustinus in epistola, quae est ad Marcellinum, *epistol.* 7. Gregorius epistolarum libro septimo, *epistol.* 53. et Hieronymus contra Rufinum, *lib.* 2. pluribus verbis disseruerunt, nec eorum judicio haec opinio damnata est. Ceterum posteriorum theologorum consensus est, *Sentent.* 2. *distinct.* 17. animas in sui quamque corporis generatione creari, et ipsum informare. De libris exotericis quid sentirem, in scholiis a me in opus Aristotelis de Republica editis,

Digitized by Google

tis, ut nosti, testatus sum, non ignarus magnos viros tum Graecos, tum etiam Latinos aliter prodidisse. Sed certam rationem, quam secutus mihi fuisse videor, omnibus omnium conjecturis et opinionibus potiorem habui, et semper habebo, auctore Augustino (*de Civit.* lib. 1. cap. 23.) donec me certior alia, si qua erit, in diversum revocaverit. Nec meum animum offendet, si quis meam opinionem non ambitiose et leviter, sed veritatis gratia gravibus et doctis rationibus refellere curabit. Ego vero cujuscumque ingenio et industria fuero errore, si errorem esse convicerit, liberatus, huic ingentem habebo gratiam. Antonio Cordubae nostro meis verbis plurimam salutem renuntiabis. Vale. Corduba, IX. Kal. April. M. D. LII.

EPISTOLA XVIII.

ARGUMENTUM.

Rursus sententiam impugnat Cardillus, quae defendit animam eamdem diversis temporibus corpora hominum intrare diversa, Aristotelem sensisse. Disputat de philosophi libris exotericis.

JOANNI GENESIO SEPULVEDAE

SUMMO DOCT. THEOLOGO, DISCIPLINARUM OMNIUM ANTISTITI

GASPARUS CARDILLUS VILLALPANDEUS S. P. D.

Litteras tuas accepi, Genesi doctissime, plenas humanitatis atque doctrinae, in quibus, quae tua sententia sit in ea quaestione, quae est de transmigratione animorum in diversa corpora, gravissime explicas more tuo. Nam cum nullum, ut existimo, ad eam controversiam definiendam testimonium evidens esse possit, tu quidem usque adeo graves efficacesque conjecturas secutus es, ut contentionem ipsam finisse aliquo modo videri possis. Apud me

Digitized by Google

me vero eo loco sunt habitae, ut nisi prius doctis aliquot, ut mihi videtur, rationibus in contraria opinione essem constitutus, ad tuam perlibenter accederem. Sed quoniam tua, ut scribis, non persuasio est, sed suspicio, tantisper assensionem cohibebo, dum conjecturas meas tibi cognitas atque perspectas esse novero. Quas si tu, non dico ratione, sed nutu dumtaxat improbaveris, decretum est mutare sententiam. Malo enim cum homine gravissimo errare, si casu contingat, quam cum tui dissimilibus, quid sit probabile, intelligere. Ego quidem ita puto, ut scribis, Aristotelem commentitiam et fabulae similem existimasse opinionem illorum philosophorum, qui quamvis animam in quodvis corpus sine delectu ullo atque discrimine transferri putaverunt. Atque ut hoc plane improbo, in quo controversiam esse nullam video, ita non multum probabilis ea mihi sententia usquam visa fuit, quae defendit, animam eamdem diversis temporibus corpora hominum intrare diversa, Aristotelem sensisse. Quod licet apertis philosophi testimoniis nec convinci, nec confirmari queat, fortasse ratiocinatione et syllogismo colligitur: quod argumentandi genus, uti scis, ubi priori destituimur, solet et debet valere plurimum. Ut interim omittam, fuisse superioribus temporibus multarum gentium, ut ita loquar, scriptores, quibus tu soles jure multum tribuere, qui in hac quoque quaestione Aristotelem dissentire a Platone praeceptore suo, constantissime defendunt. In his est Atticus philosophus Platonicus, qui, ut refert Eusebius lib. *adversus philosophos*: *Animam*, inquit, *Aristoteles ex corpore migrare, quoniam Platoni ita placuit, tamquam verum noluit admittere.* Et quidem cum Eusebius excutiens hoc loco Aristotelis de anima

ma sententiam, Attici opinionem probet, verisimile mihi fit, in eadem cum Attico haeresi fuisse. Verum rationes, quae mihi hanc suspicionem non leviter movent, paucis ita explicantur. Una est, quia cum Aristoteles dicat libr. I. *de Anima*: *Laboriosum etiam est, animum esse cum corpore, neque absolvi ab eo posse*, et insuper maximopere fugiendum, quippe cum melius sit intellectui non esse cum corpore, quemadmodum et dici solet, et complures sane consentiunt: plane constat, adesse animae, quam immortalem ponimus, innatam quamdam cupiditatem discedendi a corpore, longeque ab eo vivendi. Quod si perpetuis vicibus in corpus remeet, libido illa, quam alicujus rei gratia animo natura insculpsit, inanis prorsus atque supervacua erit: ipsaque anima, ut Prometheus Caucaso, corpore innexa in magnis semper laboribus et calamitatibus vivet, cui natura concessum est in otio versari. Altera ratio est, quia si hoc concederemus, aboleretur potissima providentiae pars, quam rebus omnibus esse consertam et per omnes partes naturae diffusam Aristotelem putasse, non obscuris argumentis in *commentario de Anima* videor demonstrasse. Nihil enim est tam dignum Dei procuratione et cura, quam ut sint virtuti praemia proposita, ne se inanibus laboribus homines excrucient, et flagitia severissime puniantur. Quod quia frequenter contra contingit, dum in corpore sumus, tempus atque locus constituendus est, in quo scelerati homines poenas luant, et qui sancte incorrupteque vixerunt, concupitis dignisque voluptatibus perfruantur. Atqui si demortui anima hominis nuper nati corpus subit, ejusdemque forma efficitur; non dubium est, quin magna pars scelerum impunita relinquenda sit, et honestae probaeque actiones absque

que mercede ulla sint abiturae. Quis est autem tam rudis atque plumbeus, qui Aristotelem, perfectum naturae specimen atque exemplar, credat non vidisse summam, quae hanc opinionem consequitur, absurditatem? Perquam necessarium, inquam, esse, si in nuper natum corpus anima migratura sit, cum concepto semine formatur homo, alium quempiam vita excedere, aut si casu aliquo prior defungatur vita, animam ferri ventis? Rursum si id verum esse fingamus, aut scientiae eaedem in diversis hominibus erunt, in quibus fuit eadem anima (quod in Ennio reprehendit Horatius) aut, si ea conclusa corpore, veluti obducuntur et sepultae jacent disciplinae, ignarus incidit in opinionem Platonis, quam ipse tamquam ridiculam exploserat. Postremo si duorum hominum eadem omnino forma est, non specie, sed numerò iidem erunt: discrepant enim nomine, qui forma conveniunt. Neque permoveor audiens infinitum esse numerum animarum, si mundus primordiis caruit, et species rerum ei sunt coaevae: arbitror enim parum repugnare principiis Peripateticae disciplinae, quae solum, quod corporatum et sensibile est, infinitum esse negat: de hoc enim Aristoteles quaerit lib. III. *Physicorum*: I. etiam *de Caelo*, et in lib. *de prima Philosophia*: animae vero spiritales sunt, et nihil habent crassae atque terrenae faecis admixtum. Haec sunt igitur, quae mihi sententiam istam probabilem efficiunt: quae si tibi improbentur, non gravate aut moleste in alteram quaestionis partem descendam.

De libris *exotericis*, ne tibi fastidio sim, non est animus multa dicere, sed carptim veluti summa capita persequi, ut jam tandem mihi satisfaciam, qui fortasse re

ipsa atque sententia non multum ab opinione tua dissideo. Nam apud me quidem certum est, quod tu gravissima ratione convincis, apud Aristotelem nullum esse scriptorum genus, quod *exotericum* inscribatur: neque ob id statim crediderim, peculiaria quaedam volumina non fuisse, quorum sub hac appellatione Aristoteles meminerit. Quin immo cum sint apud eumdem auctorem scripta quaedam via et ratione composita, quae Graeci συνταγματικὰ vocant, atque istorum partes sint duae: haec αὐτοπρόσωπα nominata, quoniam auctoris personam et gravitatem referunt: illa διαλογικὰ, hoc est, *collocutoria*: usus et consuetudo doctissimorum hominum obtinuit, etiam ante tempora Aristotelis, ut illa priora *auscultatoria* dicerentur, quod cum in eisdem ad suos legitimosque auditores philosophi verba facerent, rationibus usi sint exquisitissimis atque e media petitis philosophia, et quae angustos vulgi animos intrare non possent: posteriora vero, quoniam sunt ad multorum utilitatem conscripta, et in quibus probabilibus tantum rationibus disputatur, quibus maxime vulgus hominum permovetur et convincitur, passim ab omnibus ἐξωτερικὰ appellata sunt, quod non, uti cetera, recte atque liberaliter institutis, sed rudibus tantum apta essent: quae ob eam ipsam rem modo scripta populariter, modo communes sermones appellantur. In illo genere potissimum insunt libri de Dialectica, de Natura et prima Philosophia, omnium philosophorum opinione: in hoc vero opus de Animalibus, magna Moralia, Eudemia, Problemata, Rhetorica, et pleraque alia, quae vel negligentia hominum, vel culpa temporis omnia mutantis in pejus interciderunt, si Ciceroni credimus libro IV. *Epistolarum ad Atticum*, et

Au-

Digitized by Google

Aulo Gellio capite 5. libri XX. *Noctium Atticarum*: quorum alter ea scripta, in quibus prooemiis usus est Aristoteles, *exoterica* vocat; alter vero, quae ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, et notitiam rerum civilium conducunt. Ferunt igitur Aristotelis familiares, ubi de exotericis libris fit sermo, non alios, quam hoc loco commemoratos significari: neque mirantur, cum vident, id, de quo disputatio est, in priori scriptorum genere reperiri, non ignari pluribus locis eamdem quaestionem tractari ab Aristotele solere: quid autem senserit, ex eo loco intelligere laborant, in quo non obiter ac velut aliud agens, quod plerumque fit, sed serio potius propriaque oratione disseritur. Hac enim intelligentia, uti ego existimo, gravissimi philosophi et prudentissimi viri de exotericis libris Aristotelis locuti sunt. Ex veteribus Graecis Theophrastus, divinus homo in dicendo, ut testatum nobis Alexander reliquit lib. I. *Commentariorum in Topica*: ait enim Aristotelem de singulis rebus in contrariam partem orationem habere solitum: atque hanc exercitationem (sic ille vocat) inter exoterica reponit: Philoponus quoque lib. I. *Commentariorum in libros de posteriori resolutione*: Ammonius et Simplicius initio *Praedicamentorum*: Plutarchus quoque in *Vita Aristotelis*, et Galenus libro *de substantia facultatum naturalium.* Ex Latinis antiquis Cicero in libris de *Finibus* et in *Epistolis*: Gellius in *Noctibus* cap. 5. lib. XX. Praeter hos Thomas cap. 9. lib. I. *de Caelo.* Ex neotericis Budaeus in *Commentariis* ad linguam Graecam: Alciatus in *Parergis*: Victorius in *Scholiis* in libros Ciceronis de finibus: Vicomercatus etiam initio *Commentariorum* in libros *de physica auscultatione*: atque alii non parum multi, quos, si

Digitized by Google

res posceret, recensere possem. Verum inter hos scriptores omnium optime atque etiam exactissime propositam quaestionem explicuisse mihi visus est Themistius, gravis in primis philosophus, in oratione, quae πρὸς τοὺς φιλοσοφοῦντας inscribitur: cujus verba, quoniam ad hanc controversiam definiendam multum mihi videntur habere momenti, statui in praesentia referre. Et quoniam ea oratio Latina facta non est, utar ea versione, quam veluti ludens fecit vir omni genere litterarum ornatissimus et summa mihi familiaritate conjunctus *Antonius Covarrubias*: ea sic habet: *Proprium est et hoc Aristotelis, quod non eosdem sermones vulgo putavit esse utiles et philosophis, ut neque remedia, neque alimenta eadem iis, qui bene valent, et qui morbis obnoxii in lubrico versantur, conveniunt; sed illis, quae vere sunt salutaria, his, quae praesenti corporis conditioni sunt aptiora, tutius dantur. Quamobrem populares alios vocavit, et solutos liberosque vagari permisit: alios intra domesticos parietes continuit, et paucissimos eorum participes esse fecit: idque caute et cum delectu. Claustra autem, quae vel aperiunt, vel occludunt eos, perspicuitas et obscuritas sunt. Quibus haec cura mandata est velut seris, ut secundum audientium captum vel discutiant nebulas, vel offundant. Ergo eorum quidam ejusmodi sunt, ut populo prosint, et ad multitudinis ingenia sint accommodati, dilucidi, plenique luminis, et quorum fructus non omnino insuavis aut injucundus percipiatur, sed inspersae potius veneres et florescentes delitiae deliniant: quidam arcani prorsus ac reconditi, quibus sanctiora perfectaque sacra condantur. Hoc ob eam rem excogitavit, ut qui initiati disciplinis sapientiae non essent, carerent eorum fructu, quorum possessionem tenere se arbitrarentur. Quo factum est, ut cum ante pedes hi sermones versentur, pluribus sint moenium ambitibus septi, quam Ecbatanis Per-*

Digitized by Google

Persarum regum regia. Hactenus Themistius. Aristoteles etiam pluribus sane locis, in quibus ab extrariis petit testimonium, ut optimi quique ejus interpretes narrant, horum librorum meminit. Ut cum cap. 4. lib. I. de *Anima*, *Dictum est*, ait, *de ea re primum in communibus sermonibus*: et cap. 9. lib. I. *de Caelo*: *De ea re*, inquit, *in externis circa divina sententiis dictum esse*: et *de Reminiscentia* disserens: *Plura de his diximus*, inquit, *in his quae populariter scripta sunt*: et lib. III. *de Republica* cap. 4. ait: *De his saepe in externis sermonibus disputavimus*. Illa vero Aristotelis testimonia, quae tu tamquam firmissima tuae sententiae praesidia secutus es in scholiis ad librum tertium de *Republica*, apud me quidem non eam vim habent, ut eorum momento ab opinione tuae contraria debeam discedere: quoniam nisi ego male divino, potius sententiam nostram firmant, quam ut ad eamdem ullo pacto labefactandam pertineant. Nam quod Aristoteles cap. 13. lib. I. *Ethicorum* ad Nicomachum ait: Λέγεται δὲ περὶ αὐτῆς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, plane videtur confirmare nostram opinionem. Cum enim Aristoteles eo loco animae contemplationem viro civili necessariam esse doceat, neque omni ex parte aut exquisita ratione ab eo agnosci debeat: admonet, non oportere quidem, qui civilem disciplinam discit, ut quod sibi ad eam rem satis est, intelligat, libros illos de Anima difficiles admodum evolvere, sed satis esse legere, quae sunt de ea re scripta in extrariis sermonibus: sic enim ait: ἀρκούντως ἔνια· καὶ χρηστέον αὐτοῖς: quoniam cum illi sint multitudinis judicio accommodati, facile intelligi poterunt. Hos vero de anima sermones, quos appellamus exotericos, communes vocat Aristoteles libro *de Anima* primo, quo loco rejecta eorum philoso-

pho-

phorum sententia, qui animam motu definiebant, aliam quamdam ait sententiam esse probabilem quidem multis, sed quae damnata fuerit: ἐν κοινοῖς λεγομένοις λόγοις: quos sane communes sermones vocat, quod multis utiles sint, non tantum privatim in Aristotelis philosophandi ratione institutis. Sed horum omnium judicium summum penes te sit, quem ego ceteris omnibus libenter anteponam. Deus te nobis atque studiis diu servet incolumem. Salmantica, VIII. Kal. Julii. Anno Christi M. D. LIII.

EPISTOLA XIX.

ARGUMENTUM.

Abit Sepulveda in Cardilli sententiam ad Aristotelis παλιγγενεσίαν quod spectat. De libris exotericis pauca addit, quod ea de re accuratius egerit in scholiis ad librum III. Aristotelis de Republica.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
GASPARI CARDILLO VILLALPANDEO SUO S. P. D.

UT suspicio plurimum ab opinione confirmata differt, sic in utraque tuenda plurimum debet esse discriminis. Quod igitur ad παλιγγενεσίαν, et Aristotelis de animarum humanarum in humana corpora migratione sententiam pertinet, quid suspicarer, subjectis rationibus exposui. Hae si cui parum probabuntur, repugnare non est consilium, tibi praesertim tam docto, tamque in Peripatetica disciplina exercitato viro.

De libris *exotericis* nihil opus est testes recensere, quorum multitudine, non quidem oculorum quasi fide testificantium, sed opinione quadam, dum alter alteri credit, nitentium, facile obrueremur, nisi certis rationibus rejicerentur, quarum vel haec una satis est, quod quos li-

Digitized by Google

libros ἀκροαματικοὺς ab Aristotele ejusque familiaribus, non autem ἐξωτερικοὺς seu externos vocari scribis, nominatimque memoras, horum quosdam, et quidem obscurissimos et intelligentiae difficillimae, id est, libros *de Anima*, et *Prima Philosophia* exotericorum nomine ab eodem philosopho citari videmus, idque (quod non parum ad rem pertinet) in illis alteris, quos iidem vos exotericis annumeratis. Quo perspicue et omnis dissentientium ratio refellitur, et persuasio nostra confirmatur. Sed de his rebus accuratius in scholiis libri tertii *de Republica* disseruimus, ut supervacaneum sit hoc in loco rationes apud te, cui nota sunt omnia, repetita quasi crambe commemorare. Vale. Cordubae, postridie Nonas Maij.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER VI.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Alfonſo Stunicae Marchioni explicat ſuam opinionem de iſta quaeſtione: Utrum columbas educare, quae non condititiis cibariis alantur, ſed agreſtibus ſeminibus ſeſe ipſae paſcant, ſit contra juſtitiam.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

ALFONSO STUNICAE, GIBRALEONIS MARCHIONI ET BELLALCAZARIS COMITI, S. P. D.

Ex litteris, quas ad me proxime tuus Franciſcus Metina miſit, ſolicitari te cognovi quaeſtione quadam de parvis quidem rebus, publica tamen et magna utique, ſi ad Theologorum controverſiam ſpectes, a quibus nondum eſt ſatis dijudicata: num columbas educare, quae non condititiis cibariis alantur, ſed agreſtibus ſeminibus ſeſe ipſae paſcant, ſit contra juſtitiam, ſic ut domini damnum praeſtare debeant, ſi quod ab illis fuerit alienis ſegetibus datum. Quoniam igitur rem non ingratam me tibi facturum ſcripſit, ſi, quid mei judicii eſſet, paucis explicarem, obſequar voluntati tuae, nec te longiore oratione tenebo. Damna non ſolum, quae per ſe quiſque, ſed etiam quae per animalia ſua dederit, ſarciri oportere, jus naturale eſt lege pontificia explicatum c. *ſi culpa. de injuriis et dam. dat.* Sed haec lex cum juſta ſit, et a jure divino, ac, ut dixi, naturali ducta, ſaepe tamen ae-

aequitate quadam item naturali temperatur, si damnum exiguum sit, et publicam utilitatem attingat. Ab agro alieno pascuo consito, vel frumentario pecora sua continere jus est, et hanc curam qui negligit, aliena invadit. At justa lege cautum est, et moribus invaluit, ut post conditam messem alienum agrum depascere liceat impune: quid ita? nempe quia damnum privatum est parvum, et pertinet ad bonum publicum, quo minore impendio alantur pecora ad victum et vestitum Reipublicae necessaria, ac proinde minore pretio vendantur. Item fera animalia, ut lepores et cuniculi privatis possessionibus multo etiam magis, quam columbae nocere solent: at hoc privatorum damnum Principes, quique Reipublicae cum summa potestate praesunt, sine ulla culpa, cum prohibere possint, tamen propter publicam utilitatem negligunt. Nec solum hujusmodi parvarum ferarum saluti, ne penitus absumantur, capi eas procreandi ac nivium tempore vetantes, consulunt, sed etiam cervos et capreas toxico venatorio interfici prohibent, ne hujusmodi animalia, quae natura in publicam hominum utilitatem cibi et aliorum usuum gratia procreavit, magnopere minuantur. Nec tamen damna ab eis privatis hominibus data ex publico sarciuntur. Quae ratio eodem modo convenit in columbas, quae agrestibus seminibus magna ex parte pascuntur. Harum enim vivaria, quae *columbaria* nominantur, idcirco publico more permittuntur, poena etiam insidiantibus constituta, quia parvum damnum est, et bonum publicum attingit. Itaque Principis, qui totius populi ac Reipublicae personam gerit, voluntas per morem et legem non scriptam parva damna a columbis data dominis condonare videtur, ut poena da-

Digitized by Google

damni dati non teneantur, non magis quam domini pecorum alienum agrum post messes conditas depascentium. Neutrum enim fit invitis agrorum dominis, qui in Principis voluntate, in quem populus suam potestatem transtulit, consensisse intelliguntur, ac proinde datum damnum condonare videntur. Hae autem leges et mores legem illam divinam et rationem ejus imitantur, quae messem ad solum usque secari, et remanentes spicas colligi vetabat (*Levit.* 23.) ut ex sua quisque segete aliquid ad publicos pauperum, quae maxima populi pars est, usus relinqueret. Hoc enim sine agricolarum damno non fiebat. Sed quia id erat exiguum, et ad multorum usum pertinebat, ferre agricolae iidem lege a Deo lata jubebantur, qui nullam umquam ad suam, sed omnes leges ad publicam hominum utilitatem ferre consuevit. Illud quoque quod est in sacris proverbiis: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, declarat justa Principum decreta, sive tacita ea sint, ut mores populi silentio Principis firmati, sive scripta, auctoritatem a lege aeterna ipsoque Deo sortiri. Justum autem intelligitur, quod ad bonum publicum refertur, auctore philosopho lib. 3. *de Repub.* et Thoma primi libri parte prima *quaestione nonagesimasexta* (*art.* 4.) quo in loco de universo genere jacturae, quam populares legibus aut moribus propter bonum publicum subire coguntur, prudentissime disserit. Alia ratio est, si quis cujuscumque generis animalia non ad usum, qui ad multos pervenire possit, sed animi sui causa, gratiaque voluptatis alat: ab his enim illata damna dubium non est, quin tum divino, tum etiam humano jure sint sarcienda. Vale. M. D. LII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Gonsalo Peresio, Matheseos studioso, explicat locum Plinii lib.2. cap. 11 Immensum esse &c. *quare per solem umbrae parallelae jaciantur, et quo modo sol per aequinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus umbras absumat.*

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

GONSALO PERESIO S. P. D.

GRatissima mihi fuit epistola, quam ad me proxime misisti, non solum propter opinionem, quam de meis studiis tua consuetudine praefers, qui libenter de his soles, dum scilicet tuae in me mutuae benevolentiae indulges, cum egregia mea laude praedicare; sed etiam quia simul ex eisdem litteris intellexi, te in tuis maximis occupationibus assiduaque opera, quam Principibus nostris in secretioribus epistolis impendis, Philosophiae et Mathematum studiis, si quid temporis a negotiis vacuum contingit, tribuere, ut non modo utriusque linguae notitia, sed etiam doctrinarum cognitione valeas. Itaque Astrologicis et libris et instrumentis comparatis, libenter in erudito Mathematicorum pulvere versaris, ut indicat illud quod scribis, solicitari te quaestione quadam ad solis magnitudinem et umbrarum rationem pertinente, quae nuper a nobis disputari coepta est, nec tamen satis dijudicata, quamque tibi a me velis per rescriptam epistolam explicari. Nata est autem quaestio ex verbis illis, quae Plinius libro II. capite XI. *Naturalis historiae* de solis magnitudine memorans, scripta reliquit: *Immensum,* inquit, *esse constat, quia arborum in limitibus porrectarum in*

quotlibet passuum millia umbras paribus jaciat intervallis , *et quia per aequinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus simul fiat a vertice*. Quaeris enim , et quidem magna ratione, qui fieri possit , ut solis terra centum sexaginta octo circiter partibus , auctore Ptolemaeo, majoris immensitas faciat, ut arborum in longissimum spatium porrectarum umbrae παράλληλοι ab eo jaciantur, cum luna , quam vinci constat terrae magnitudine, idem efficiat , ut ipse quoque meo monitu notasses. Praeterea si sol aequinoctii die ob eamdem vastitatem omnibus habitantibus in meridiana plaga umbras absumit, ut necesse est, si omnibus fiat a vertice : cur cum sit quam tota terra tot partibus amplior, non idem facit per totum spatium, quod simul illustrat ? Faciam igitur quod jubes, et quidem libenter, eoque expeditius, quod me non imparatum offendis. Nam me idem scrupulus, eadem cogitatio multos dies solicitaverat, impuleratque, ut rem accuratius intentioreque animo pertractarem.

Arborum in longissimum spatium porrectarum umbras paribus intervallis a sole jaci, usque adeo verum est, ut omnes omnium arborum corporumque umbrae ubique terrarum, quidquid eodem tempore radiis solaribus illustratur, paribus intervallis jaciantur, quod ad medias umbrarum lineas referendum est, quae nusquam concurrent, etiam si in infinitum recta ex utraque parte protendantur. Cujus rei causam non esse in tanta solis vastitate, certissimo argumento est, quod scribis de luna, qua lucente umbrae eodem modo parallelae jaciuntur. Nec enim sol materias, unde umbrae jaciuntur, per sui partes illustrat, sed ad singulas etiam minimas um-

Digitized by Google

umbras jaciendas totus in pyramidem, ut necessaria ratione docemur, rotundatur, cujus pyramidis basis est pars solis quasi tympanum diametris aequale: quod tympanum per singulas pyramides ita variat, ut nullae duae umbrae eodem temporis puncto possint a duabus pyramidibus in plano dirigi paribus intervallis. Quippe quarum ea ratio est, ut quo longius ducuntur, eo magis earum cuspides inter se discedant, quae descriptis in plano figuris facile perspicies, duabus scilicet, aut pluribus pyramidibus a circulo, qui solem referat, ad materias opacas minus etiam inter se distantes, quam diameter circuli pateat, ductis. Non igitur vastitas solis, sed ipsius terraeque rotunditas facit, ut umbrae parallelae jaciantur. Idem enim faceret stella multo etiam quam luna minor infra lunam collocata. Quae omnia plane deprehendes, si animum a planitie, quam terra oculis praeferens nonnumquam parum intentos in errorem inducit, ad terrae veram et Mathematicis confessam rotunditatem revoces; sic enim omnes umbras inter se paribus intervallis necessario jactari deprehendes, pyramidibus solarium radiorum ad latera, rotunditatis ut materiae collocatae sunt, deductis: eodemque modo exploratum erit, quod Aristoteles Mathematicique tradunt, omnes lineas rectas rectam meridianam ad angulos rectos ubicumque terrarum secantes, ortum aequinoctialem ostendere. Ad quam quaestionem explicandam, theoremaque monstrandum, cum frustra viros doctissimos consuluissem, aptissimum instrumentum commodamque rationem reperisse mihi visus sum, quam paucis explicabo. Describatur in plana charta linea meridiana, cujus inveniendae commodissimam rationem Vitruvius libro I.

de

Digitized by Google

de *Architectura* tradit: deinde aliae rectae itidem, quotquot libuerit, transversae per hanc ad angulos rectos paribus intervallis perducantur. Tum faciamus pro sole corpus sphaericum luminosum amplius tota charta ad capita linearum collocari, atque inde pyramides ad media linearum arboribus consita deduci. Hoc enim si fiat in plano, apparebit fieri non posse, ut umbrae paribus intervallis jaciantur. Ceterum si charta eadem cylindro circumdetur, sic, ut terram cum lineis contingentibus solem spectantibus imitetur, umbras parallelas per eas lineas pro ratione pyramidum jaci, non poterit dubitari, easdemque omnes in corpus solis aequatorem centro suo possidentis sic spectare, ut circuli cujusdam idem centrum ambientis terrae diametro paris circumferentia terminentur. Quod vero Plinius idem, solem per aequinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus simul a vertice fieri tradit, id si ad vivum reseces, defendi omnino non potest; non dico si meridianam plagam omnem torridam Zonam appellet, in qua per aequinoctium meridiani temporis puncto (hoc enim sine controversia spectatur) cum paululum ab aequinoctiali circulo discesseris, ubique umbrae aliae ad Septentrionem, aliae ad Austrum, ut libellus de Sphaera docet, jaciuntur; sed etiam si mediam regionem duos omnino gradus patentem plagae meridianae vocabulo signet. Non enim ut gnomonis sub ipso aequatore siti sol meridie umbram absumit, sic item alterius uno gradu ab aequinoctiali remoti, quoniam si ita esset, ejus gradus differentia per solem et astrolabium percipi non posset, cui ratio Mathematicorum adversatur. Cleomedes quidem *Theoriae* libro secundo ad Syenem sole Cancrum obtinente meridia-

Digitized by Google

diano diei articulo umbras absumi in orbem refert, cujus diameter quadringenta stadia, hoc est, passuum quinquaginta millia pateat. Quod si verum est, meridianam illam plagam, de qua Plinius memorat, ad easdem angustias revocari necesse est. Vale.

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Disputat cum Francisco Argote de Barbaris in Hispanorum ditionem redigendis.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

FRANCISCO ARGOTI S. P. D.

EPistola tua, per cujus omnes partes cum egregia quadam humanitate mirificum in me studium, et amorem praefers, reddita mihi est ad meum praedium Marianum, quo multis ante diebus studiorum animique causa, amoenissimi per se loci verna jucunditate multipliciter invitante, secesseram, simulque doctissimam tuam commentationem accepi, et disceptationem cum homine docto habitam libenter perlegi. Quamquam facilius erat calumniam refellere, quam orationem falsitatis convincere. Nam Barbaros istos Novi orbis, quos Indos vocamus, bonis spoliare, et in servitutem redigere, jus non esse, verum est. Sed mihi hanc severitatem, a qua longe absum, objicere, hominis est, qui causae jam mea opera, et magno doctorum assensu damnatae diffidens, a mendaciis et calumniis praesidium petit. Non ergo Barbaros illos in servitutem abstrahendos esse dico, sed in ditionem redigendos; non bonis spoliandos, sed sine inju-

Digitized by Google

juria conservandos; nec heriliter eis, sed regie ac civiliter ad ipsorum scilicet utilitatem imperandum: ut primum Barbaricis moribus sublatis, humane et ex lege naturae vivere cogantur: deinde praeparatis ad Christianam religionem excipiendam animis, in veri Dei cultum per Apostolicam mansuetudinem piis blandisque verbis inducantur. Quod vero ais, justum esse fortiores ac potentiores infirmioribus imperare, id a te sic dictum accipio, dummodo subsit justa causa debellandi. Nam imperium injuria quaesitum justum esse non posse, ipse, quem citasti, auctor est Aristoteles, qui hanc ipsam sententiam in libris *de Republica*, si pure et simpliciter accipiantur, refellit. Alia est prudentium et humaniorum in dissimiles causa. Nam gentes humanae suo naturali jure imperium in Barbaros sibi deposcunt, non ad injuriam et herilem dominatum, sed ad officium et humanitatem; ut Barbari ex moribus natura damnatis in melioris mitiorisque vitae cultum per justas et naturae consentaneas leges traducantur, et utrique clientes et princeps natio vicissim ope mutua mutuisque officiis subleventur.

Jacobum Argotem propinquum tuum, cujus eximias virtutes commemoras, et propensam in me voluntatem exponis, utroque nomine carissimum habeo, et dignum duco, quem omnes diligant, egoque in primis et colam et observem. Vale.

EPI-

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Respondet Francisci Argotis petitioni de columbis per agrestia semina educandis, et refutat cujusdam Jurisconsulti objectionem contrariam.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA FRANCISCO ARGOTI S. P. D.

PErgrata perque jucunda mihi fuit epistola tua, qua tuum in me propensum animum, ac mei nominis studiosum liberali oratione et humanissimis verbis declarasti. Qua in re quoniam provocatum pari voluntate non respondere, turpe habetur et inhumanum, haud equidem committam, ut ipse mutuum meum officium in eo genere jure possis accusare. Quod quaeris de columbarum educatione, ego feras columbas, quae se agrestibus seminibus pascant, erectis columbariis educare, non esse contra justitiam, nec ab eis illata damna sarcienda, probabile mihi videri, magno amico judicium meum exquirenti subjectis causis per epistolam respondi. Qua tu, cum forte in ejus exemplum incidisses, perlecta, me eisdem de rebus quid sentiam, per litteras percunctaris. Hoc videlicet, ut opinor, innuens, moveri te oratione acuti hominis et jurisperitissimi, qui adversus meam sententiam, quam ipse perdocte defendebas, magna, ut scribis, contentione, incertum per ambitionem, an ex animi sententia disserebat. Ego vero in ea disputatione, quam mihi perscripsisti, nihil ab illo allatum puto, quod in epistola mea fuerit praetermissum, nihil objectum, quod non facile possit ex nostris fundamentis refelli. Nam quod lege civili sancitum esse ait, ut damna, quae per

Digitized by Google

se quisque, vel per animalia sua intulerit, sarciantur, et justam legem etiam civilem non sine peccato violari; libenter ipsi omnem hanc solicitudinem remisissemus externa, et civili lege confirmandi, quae a nobis posita sunt, et lege pontificia firmata; quam eamdem divino et naturali jure niti fatemur. Non igitur actum agere, sed de justitia inductae a nobis exceptionis disputare, docti hominis erat, et perspicacis: num parva privatorum damna, quae ad publicum bonum referentur, a communi lege excipienda sint, ut nobis aequitatem quamdam naturalem, et publico gentium more probatam sequentibus videtur: et in eo si aliter sentiret, nostram opinionem non tam hominum doctorum, quos interdum videmus, ut necesse est, in longis operibus dormitare, quam certioribus rationibus refellere. Quid igitur ego sentiam, quibus rationibus et quasi fundamentis nitar, illa mea epistola te facile docebit, nec erit difficile tibi viro docto et acuto ex eisdem, si accuratius consideres, dissidentium cavillationes confutare. Si quid praeterea desiderabis, fieri enim potest, ut nos pro nostra imbecillitate praesertim in tantis tenebris allucinemur, et ad latentem aliquam salebram imprudentes offendamus, tuum erit oculatiores intelligentioresque ac minus occupatos consulere. Vale. Corduba, postridie Non. Aprilis. M. D. LII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Laudat ejusdem Argotis in patriam amorem, eumque, dum ab ipso quaedam encomia Cordubae communis patriae colligi cupiebat, remittit ad libellum a se de appetenda gloria *conscriptum.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

FRANCISCO ARGOTI S. P. D.

PAtriam tibi esse carissimam, teque Cordubae, ubi honestissimo loco natus es, singulari quodam amore teneri, quod omnibus partibus epistolae, quam ad me misisti, profiteris, laetor equidem et laudo. Nam qui patriae amore ducitur, is si quidem sibi constare velit, enixe dabit operam, ut eidem, quantum in ipso fuerit, ubique laudi sit et ornamento. Quod cum ab omnibus probis civibus postulandum et sperandum est, tum ab eis maxime, qui domesticis exemplis ad gloriam, quod tibi accidit, excitantur. Neque vero mirum est, te patriam adamare, urbem jam olim praeclaram, alumnorum bellica virtute et doctrinarum scientia in primis nobilitatam, praeterea regionis felicitate, sive ubertatem spectes, sive agri amoenitatem et caeli temperaturam quaeras, nulli terrarum posthabendam, cum Homericus ille Ulysses vir sapientissimus Ithacam patriam suam in asperrimis saxis, ut Cicero ait, tamquam nidulum affixam immortalitati praetulisse memoretur. Quod autem hortaris, ut quae in auctoribus ad laudem Cordubae communis patriae pertinentia notaverim, in unum quasi encomium congeram, non est quod vacui scriptoris, et scribendi argumenta quaeritantis onus mihi homini occupatissimo, et mole

necessariorum studiorum presso imponas. Ceterum adolescens ista aetate, qua tu nunc es, et isto animi fervore libellum scripsi *de gloria appetenda*, in quem aliqua congessi isti tuae voluntati non aliena, unde ea petere licebit, editus est enim libellus, et cum ceteris meis opusculis fertur. De conditore nihil, quod equidem legere meminerim, traditum est, nisi quod Strabo Cordubam Marcelli opus esse scripsit, non, ut opinor, quod ab eo condita sit, quam esse multo antiquiorem certum habeo, sed quod Patricios Romanos cum selectis indigenis in eam coloniam, quae idcirco *Patricia* cognominata est, Marcellus deduxerit. Nam ante bellum secundum Punicum nondum imperio Romanorum in Hispaniam ulteriorem progresso, Cordubam Baeticae principatum obtinuisse declarat Silii Italici carmen, qui de gentibus Hispaniae, quae Annibalem in Italiam infestis signis proficiscentem secutae sunt, memorans ait:

Nec decus auriferae cessavit Corduba terrae.

De caeli regione non dubium est, quin quarto climate Corduba contineatur, quod medium locorum tenet, ac proinde caelo utitur ex omnibus temperatissimo.

Guajardus noster, quod ipsi per litteras mandaveras, mecum egit diligenter, ut est in omni genere officiosus: sed ad cetera jam supra respondi.

Errata, quibus librarii opus Aristotelis de *Republica* a me conversum et enarratum multis in locis depravarunt, et emendationes cum his ad te litteris mitto: quas cum scribebam, paucis diebus in praedium meum Marianum, inde in urbem cogitabam. Vale. Ex hybernis meis Putalbanis, quinto Idus Februarias. M. D. LIV.

EPI-

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Praedium suum Marianum cum Leopoldi Austrii Episcopi Cordubensis latifundio comparat, et utrumque pulcherrime describit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
LEOPOLDO AUSTRIAE, EPISCOPO CORDUBENSI S. P. D.

AGellum cum latifundio, villam cum praetorio conferre levitatis est; me tamen meum praedium Marianum, quo nuper ex more, studiorum gratia secessi, non minus delectat, quam te, Praesul amplissime, ager iste tuus, cui alneta dedere nomen. Magna res est, fateor, et quae possit regios animos solicitare, cum tectis magnificis latissime patentem fundum habere, qui binos hortos irriguos complectatur, et Neronianis vastiora prata, quae bovum, ovium, et generosarum equarum gregibus pascendis sufficiant, idque ad ripam Baetis nobilis amnis, ad quem oves olim aureis velleribus indui solitae fuisse memorantur, ac ut verbis utar Martialis lib. 9. epigram. 62.

Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus.

Et haec omnia in suburbano loco possidere, ad quem tibi Corduba post prandium profecto, diu commorari, et occidente sole domum redire liceat, quod ipse tum valetudinis animique gratia, tum ut ineptorum hominum molestias interpellationesque devites, tertio quoque die facere consuevisti. At me parvus, si cum tuo conferatur, et meae tenuitati conveniens ager hoc magis delectat, quo longius abest ab urbano tumultu, et me magis po-

potest ab interventorum inutilibus congressibus vindicare. Non quod me μισανθρωπίᾳ Timonis illius Atheniensis imbuerim, nec quod mores hominum ferre nequeam, ut quidam, quos ob eam causam in agris vixisse testatur Cicero, contentos re sua familiari: inhumanum est enim hominem natum gregale animal de communi hominum conditione recusare: sed quoniam studiorum, in quibus maxime adquiesco, magnam occasionem solitudo praebet, quam saepe cogor inter aulicos et urbanos strepitus desiderare. Quod si magnitudine vincimur, num etiam amoenitate? Non hac magnus aliquis fluvius praeterfluit: at fontes duo perennes aqua dulcissima largiter manant, quorum alter citrearum omnis generis opacam silvam sedibus, et quasi gradibus instar theatri in montis latere distinctam rigat, aquis per euripos non sine jucundo murmure delabentibus, et subinde per opportuna praecipitia majore strepitu gradatim desilientibus. Alter, qui caelesti aqua ex montibus confluente augeri solet, imam vallem interfluit, quae silvam, de qua dixi, et alios praeterea undique impendentes montes partim vitibus, ficis, olivis, cupressis, amygdalis, pinisque et ilicibus, partim unedonibus, myrtis, et lentiscis, ceterisque sponte nascentibus fruticibus vestitos excipit, exigua quidem, sed multis varii generis frugiferis arboribus, cydoneis, punicis, persicis, cerasis, pomis, pirisque consita: his adde prunas, et nuces tum avellanas, tum etiam juglandes, alnos ad interfluentis rivi crepidinem sponte nascentes, et salices gallicas, itemque vimineas, et arundines praetereo, ne hac quoque parte, qua sumus longe inferiores, temere vobiscum certare, et de parvis rebus leviter blandiri nobis videamur. Alvearium memorare idcir-

circo me nec piget, nec pudet, quoniam mihi de regno civilique administratione hoc temporis commentanti illud regiae Reipublicae in parvis insectis simulacrum contemplari gratissimum est. Quis enim cum voluptate quadam apum in suis regibus educandis, deinde ex copia deligendis, et sublata seditionis occasione officiis omnibus colendis, curam et quasi pietatem non demiretur? praeterea in muneribus, quae partitis provinciis suscipiuntur, flores et nectareum humorem comportandi et congerendi, favos, mella cerasque conficiendi et figurandi, obeundis solertiam et studium? Ad haec mirificam in paranda re familiari diligentiam, in utenda parcitatem, et in coloniis tempore deducendis, denique in omni parte Reipublicae in communem utilitatem gerenda industriam atque prudentiam? quarum rerum contemplatione non solum oblectari, sed interdum etiam, quid naturae ratio in coetu hominum et civilibus administrationibus poscat, utiliter admoneri licet. Itaque hanc ego philosophandi operam ab studiis literariis non sejungo. Sed video te alvearium facile posse aviario magno compensare, quod tibi multis et domi et ruri generibus constat, cygnorum, gruum, phoenicopterorum, ciconiarum, tardarum avium, ac ut ceteras praeteream, quas pro novitate, et pulchritudine demirari magis possum, quam Latinis nominibus appellare, pavonum magno numero, quos idcirco tibi maxime ex omnibus invideo, quoniam Tusculanum illud Ciceronis, cujus hoc nostrum Marianum pro nostra tenuitate aemulum esse pervellem, hoc genere abundasse constat, unde Cicero idem ad Papirium Paetum scribens: *Plures*, inquit, *jam ego pavones confeci, quam tu pullos columbinos*, atque eo magis, quod pavo-

vones, ut aspectu sunt pulcherrimi, sic cibo gratissimi, et ad magnos amicos, si forte accidat, accipiendos mensis aptissimi; cum vos autem opulenti, et magno animo Principes speciosa, tenuiores utilia magis consectentur, quod re utraque commendatur, omnibus solet esse cordi, ut intelligas, quam grato animo tuum de pavonum nova foetura promissum exspectemus. Accedit, quod villatici pavones hoc sunt a ferarum maleficio tutiores, quod noctu, cum illae maxime grassantur, tectorum cacumina, aut transversos in sublimi palos cubandi gratia, quod ad tuum praetorium animadverti, sponte conscendere, ac advolare solent, cum gallinae, quae cum paucis columbis summa est aviarii nostri, et ceterae cohortales non solum interdiu pascendi gratia vagantes, sed noctu etiam, si curam villicus concludendi remittat, vulpecularum insidiis apud nos quidem in hac nemorosa regione sint opportunae, nisi essemus contra maleficorum animalium injurias vigilantissimorum canum praesidio muniti. Quorum partitis locis in villae agrique custodiam excubantium nocturni latratus, praesertim cum feram insequuntur, nobis interdum non minus grati sunt, quam matutini lusciniarum et reliquarum avicularum cantus jucundi, quae huc frequentissimae confluere solitae, aures nostras tunc maxime certatim concinentes demulcent, cum lucente die cubitu surgentes per tramites arboribus interjectos officio fungimur horariarum precum, dumque res divina, quam festis, et tertio quoque die patrare quasi legitimum nobis est, paratur, inambulamus, aut cum de studio fessi ad easdem semitas animi relaxandi gratia inclinato jam die remeamus, et opaca consectantes inter aquarum susurros et suavissimos odores, qui ex arbo-

rum

rum praesertim citrearum, quas *naranjos* patrio vocabulo nuncupamus, floribus afflantur, capita fontium et proximam piscinam invisimus: qua largioris superiorisque fontis aqua excepta colligitur, ut copiosior inde per rivos deducta, commodius ablaqueatarum arborum radicibus infundatur. Atque hanc quidem philosophandi vicissimque honestissimis oblectamentis animum ab studiorum fatigatione recreandi facultatem nobis nostrum Marianum, hoc quidem verno tempore, suppeditat, nemini injuriam aut negotium facessentibus, nullius pacem solicitantibus. Itaque Marianenses hi dies, et cum mansuetioribus Musis consuetudo mihi tantopere placent, ut libenter sim omnibus omnes opes concessurus, dum mihi salvo officio liceat hoc modo vivere. Quam vitam si quis morum tetricus magister et censor homine Theologo parum dignam esse putat, Paulum audiat sic Romanos alloquentem: *Regnum Dei non est esca, neque potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Non enim jucunde vivere turpe est, sed turpibus rebus delectari. Nam honestis rebus gaudere, id demum est virum probum esse, et virtutis alumnum, quod genus uno justitiae nomine Paulus, ut saepe solet scriptura sacra, nuncupavit. Nam gaudium in Spiritu sancto quid aliud est, quam jucunditas, quae ex habitu usuque virtutum, et rerum optimarum contemplatione contingit?

Haec ut ad te scriberem, illustrissime Praesul, ea me ratio hortata est, non solum quod hujusmodi res ut sentire suave, sic animo retractare pergratum est, sed etiam quod argumentum epistolae non injucundum id fore putavi, qua te forsitan ad alneta tua ineptas interventiones vitantem citra molestiam salutarem, simulque gratias age-

Digitized by Google

rem pro artocrearum xenio, quod cum ipsum per se mihi gratum fuit, qui ceteras omnes venationes cum apro non confero, poëtae judicium palatumque ridere solitus, qui saepe apro degustato, lepori tamen potuit primam gloriam inter quadrupedes tribuere, tum eo nomine gratissimum, quod te tui Genesii non immemorem agere, libenter animadverti. Vale, ex eodem Mariano ad undecim. Kalend. Majas. An. Christ. M. D. LIV.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Eidem scribit de quinque mensium imbribus continuis, variisque propterea incommodis, et quod moerentem ideo animum ad alia avocarit occasione epistolae cum Breviario ad se missae.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

LEOPOLDO AUSTRIO, EPISCOPO CORDUB. S. P. D.

PAucis ante diebus in Marianum veneram, cum reddita mihi est epistola tua: veneram autem otii studiorumque causa, amoeni simul et arbitris remoti loci opportunitatem secutus, quo me serena bidui tempestas subinvitaverat, falsa scilicet spe injecta, exacto aequinoctio verno, optatissimum tempus advenisse, quo se caelum mortalibus aperiret, imbresque remitterent, qui jam quintum mensem praeter morem naturae paene continuati saevire, et magna variaque incommoda omnis generis animantibus importare non desistunt, dum cultum agrorum impediunt, segetes corrumpunt, afflictarum pecudum foeturam supplemento necessariam labefactant, apum pabulo et mellificationi obsunt. Nam me hoc quoque movet, qui alveario intra fundum disposito, philosophando et regiae Reipublicae simulacrum contemplando non medio-

diocriter oblectari soleo. Adde vias luto impeditas, itinera non solum torrentibus et fluminibus, sed etiam interruptis locis obsessa, ut commeatus necessarios nec invehere liceat, nec vicissim exportare. Jam illud detrimentum quantum est? Passim macerias diruere, aedificia demoliri, hominum animos tristitia contrahere, corpora per desidiam remittere. Nam hi quoque, quibus est inimica quies, duram egestatem quotidiana opera sustentare solitis, intra stillantia tecta compulsi otio ingrato quasi veterno torpent, multi etiam exesorum madentiumque parietum ruinam metuentes, duabus quasi furiis, timore, et fame exagitantur. Quorum malorum, et publicae vastitatis, difficillimique temporis cogitatione moerentem animum meum exhilaravit epistola tua perhumaniter scripta, et ab ea molestia ad jucundiores considerationes revocavit, per occasionem libri, qui simul redditus mihi est, de ratione Deum per preces diei temporibus accommodatas ritu Cordubensi placandi, quod clerici more nostro *Breviarium* appellamus. Quamquam enim una est Ecclesia catholica, unaque fides, tamen piorum eidem Ecclesiae probata consuetudo invaluit, ut Deum Christum variis ritibus per provincias et dioeceses veneremur. De quo libro, et precandi modo per clericos diligentes, et ejus generis formularum peritos tua voluntate nuper correcto et concinnato non paucos te consuluisse scribis, prudente scilicet consilio, ut res, quae ad multorum usum pertinet, multorum judicio comprobetur; sed ut multi multa loquuntur, varias fuisse consultorum sententias: quo circa me rem tibi gratam facturum, si librum legerem, sententias tuis litteris explicatas perpenderem, et ad te, quid mei judicii esset, perscriberem. Faciam igitur, quod ju-

bes , et ad te quid sentiam , separatim perscribam. Vale. Pridie Kalend. April. An. Christi. M. D. LV.

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Petro Sepulvedae fratris filio mandat , ut marmoreum lapidem , cui Epitaphium , quod sibi ipse fecerat , inscriptum erat, ad se mittat, et quid velint hae litterae S. V. F. ipsi explicat , sibique et fratri Barth. sepulturae locum destinat , eo magis memor mortis , quo gravius anno praecedenti decubuerat.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

PETRO SEPULVEDAE , PORTIONARIO ECC. CORD. S. P. D.

SCripseram ad te , dares operam , ut Epitaphium , quod meo tumulo confeceram , in lapide marmoreo incidendum curares ; id autem erat hujusmodi:

D. X. S.

J. GENESIVS SEPVLVEDA , QVI SE ITA GERERE STVDEBAT , VT IPSIVS ET MORES PROBIS PIISQVE VIRIS, ET DOCTRINA , SCRIPTIQVE DE THEOLOGIA ET PHILOSOPHIA , HISTORIARVMQVE LIBRI DOCTIS ET AEQVIS PROBARENTVR ,

S. V. F. VIX. AN.

Tu inscriptum jam esse lapidem rescripsisti , sed obscuram inscriptionem ex parte tibi et amicis , quibus eam legisses , videri , notae illae punctis distinctae quid signent ignorantibus atque quaerentibus , de quo velis edoceri. A qua scilicet haeretis antiqui moris ignoratione. Solebant enim veteres Romani , quos imitari mihi placuit, studentes brevitati , pro verbis verborum primas litteras, praesertim in sepulcrorum lapidibus ascribere. Si quis er-

Digitized by Google

ergo sibi cum inscripto lapide sepulcrum paraverat, pro his verbis: *sibi vivens fecit*, eisdem illis notis, quae vos perturbarunt, per puncta distinctis utebatur. Haec igitur amicis dubitantibus dicere poteris, et lapidem ad nos primo quoque tempore mittes. In hujus enim nostri Putalbani municipii aede sacrarum maxima, et primario sacello, Presbyterorum primum, deinde etiam Antistitis concessu duabus sepulturis loca designavi: quarum alteram mihi in pariete inclusam construere molior, quae isto inscripto lapide claudatur: alteram in proximo, Bartholomaeo fratri et posteris destinavi, viro, ut nosti, optimo et gravissimo; ut qui post diuturnam peregrinationem, ille ex bellis, in quibus diu non sine sua laude versatus fuerat, ego ex gymnasiis litterarum in patriam reversi, summa concordia et caritate annos jam circiter viginti simul viximus, et, ut spero, vivemus, iidem post mortem eodem sacello jaceamus. Me namque mortalitatis vehementer admonuit gravissimus ille periculosusque morbus, quo diu anno superiore, quem suspicor mihi fuisse climactericum, medicis jam, ut nosti, de mea salute desperantibus, conflictatus fui. Quo in morbo si quid mihi accidisset, illud me in primis solabatur, quod talem fratrem nominis bonorumque meorum heredem, quibus se ipse aleret, et sacrificulo impartiretur, qui statis in perpetuum diebus re divina facienda iram Dei nobis, nostrisque corpore exutis animis placaret, et te non absimilem alterius olim defuncti fratris filium, superstites relinquerem, qui communi consilio, opeque mutua vobis ipsis et familiae prospiceretis, et meam vicem propinquorum indigentiam pro vestra facultate aliqua ex parte levaretis. Nam te quoque vehementer gaudeo virum probum

bum et esse, et ab iis, qui tuos mores longa consuetudine perspexerunt, existimari, id est, a ceteris Ecclesiae Cordubensis sacerdotibus viris gravissimis et prudentissimis, quibus ita probatus es, ut quae munera singularem fidem, integritatem ac diligentiam requirunt, ea nulli omnium nec frequentius, quam tibi, nec incunctantius mandare soleant. Quo te magis hortor, ut quam exspectationem de te concitasti, quam tui opinionem hominibus dedisti, hanc non tuearis modo, sed officiis etiam vincas, et cumulate satisfacias. Nam virtutis et industriae sola via est, quae ad veram laudem ducit, et qua proxime itur ad felicitatem sempiternam. Hoc institutae vitae tuae ratio postulat, hoc presbyterum decet, id est, Christi ministrum, et dispensatorem mysteriorum Dei. Hoc mihi, quo auctore loco isto collocatus es, nec vivo, nec mortuo gratius quidquam facere, majoremve gratiam referre potes. Vale. M. D. LV.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Purgat se Fernando Valdesio, Pontifici Hispalensi, quod morbo impeditus, et amicis annum climactericum timentibus, jam pridem litterarum nihil dederit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

FERN. VALDESIO, PONT. HISP. INQUIS. GEN. S. P. D.

NUlla mea negligentia factum est, Praesul amplissime, ut nihil jam pridem ad te litterarum dederim, qui te libentissime soleo, cum locorum intervallo distinemur, per epistolas pro meo in te studio et observantia salutare. Sed me diu gravissimi et periculosi morbi vis sic af-

afflixit aestate superiore, medicis jam de mea salute desperantibus, sic vires extenuavit, ut eas, quamvis valetudini diligenter servierim, et jam ab initio morbi nonus hic mensis agatur, satis recipere nequiverim, scilicet ut solent senes paulatim nimisque tarde convalescere. Hunc ego annum aetatis meae sexagesimum quartum numerabam, tamen non defuerunt ex amicis meae saluti metuentibus, qui suspicione ad sexagesimum tertium revocarent, ut esset is annus climactericus traditione medicorum infamis. De quo Gellius *Noctium Atticarum* lib. 16. *Observatum*, inquit, *in multa hominum memoria, expertumque est in senioribus plerisque omnibus sexagesimum tertium vitae annum cum periculo et clade aliqua venire, aut corporis morbique gravioris, aut vitae interitus, aut animi aegritudinis.* Idemque ex epistola Augusti Caesaris ad Cajum citat haec verba: *Spero te laetum et bene valentem celebrasse quartum et sexagesimum natalem meum: nam ut vides* κλιμακτῆρα *communem seniorum omnium tertium et sexagesimum evasimus.* Talia igitur amici mente agitantes hoc magis meae saluti metuebant. Ego vero, fueritne hic annus meus κλιμακτηρικὸς, pro certo affirmare nihil possum: illud certo scio, multis me gravioribus et corporis et animi aegritudinibus et molestiis, itemque rei familiaris jacturis laborasse, hinc morbo, illinc iniquorum meorum calumniis conflictantibus. Illud me solicitat etiam nunc, quod cum aetate ingravescente magis in dies a peregrinationibus, ut natura fert, abhorrerem, haec adversa valetudo sic me extenuavit, ut verear, ne mihi non liceat sine periculo hoc anno me in viam dare, ut ad vos perveniam. Quod multis ex causis maxime vellem, praesertim si Carolus Caesar Rex noster in Hispaniam, ut

eum

Digitized by Google

eum parare rumor est, omnibus quidem, sed mihi imprimis optatissimus, longo scilicet post tempore remeaverit.

Haec ad te, Pontifex gravissime et mihi maxime colende patrone, cui res meas, nomen et dignitatem pro tua humanitate, meaque in te singulari observantia curae esse magnis documentis perspexi, scribenda putavi, simul ut apud me quomodo esset, intelligeres, simul ut me tibi purgarem, si forte meum officium vel ad te scribendi, vel in aulam regiam muneris mei causa redeundi desiderasses, accusandumve putasses. Vale, pridie Nonas Martii, anno Christi M. D. LV.

EPISTOLA XII.

ARGUMENTUM.

Laudat Jacobum Fernandum Graecarum litterarum Salmanticae professorem, et ad majores progressus excitat.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

JACOBO FERN. GRAECARUM LITTERARUM IN ACADEM. SALMANT. PROFESSORI, S. P. D.

QUae meus Neyla vir optimus, ac ut ipse scribis, gravissimus simul et humanissimus ad me de tuis moribus et doctrina summatim scripserat, haec tuae litterae perhumaniter scriptae abunde declararunt: quippe quarum partibus omnibus singularem quamdam modestiam, et virtutis ac optimarum artium et doctrinarum studium prae te fers. Quod vel ex eo intelligi poterat, quod eos tantopere colendos et observandos putes, quos harum rerum opinio non vulgaris, et hominum eruditorum fama commendat, quod mihi pro tua scilicet humanitate, et animo

mo in meam laudem propenso accidisse, conscribis. Quantos autem progressus in litteris tum Graecis, tum etiam Latinis feceris, et quantum de te sperare liceat, ejusdem epistolae elegantia et prudentia demonstrat. Perge igitur, et quam exspectationem de te concitasti, eam fac ut tuearis atque sustineas, meque diligas, id enim mutuo facies, nec committam, ut illa severitate, de qua legenti mihi risum movit locus epistolae tuae, jure ab scribendo deterritus retardatusve fuisse videaris. Vale.

EPISTOLA XIII.

ARGUMENTUM.

Apud Jacobum Neylam conqueritur de invidorum suorum calumniis; miscetque hinc inde sententias morales.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JACOBO NEYLAE, JUR. PONT. D. CANON. SALM. S. P. D.

ΠΕρὶ σῦ δὲ, inquis, οὐδεὶς λόγος. *Insere nunc, Meliboee, pyros, pone ordine vites.* Ergone inimicorum calumnia periit labor irritus anni? immo annorum multorum? *Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset.* Quid enim oportuit, spretis veterum ac fidorum, usuque rerum peritorum amicorum monitis, crabrones irritare? Talia scilicet tibi in mentem venisse, et talibus pro tua in me singulari et multis in rebus perspecta benevolentia te vicem meam solicitari solitum, nec ego dubito, et tuae litterae significabant. At θαρσεῖν χρὴ, φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Ego vero neminem lacessivi, sed cum meum, ac potius publicum nationis negotium agerem, quorumdam animos invitus offendi, nec cum crabronibus mihi rem futuram esse exi-

stimaveram, sed cum mitioribus apibus, et hoc illi erant fortasse, nisi ducem hac in parte mirifice et inusitate aculeatum habuissent, versutia scilicet plus quam vulpina, scorpione nocentiorem. Cui tamen illud objicere non possum, me non indicto bello ab eo fuisse suis armis oppugnatum. Qui mihi inter initia contentionis periculum aperte per amicos denuntiaverat, meminisseque jusserat, neminem cum ea familia sine sua pernicie contendisse. Quasi vero mihi cum tota familia, quam veneror et suspicio, certamen fuerit, et non cum paucissimis ex ea, quorum tamen nemo fuit, praeter hunc, qui ad calumnias descenderet, nemo, qui a nobis pertinaciter et acerbe dissentiret, ut solent probi et religiosi animi a callidis et calumniosis consiliis, quibus dissimiles quidam pascuntur, abhorrere, et turbulentorum ingeniorum imitationem et societatem, ut impiam et sceleratam sibique probrosam aspernari. Nisi quod illam verborum jactationem ipse ad errores litterarios, quos eo diligentius mihi cavendos esse intelligebam, non ad calumnias et falsa crimina, quaeque mihi in illo altero genere nocere possent, referebam; quod tamen damnum hoc ego patientius fero, quod memini, semperque meminero, virorum sapientium judicio felicitatem, quae mortalibus potest in hac vita contingere, et quam usu virtutis non impeditae metiuntur, non tam ad publica negotia, et magnos honores, qui raro sine periculis et laboribus suscipiuntur, quam ad otium honestum referri, quod sit cum litteris, et optimarum rerum contemplatione conjunctum, et mediocritatem ubique optimo jure commendari. Itaque non sine magna causa Hesiodium illud laudatur: εἶναι πλέον ἥμισυ τῦ παντὸς. Quod Pittacus Mitylenaeus, ex septem Sapientibus unus, in red-

Digitized by Google

reddenda tyrannidis depositae causa usurpasse memoratur. Nolo igitur te earum rerum cura de me solicitari, quibus ipse minime angor, ut pote quae nec meliorem me fortasse facerent, nec doctiorem, nec ad vitam vel tranquilliorem, vel minus laboriosam traducerent.

Sed quaedam, inquis, non ad opes, quarum mediocritate, quae nobis ope divina, nostraque industria contigit, contenti esse debemus, expetuntur, sed ne officia studiaque nostra sordere, cui minime vellemus, vel contemtui esse videantur. Fateor me nonnihil interdum istiusmodi cogitatione commoveri. Sed quid agas, si quis te calumniandi versutissimus artifex, erroris, quo se insolentius jactabat, et religiosorum Principum fidei, ut verbis utar Pauli, dominari volebat, per te convicti dolorem impatientissime ferens, apud eosdem Principes, quo tuam auctoritatem, gratiamque minuat, falsis criminibus circumveniat, oppugnetque, quae nominatim divinare et refellere nequeas? Quae est iniquissima conditio, ut indicta causa tacito judicio condemneris, idque notissimae versutiae ac vanitatis inimici testimonio. Sed nos fortasse vaticinamur, et longe diversa ratio insontibus obfuit, ambitionis suspicionem ambitiosa cautione vitandi, quae parum fortassis habeat aequitatis, si pariter in impares habeatur, ne forte res per se honesta majoribus officiis atque virtutibus obsistat. In tanta igitur malevolorum iniquitate, cum nihil sit sapientis praestare praeter culpam, stultum est Fortunae temeritati succensere, ac potius a Dei voluntate frustra et impie discrepare, qui occultis rationibus per summam sapientiam mortalibus consulit, saepe optatis meliora tribuendo. Quid si etiam rebus majoribus indigni sumus, ut certe sumus? Hoc enim fortassis vere objiciat ex

Digitized by Google

obtrectatoribus quispiam, cum quibus mihi de religionis et virtutis possessione pugnare non est consilium, facile melioribus concessuro, modo ne nobis utramque ipsis fortasse non negligentius colentibus vitio det quisquam, quod id sine fuco fallaciisque, et cum ingenua quadam et honesta libertate facimus. Neve quis nobis succenseat, aut crimini vertat, quod utimur ingenio nostro, paulo scilicet liberiore. Est autem proprium ingenii liberi, nullius gratiam mendaciis vel assentationibus aucupari, offensionem animorum, ne ab officio discedas, non magnopere vereri, in amicis, si res poscat, admonendis, et in viam, si forte deflexisse videantur, reducendis, non esse timidum. Ut nihil fingere, sic nihil fictum libenter audire; nihil ad voluntatem, ad veritatem omnia loqui; cognitae veritatis susceptum patrocinium deserere, praevaricationis instar esse putare. Neque vero ignoro, facilitas obsequendi quantum animos hominum alliciat, veritas quantum alienet: sed et illud scio, quosdam per severiores et liberiores mores duce natura summam et justissimam laudem fuisse consecutos. Quis igitur jure nobis obtrectet, si magnorum virorum exemplo et praecepto in eam partem, quo igniculi naturales sine crimine vocant, non inviti sequamur? Nam suo quemque ingenio, modo ne vitioso, servire censent viri sapientes, nec quidquam facere invita Minerva, id est, natura repugnante. Quae omnia hoc liberius apud te virum optimum et doctissimum, libenterque commemoro, quoniam cum ab adolescentia Compluti, Bononiae, Romaeque tecum simul familiarissime vixerim, et postea quam in Hispaniam revertimus, ad hanc aetatem conjunctissime vivamus, quotidie per litteras, quando coram non datur,

tur, colloquentes, meam naturam, studia, mores et instituta tu ex omnibus optime perspexisti, et quas persecutiones, ut verbis utar Evangelii, propter justitiam et veritatem passus sim, quibus dolis et machinis, nisi has strenue dissipassem, appetitus fuerim, tu optimus testis es, qui particeps etiam molestiarum fuisti, et in injuriis propulsandis adjutor.

Ut igitur ad propositum redeamus, sic jucunde secureque, et ex Christiana philosophia vivere licebit, si quando recte vivendi instrumentis a re familiari non usquequaque destituimur, ita nos comparabimus, ut extrinsecus ne pendeamus, neve dolendi, et gaudendi rationes aliunde suspensas habeamus, sed officiorum fructum satis magnum in recte factorum conscientia situm esse existimemus, qui gradus est, et proxima via ad civitatem illam permanentem, de qua semper quidem, sed in hac maxime jam prope decursa aetate nobis cogitandum est, et fluxa haec et caduca pro nihilo ducenda; ne quae alii minoribus fulti praesidiis delata magno animo contemnunt, haec ipsi exiguo, exspectata dumtaxat opinione hominum, magnifacere videamur. Vale.

EPISTOLA XIV.

ARGUMENTUM.

Reginaldum Polum S. R. E. Cardin. laudat, quod per ipsum Britanni ad fidem Catholicam redierint, et addit difficultatem conscribendae historiae, suamque de Principibus Hispanis, et rebus Britannicis ipsi emendandam transmittit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

REGINALDO POLO, S. ROM. E. CARDIN. S. P. D.

Post optatissimum et bonis piisque omnibus gratissimum

Digitized by Google

mum nuntium, quo tui Britanni, te potissimum secundum Regem et Reginam optimos et religiosissimos Principes auctore, ad sanitatem fidemque Catholicam redivisse nuntiati sunt, saepe mihi in mentem venit illius diei, quo mihi ad te coenamque Toleti vocato cum aliis quibusdam meae gentis studiosis litterarum hominibus humanissima simul et jucundissima consuetudine tua, doctissimoque sermone frui datum est: cum ipse nihil nisi de religione, de studio litterarum et doctis hominibus loquereris. Itaque multus nobis colloquentibus sermo, si meministi, de Alberto Pio Principe Carpensi patrono meo, deque Erasmo Roterodamo eorumque litteraria contentione habitus est. Nam cum res in Britannia post obitum Eduardi Regis gestas, quarum tu magna pars fuisti, memoriae mandare pro injuncto mihi a Carolo Caesare munere instituissem, et res ad tui mentionem pervenisset, pergrata recordatione mihi ante oculos obversabatur nostrum illud Toletanum colloquium, ex quo te propter perspectas mihi excellentes tuas virtutes, singularemque doctrinam et eloquentiam, diligere atque etiam absentem memoria colere coepi. Quo mihi levior erat scribendi labor, ut esse solet, cum oratio in eorum recte factis, quorum dignitas mihi cara est, commemorandis versatur. Alias enim hujus generis scriptio hoc mihi gravior esse consuevit, quo magis avocor a studiis doctrinarum, in quibus orsus a puero consenui, quaeque tum sua dignitate, tum propter diuturnam consuetudinem ad se me magis alliciunt. Quamquam ei muneri satisfacere, nemini non est, ut opinor, laboriosum. Est enim magni negotii, et magnae tum diligentiae, tum in dicendo facultatis historiam scribere, quod cum eruditi omnes fateantur, plerisque tamen vel

ra-

ratione cognitum est, vel quia sic ab expertis acceperunt; ego vero multis meis laboribus, cura et solicitudine didici. Solicitum autem me habere solet ea cura, non tam ut historiam optimi et maximi Principis orationis ornamentis illustrem, (stultum est enim ultra vires nitendo inani labore se fatigare) quam ne in rerum gestarum, quas ab aliis acceperim, commemoratione fallar, neve parum ei legi servivisse videar, de qua Cicero in libro de *Oratore* secundo memorans: *Prima*, inquit, *historiae lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne qua suspicio gratiae sit, ne qua simultatis.* In qua lege violanda hoc meum esset majus peccatum, quod me ad officium non ratio solum et institutum, sed natura etiam adhortatur, quae mihi mentem a mentiendi et blandiendi vitio, plus etiam quam amici vellent, qui meis commodis favent, alienam ingeneravit. Mea igitur maxima cura est, ut auctores inveniam viros probos et graves, qui me de rebus gestis, quibus interfuerint ipsi, aut etiam praefuerint, bona fide doceant. Sed quoniam aliqua interdum silentio non praetereunda, scribentibus et singula intentiore cura rimantibus, in quibus haereant, occurrunt, quae percunctantibus, aut referentibus in mentem non venerint, commodissima perquirendi ratio semper mihi visa est, et qua ipse, cum licet, diligenter uti soleo, quod scripserim ex prima manu, per partes cum viris gravibus Latine doctis, quibus facta et consilia nota sint, communicare. Eam igitur partem historiae, quae Principes nostros, et communiter rem Britannam attingit, ex commentariis quibusdam, quae ad manus meas pervenerunt, et tum aliorum gravium virorum, tum ipsius Philippi Regis epistolis ad Joannam

so-

Digitized by Google

sororem missis, a me proxime prima manu confectam tibi mitto, precorque et oro, quod sine tua molestia fiat, ut libellum bona cum venia legas, et tum orationis vitia, si qua erunt, ut erunt fortasse multa, quae tuas castigatissimas aures offendant, pro tua humanitate et sapientia corrigas, tum in rerum gestarum narratione, quae desunt, adjicias, quae perperam posita fuerint, emendes: in primisque hominum, regionum, oppidorum, fluminumque nomina, a nobis non per incuriam, sed per ignorationem praetermissa, marginibus adscribas, depravata corrigas. Quae si per te facere gravaberis, hoc est, si quae te maximae et maximarum rerum occupationes, ut solent, impedierint (non enim vereor, ne rem te, tuamque nationem et Reges attingentem, et ad vestram justam laudem celebrandam pertinentem contemnas) erit humanitatis tuae, ut negotium totum, aut per partes alicui tuorum, vel aliquibus idoneis hominibus committas. Quorum diligentia et cura emendatus in margine libellus, aut etiam emendationum admonitionumque chartis adjectis, ad me primo quoque tempore remittatur. Illud autem mihi feceris gratissimum, si earum concionum, quas prudentiae ac pietatis, ut ferunt, et facile mihi persuadent, plenas, ad tuorum Britannorum concilium habuisti, exempla cum libello ad me mittenda curaveris. Vale. Corduba, Kalen. Octobris. M. D. LV.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE
CORDUBENSIS
EPISTOLARUM LIBER VII.

EPISTOLA I.

ARGUMENTUM.

Perlegerat partem commentarii Serrani, in lib. primum Aristotelis de Moribus, *totum enim non licuerat: in quo reprehendit ipsius severitatem, qua ait neminem asserere posse:* Ethnicos philosophos salutem consecutos fuisse, *multisque argumentis probat sententiam contrariam, aliorumque rationes refellit; et conatur ostendere, Aristotelem, quia legi naturae convenienter vixit, beatum esse: eumque defendit a veterum aliquot Graecorum calumniis.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

PETRO SERRANO, DOCTORI THEOLOGO, S. P. D.

C*Ommentarium* tuum in primum Aristotelis *de Moribus* librum, quem mihi cum epistola misisti, ex parte legi, et quidem libenter; nam ut perlegerem, me partim ipsius longitudo, partim meae magnae occupationes prohibuerunt. Ceterum ut ex ungue Phidias leonem aestimasse fertur, sic ego ex primo capite, in quo magnum ingenium magnamque doctrinam praefers, nec abhorres a moderato dicendi genere, et politioribus Philosophis conveniente charactere, de toto opere conjecturam feci, accurate id scriptum esse, et varia eruditione plenum, tibique de optima studiorum indole gratulatus sum, quae nihil aridum, nihil jejunum praefert, sed omnia copiosa et exuberantia: ita ut multis etiam scitu dignis resecatis, et in alium locum, aliudque scriptionis genus re-

jectis, justa et legitima enarratio relinquî pôsse videatur. Sed ut libere tecum pro jure nostrae amicitiae, et quia sic ipse per epistolam hortaris, agam, in eo tuam vel diligentiam, vel aequitatem nonnihil desideravi, quod te nimis severum et acerbum praebuisse visus es in Philosophos etiam probatissimae vitae, id est, in viros optimos et sapientes in causa ipsorum capitali, quam extra ordinem cognoscendam et judicandam amicorum rogatu, ut scribis, suscepisti. Sic enim ais: *Primum hoc indubitatum apud catholicos supponitur, neminem asserere posse, salutem eos Philosophos*, Ethnicos scilicet et sapientes mundi, *consecutos fuisse*, et causas deinde subjicis, et testes auctoresque producis. De quo tuo dogmate ut nominatim memorarem, et in id summatim nonnihil dissererem, ea maxime ratio me hortata est, quod ego in libro *de justis belli causis* a me nondum impressione edito, sed Regii Consilii jussu multis descriptis exemplis, Complutum, Salmanticamque missis evulgato, eumdem locum obiter cum tractarem, sententiam a tua diversam secutus fueram, quam nunc tuis rationibus victus damnare videri poteram, si tuum *Commentarium*, in quo mihi multa probantur, sine ulla exceptione commendarem. Itaque faciendum putavi, ut earum, quas secutus sum, rationum summam complecterer, et tibi meum judicium in universum exquirenti de hac parte proponerem, ut intelligas me non sine magna causa in illam opinionem discessisse. Quarum rationum caput est, nullum fuisse genus hominum, cui Deus Opt. Max. et idem clementissimus, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad veritatis agnitionem, ut Paulus ait, venire (1. *Timoth.* 2.) non aliquod juris legumque praesidium praeberet, quo salvi esse possent, Deum ve-

venerando, et jussis ejus obsequendo. Cujus praecepti auctorem habemus Petrum Apostolum, ita disserentem in *Actis Apostolorum* (*c.* 10.): *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Quam sententiam explicans Augustinus in epistola, quae est ad Deogratiam presbyterum, numero quadragesima nona, in responsione ad secundam quaestionem: *Ab exordio*, inquit, *generis humani quicumque in Deum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus praecepta pie et juste vixerunt, quomodolibet et ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt.* Constat autem ab orbe condito ad Christi adventum duo dumtaxat jura a Deo mortalibus esse data, unum quod moribus constaret ad normam rectae rationis, quae imago est aeternae legis mentibus hominum naturaliter consignata, directis; quod jus naturale dicitur, perpetuum et immutabile, quo mortales omnes uterentur. Alterum scriptum, quod jus Mosaicum nominatur, propterea quod per Mosen datum est ad naturale jus caerimoniis quibusdam et praeceptis judiciariis, et quasi civilibus additis, quo jure gens tantum Judaica, cui datum est, teneretur. Nam, ut est in epistola ad Rom. (*c.*7.): *Quaecumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur*: et in Psal. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit illis.* In *Deuteronomio* quoque scriptum est (*c.* 33.): *Legem praecepit nobis Moyses hereditatem multitudinis Jacob.* Itaque ceterae gentes nec Mosaico, nec alio divino jure, quam naturali tenebantur, ejusque praeceptis servandis salutem animarum consequebantur, ut Paulus in eadem ad Romanos epistola (*cap.* 2.) declarat his verbis: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur: cum enim gentes, quae le-*

Digitized by Google

gem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Naturaliter enim dixit Paulus, id est, ut Thomas exponit, ad praescriptum legis naturae, quae petenda, fugiendaque docet. In eumdemque sensum paulo post ait: *Si igitur praeputium justitias legis custodiat, nonne praeputium illius in circumcisionem reputabitur? Et praeputium ex natura legem consummans judicabit te, qui per litteram et circumcisionem praevaricator legis es.* Quam Pauli sententiam et auctoritatem Thomas idem secutus (in summa secundi libri *p.* 1. *q.* 98. *artic.* 5.) Gentiles ante Christi adventum sola lege naturali obligatos, et ejus praeceptis faciendis salvos fieri solitos fuisse confirmat, quamvis auxilio legis Mosaicae facilius servarentur: idemque testatur secunda parte q. 2. *art.* 7. Alfonsus autem Tostatus noster, auctor gravissimus, in libro, quem de *Paradoxis* inscripsit, non solum incunctanter probavit hanc sententiam, sed multis etiam verbis multisque capitibus rationem explicavit (*Parodox. V. art.* 107. *ad c.* 134.) qua Gentiles a Deo peccatorum veniam impetrarent. Cujus orationis summa est, Genrilibus usque ad Christi passionem et promulgatum Evangelium peccatum originale deleri solitum, in pueris quidem per fidem parentum, si quis fideles parentes haberet, id est, qui de Deo recte sentirenr, quae naturaliter sentiri possunt, et idolorum immunditias caverent; in adultis autem per primum actum bonum, quem in Deum dirigerenr. Mortalia vero peccata per contritionem eisdem Gentilibus, ut nunc Christianis remitti.

Atque hos quidem auctores, has rationes secutus, Ethnicorum Philosophorum, qui ex praeceptis legis naturae vixerunt, causam defendi posse existimavi. Nisi for-

forte putamus ceteris Ethnicis hominibus per legem naturae viam ad salutem patuisse, eamdem philosophis fuisse interclusam, qui in Deo ex rebus creatis intelligendo ceteris erant perspicaciores, et in virtute non solum voce, sed vita etiam et factis docenda aetatem consumserunt.

Superest, ut ad rationes et testimonia, quae te in oppositam persuasionem induxerunt, paucis respondeamus, et quam vim habeant, explicemus. Quarum rationum summa, nisi fallor, triplici capite continetur. Primum, quod servandis naturalibus praeceptis non faciebant, quod erat in se, ut a Deo de via salutis edocerentur: deinde quod cum ejus naturalia praecepta cognoscerent, ipsis tamen non parebant: postremo quia Christi fidem, sine qua nulla est ad salutem via, non habebant. De primo igitur capite primum disseramus. Non faciebant, inquis, quod erat in se, philosophi, quo digni essent, ut de via salutis divinitus edocerentur, nec enim ad hoc satis erat praecepta legis naturae servare. Quid opus facto sit, ut homo, quod erat in se, fecisse intelligatur ad bonum aliquod impetrandum a Deo, non est hujus loci disputare. Nam sive id positum est in libero hominis arbitrio, sive in auxilio Dei, sive, quod verius est, in utroque, et sine hoc conatu salvus fieri nemo potest; iis omnibus affuisse, quibus salus contigit in lege naturae, non potest dubitari, nisi forte nemini contigisse putas, quod perspicue historia sacra convincitur, ut docet Augustinus in ea, de qua dixi, epistola (*Ep.* 49.) de his ipsis rebus edisserens, cujus verba infra scripta sunt: *Cum enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis libris jam ex tempore Abrahae, nec de stirpe carnis ejus, nec ex populo Israël, nec ex adventitia societate in populo Israël,* *ta-*

tamen ejus sacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiam in ceteris hac atque illa gentibus alias alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli umquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit. Haec Augustinus. Adde quod ille conatus, qualiscumque est, quocumque jure divino homines uterentur, et quibuscumque sacramentis essent initiati, etiam evangelicis, semper ab eo postulatus est, qui ex odio peccati a se commissi ad Dei gratiam saluti necessariam aspiraret. De hac enim praeparatione ad gratiam, quae latius patet, et fuit omnibus omni tempore necessaria, disserendum magis erat, quam de illa altera hominem dignum, seu idoneum faciente, qui de Christi mysteriis divinitus extra ordinem doceretur, quod paucis singulari Dei beneficio contigit. Nos enim, et, ut arbitror, ii qui tuam sententiam sciscitabantur, non de privilegio, sed de communi priscarum gentium conditione laboramus.

Quod secundo loco Ethnicos Philosophos a Paulo in epistola ad Romanos (*cap.* 1.) damnatos esse dicis, scis eo loco Paulum de improbis et vitiosis, idolorumque cultoribus memorare, qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: quorum hominum conditio in omni religione damnatur: nobis autem de viris sapientibus, et optimis sermo est, qui unum Deum agnoscebant, et venerabantur, ejusque praeceptis ad juris naturalis praescriptum obtemperabant. De quibus Paulus idem non ita multis verbis interjectis disserens, non quod auditores, sed quod factores legis essent, justificatos esse testatur, quippe qui sine doctrina Mosaicae legis naturaliter, id est, naturali ratione docti, praecepta legis ejusdem ad mores sci-

li-

Digitized by Google

licet pertinentia facerent. Haec enim eadem sunt utriusque legis veteris, et item evangelicae communia, et omnia divina.

Quod objicis postremo de fide Christi, quo praesidio ad salutem omni tempore necessario veteres Philosophos instructos fuisse negas, si claram et expressam fidem in Philosophis postulas, idem argumentum valebit in Hebraeos. Quotus enim quisque veterum Judaeorum claram habuit Christi, ejusque mysteriorum notitiam, aut fidem? Non igitur aperta et explicata Christi fides priscis vel Hebraeis, vel Gentilibus necessaria erat ad salutem, sed in tecta et complicata satis fuisse praesidii, Theologi magno consensu declarant, auctorem adhibentes Paulum, qui ad Hebraeos scribens (*cap.* 11.): *Oportet*, inquit, *accedentem ad Deum credere, quia est, et inquirentibus se remunerator exsistit.* Quem locum enarrans Thomas: *Gentilibus*, inquit, *qui salvi facti sunt, sufficiebat credere, Deum esse remuneratorem, quae remuneratio non fit, nisi per Christum.* Quam eamdem sententiam in summa Theologiae repetit (2. 2. *quaest.* 2. *art.* 7.) praefatus paulo ante (*quaest.* 1. *art.* 7.) illis Pauli verbis omnium articulorum fidem implicitam contineri. Quae igitur objecisti, ea parum aut nihil videntur obstare, quo minus Ethnici Philosophi, qui Deum esse, et curam gerere rerum humanarum, praemium et poenam pro cujusque merito retribuentem, credentes, recte ex naturae legibus vixerunt, salvi fuisse censeantur, quo in numero vel in primis fuisse Aristotelem non tam ex aliorum sermone, quam ex ipsius scriptis licet existimare. Nam unum esse Deum optimum maximum, quamvis multis nominibus appelletur, multis in locis confirmat, ut in lib. 12. *de prima Philosophia*; et libro *de Mundo* ad Alexand. itemque

que in libro *de motu animalium*, in quo de ipsius immobilitate et summa potentia Jovis nomine memoravit. Eumdemque curam gerere rerum humanarum, et sapientes maxime diligere et remunerari, *Ethic.* lib. 10. (*cap.* 8.) testatur.

Quod vero pertinet ad Aristotelis mores, scio ab ejus iniquis et invidis Stoicis, Epicureisque sinistros quosdam de ipso sermones satos fuisse ad Aristotelicae doctrinae de moribus auctoritatem minuendam, ut cui ingenio et rationibus pares esse non poterant, hunc mendaciis et calumniis oppugnarent, vulgoque persuaderent, Aristotelis vitam ab oratione discrepasse, ab eodemque sua dogmatà contrariis factis, quorum est majus quam orationis testimonium, fuisse damnata. Aristoteles enim, qui omnem de moribus doctrinam ad communem hominum sensum, qui vim habet legis naturalis, et proborum hominum consuetudinem prudentissime accommodavit, summum bonum, de quo est omnis Philosophorum dissensio, in usu virtutis non impeditae collocavit. Hanc enim partim adversa valetudine et calamitatibus; partim inopia earum rerum impediri docuit, quae res adjumenta sunt ad usus vitae tum necessarios, tum etiam liberales. Itaque virtutem in summo bono, quae felicitas quoque nominatur, principem locum obtinere, bona tamen corporis et externa adesse oportere, ne virtus utilibus, aut etiam necessariis adminiculis et quasi instrumentis destituta, infirmior sit ad officia et res praeclaras gerendas. Sed nec sine voluptate vitam beatam contingere scripsit, non quavis, sed ea, quae ex usu et ingenerato habitu virtutis exsistit, iramque, et cupiditatem et ceteros affectus, si modum teneant, non esse a virtute et conditione sapientis

tis alienos, cum in his moderandis virtus moralis sit occupata. Epicurei voluptatem summum bonum esse contendebant, Stoici vero sola virtute vitam beatam metiebantur, etiam si quis vir optimus extrema inopia et maximis calamitatibus urgeatur, reclamante Paulo, qui ad calamitates, quibus Christiani initio nascentis Ecclesiae conflictabantur, intuens, in hanc vocem prorupit: *Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Praeterea nec iram, nec cupiditatem in sapientem, quales se videri volebant, cadere contendebant, ut tacita contemtus rerum humanarum, et divinae cujusdam constantiae et integritatis professione sese vulgo et suam disciplinam commendarent. Ita cum Aristotelis doctrina, et ejus praeceptis a natura ductis, ut Epicureorum libido et dissolutio, sic Stoicorum ineptiae et venditatio cum eorum existimationis jactura a Peripateticis convincerentur, factum est, ut multis ex his duabus disciplinis, quae post mortem Aristotelis invalescere coeperunt, aemuli et obtrectatores ejus exsisterent. Quorum vanitatem et petulantiam Suidas diligentissimus auctor, et idem prudentissimus paucis verbis annotavit in verbo *Aristoteles*, qui cum de calumniis Timaei cujusdam in Aristotelem petulanter jactis memorasset: *Sed is*, inquit, *dum talia jactat, vix hominum numero mihi habendus esse videtur, circulator, petulans, et rabula loquacissimus. Aristoteles enim notarius naturae fuit, cui scilicet natura ipsa scribenda dictabat, et qui calamo intellectum irrigabat, qui nihil fortasse rebus utilibus indigebat: quamquam figmentum refellere majoris artificii est, et supervacaneum.*

Ceterum invidendi calumniandique occasio inde primum Graeculis quibusdam leviculis, et famelicis homini-

Digitized by Google

bus data est, quod Aristoteles a Philippo Rege Macedoniae vocatus, Lyceo relicto in aulam venisset, ibque pro virtutis et doctrinae magnitudine indulgenter fuisset habitus, quasi litterarum studio, in quo solum acquiescebat, et in quo dies ac noctes, ut res ipsa docet, ad extremum spiritum consumens extinctus est, contemto, inertiae sese atque desidiae, et desidiosorum voluptatibus tradidisset. Quorum omnium levitas et impudentissima mendacia valido scriptorum ejus argumento redarguuntur. Tot enim libros Aristotelem in omni doctrinarum genere sapientissime, et cum magna et consentiente hominum approbatione confecisse constat, ut miremur eis elucubrandis unius hominis aetatem suffecisse. Quo declaratur Aristoteles in studio litterarum, et optimarum rerum contemplatione, id est, in optima virtute et divinae felicitatis aemula omnem aetatem consumsisse, jucunditate scilicet laborem minuente, quae, ut periti noverunt, et ipse expertus testatur *Ethicorum* libro decimo, maxima capitur, cum ex omni virtutis habitu et usu, tum maxime intellectivae, ut nec corporeas turpesque voluptates desideraret, nec locum tempusve relinqueret ad eas fruendas, et more desidiosorum consectandas. Nam, ut eodem auctore (*Ethic.* 10. c. 4.) et usu rerum didicimus, ut res maxime placent, sic in eas quisque, et ex eis maxime operatur, voluptate opera perficiente et absolvente, et philosophia voluptates praebet tum puritate, tum firmitudine mirabiles. Cujus Philosophiae, quae et sapientia dicitur, amor in animos rebus virtuti contrariis occupatos, et criminibus contaminatos non cadit: *Quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quod non

Digitized by Google

non solum de divina illa sapientia, quae virtutes omnes, in primisque theologales dictas complectitur, et suggerit, sed etiam de humanitus inventa Philosophia, et maxime morali verissime dicitur. Moralis enim Philosophia, quae latissime patet, pertinetque ad omnes vitae partes, et rerum publicarum, legumque ferendarum rationem, et moralium dogmatum, quae a recta ratione aeternae legis imagine proficiscuntur, cognitio et inventio in vitiosum et intemperantem hominem cadere non potest, cum sit inquinata ejus et mens, et conscientia, ut Paulus ait, hoc est, corrupta ratio, et intellectus obcaecatus, ita ut mala pro bonis judicet, et bona pro malis virtute destitutus. Quae virtus causa est recte de principio, ut ipse Aristoteles docet, existimandi. Principium autem in rebus agendis est finis, ut suppositiones in Mathematicis. Quo fit, ut vitiosus male judicet de fine, qui non solum voluptates corporeas infrenis consectatur, sed etiam maxime consectandas esse corrupta ratione judicat (*Ethic.* 7. cap. 8.) quo morbo qui laborat, is quomodo potest convenienter rectae rationi, a qua ipsius utraque animae pars appetitus, et ratio longe abhorret, philosophari? Et de bonis malisque rebus, quarum norma virtus et vir probus est (*Ethic.* 10. cap. 5. et 6.) recte constituere, et praecepta dare? Praesertim si quis, ut Aristoteles maxime fecit, non alienis vestigiis insistat, sed suo ingenio et judicio nitatur, et alienos errores convincat, cui ex suo de ceterorum bonorum sensu, ad quem omnia moralia praecepta accommodantur, judicandum est et statuendum. Quae omnia cum Aristoteles ex omnibus mortalibus, qui via et ratione naturali philosophati sunt, rectissime et prudentissime praestiterit, non modo non vitiosus, sed

vir optimus et temperantissimus fuisse certissima ratione declaratur, auctore item Augustino, qui in libro de utilitate credendi: *Honestissime*, inquit, *vir bonus fuisse creditur, cujus litteris generi humano posteritatique consultum est.* Quod si Aristoteles affectibus humanis, ut homo erat, nonnumquam cessit, ut saepe cessisse certum habeo, in multis enim delinquimus omnes, septiesque in die cadit justus, et optimus est, qui minimis urgetur; iis tamen, qui longo usu virtutis habitum induerunt, post peccatum poenitentia statim animum subeunte, facilis est ad insitam virtutem receptus, et expeditior in gratiam cum Deo redeundi conatus. Qua in causa si quis validis argumentis non contentus, testes etiam requirit, unum scilicet, qui pro multis sit, producamus Philippum Regem Macedonum, de quo supra mentionem feci, Principem, ut inter auctores constat, gravissimum et prudentissimum, cujus auctoritate, quae omni pondere gravior est habenda, quam omnia malevolorum testimonia, facile ipsorum calumniae convincuntur. Exstat ejus ad Aristotelem epistola, qua se Alexandro filio auctum esse certiorem eum facit, seque diis immortalibus gratias agere profitetur, non tam quod sibi natus sit filius, quam quod Aristotelis tempore natus, a quo educatum eum et doctum se regnique successione dignum evasurum speraret. Qua in re non solum ad ingentem doctrinam, sed multo etiam magis ad probatissimos Aristotelis, et publica fama commendatos mores regem sapientissimum spectasse, ipse suis verbis perspicue declarat. Accedit Plutarchi auctoris gravissimi testimonium, qui de hac ipsa re in Alexandri vita memorans: * *Philippus cernens ingenium Alexandri tale esse, quod*

* In editione Salmanticensi an. 1557. ita versa sunt haec Plutarchi verba: *Cum animad-*

quod cogi omnino nollet, facile autem sermone ad officium faciendum pertraheretur, ipse etiam suadere potius quam mandare ei instituit: musicesque et encycliorum doctoribus haud satis institutionem ejus credens, quam rem majoris negotii futuram arbitraretur, ut est apud Sophoclem, quod frena multa multaque gubernacula desideraret, Aristotelem Philosophorum clarissimum et sapientissimum accersivit; ut filii scilicet mores a turpitudine cohibendo, ad virtutem et honestatem incitando formaret. Quod a magistris non solum ratione et verbis, sed multo magis vita et exemplo recte factorum praestatur: verba enim cum discrepant a vita, ut idem Philosophus ait *Ethic.* 10. non sunt nisi verba, id est, inanis et infirma ad fidem faciendam ostentatio; qualis erat eorum, de quibus Paulus ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

Sed haec hactenus, de quibus libenter feci, ut paulo verbosius loco non alieno memorarem, ut optimo et sapientissimo viro optimeque de mortalibus praesertim nostri ordinis merito, apud te virum probum et doctum, ejusque philosophi in primis studiosum justo adversus invidorum et malevolorum obtrectationes patrocinio gratiam aliquam referrem. Vale. Ex Mariano VI. Idus Maii M. D. LIV.

madverteret Philippus ingenii Alexandri libertatem, qui cogi recusaret, ratione facile ad officium duceretur, ipsi suadendo magis, quam imperando filium instituere tentavit, atque ejus instituendi et erudiendi munus majoris negotii esse ratus, quam musicae et liberalium id genus artium magistris recte committeretur (pluribus enim tum habenis, tum etiam calcaribus, ut Sophocles ait, opus esse intelligebat) Aristotelem, &c.

EPI-

EPISTOLA II.

ARGUMENTUM.

Petro Serrano, a quo monitus erat, ut istis temporibus vitaret paradoxas opiniones, respondet, falsoque de se dissipatum rumorem, quod dogma illud probaret simplicem fornicationem non esse peccatum: qua occasione verbosius agit de suorum invidorum calumniis.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA
PETRO SERRANO DOCTORI THEOLOGO S. P. D.

SCribis ad me, Serrane doctissime, et pro jure nostrae amicitiae mones, ut cautius agam, diligenterque his periculosis temporibus vitem paradoxas opiniones. Admonitio nimirum prudentissima, et ab optimo et amicissimo animo profecta, sed mihi tantopere probata sponte mea, ut jam pridem in hoc maxime sim occupatus, ut dogmata paradoxa refellam, et ea tuear, quae communi hominum sensui, qui sapientibus est pro lege naturae, ac proinde divina, sint consentanea, et quibus omnes homines probi et religiosi, cum res usu venit, factis suffragantur. Quod est multo certius et efficacius cujusque sententiae testimonium in rebus agendis, quam verborum: verba enim cum a vita dissentiunt, ut philosophus ait, non sunt nisi verba. *Ethic.* 10. Quo pertinet illud Pauli ad Titum cap. 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Tu igitur vide, ne quas in meis scriptis opiniones paradoxas vocas, hae insitae sint omnibus hominibus, et publicae mortalium persuasioni, id est, legi naturae congruentes, cujus tanta vis est, ut evangelica praecepta ad mores pertinentia, quae dura esse et paradoxa videntur, a sacris doctoribus interpretatione molliantur, et in eum sen-

Digitized by Google

sensum revocentur, qui communi hominum persuasioni et ceteris moralibus praeceptis, quae ad naturae normam diriguntur, nihil repugnet. Non enim nobis de fide ejusque vocatis articulis sermo est, in quibus oportet, ut verbis utar Pauli, omnem intellectum in captivitatem redigere in obsequium Christi, 2.*Corinth.* 10. Quod igitur pertinet ad morum praecepta, uter magis in paradoxis versari dicendus est, qui ea praecipit, quae mens humana respuit, nullis ingeniosorum hominum acutis magis, quam probabilibus inventis praeoccupata, quaeque pugnant cum proborum hominum communi consuetudine, an qui publicum bonorum morem, qui pro lege naturae est, ut dixi, maxime tuetur? Et suam sententiam tum magnis auctoribus defendit, tum iis rationibus confirmat, quas contradicentes potentissimas et urgentissimas esse confiteantur? Quod amico illi nostro, viro alioquin doctissimo, in eas accidit, quibus ipsi nostram sententiam in causa illa matrimonii citra tamen asserendi temeritatem confirmabamus: qui se non videbat ea confessione, dum aliud ageret, nostram opinionem veram esse, et a nobis demonstratam testificari. Quid est enim suam sententiam in causa morali veram esse demonstrare, si hoc non est? Eamdem potentissimis et urgentissimis rationibus confirmare? Cui confessioni simillimum illud est, quod erat in eadem epistola tua, hujusmodi esse probationes per me in illa altera huic causae finitima quaestione allatas, ut eis nullis nisi commentitiis rationibus possit obsisti.

Quod autem ad te fama perlatum esse addis, dogma illud Theologorum consensu damnatum mihi probari, simplicem fornicationem non esse peccatum; nihil miror, hunc rumorem ab eis auctoribus sparsum esse, a quibus alter

ter multò periculosior, multoque latius patens, unde hic emanavit, dissipatus fuerat, de quo non est hic locus disputandi. Neque vero haec prima fuit istorum calumnia, sed ex alia superiore et impudentiore manavit. Nam cum ego de causa matrimonii difficillima, scis quam dico, Compluti consultus, et me nihil pro certo in responsione asseveraturum praefatus, Eustratii dictum anceps et suspectum, sed parum discrepans a facto Judith sacra historia celebrato, et ab eo, quod ab Augustino de muliere Antiochensi lib. 1. *de sermone Domini in monte* traditur, retulissem; isti de meo sermone et responso, cum rescivissent, pro suo candore et aequitate, quod ego auctori nominatim citato placuisse dixeram, id ex animi sententia a me dictum esse jactaverunt; ex eodem quoque periculum mihi, nisi eis negotium facessere desisterem, per amicos denuntiantes; loco scilicet injuriae ponebant, quod ego in mea sententia de justitia belli barbarici tuenda constanter perseverarem: quam ipsis invitissimis non solum Romae et per omnem Hispaniam, sed etiam per omnem Christianum orbem doctis omnibus, non pertinacibus probavi. Itaque cum veris rationibus me nec per se, nec per amicos calumniarum artifex refellere posset, ibi quoque ad mendacia descendit.

Scripseram ego in libro *de justis belli causis*, et certissima ratione a legibus divinis et naturalibus, decretisque Ecclesiasticis ducta, docueram, jus esse et fas Barbaros novi orbis in Christianorum ditionem a nostris Principibus redigi, non ut bonis et libertate, quod esset injuriosum, spolientur, sed ut barbaris moribus sublatis, et obsistendi Evangelicae praedicationi facultate demta, paratiores fierent ad Christianam religionem excipiendam: isti

Digitized by Google

isti me improborum quorumdam militum, qui deditiorum Barbarorum bonis per injuriam et avaritiam direptis, ipsos in durissimam servitutem redigebant, patrocinium suscepisse, non voce modo, sed excusis etiam libris impudentissimis et turbulentis, ut de insana, ne dicam impia doctrina taceam, prodiderunt, ut meum scilicet librum infamarent, in quo ipse clarissimis verbis censere me conscripseram, in eosdem milites severissime, ut in latrones et plagiarios esse vindicandum. Quin etiam contentionis initio, ne quem calumniae lapidem immotum relinquerent, per omnem regiam aulam, et apud omnes regiorum consiliorum senatores singulos adeuntes et appellantes rumorem dissiparunt, me ad eum librum conficiendum animum appulisse, non quod ita sentirem, ut scribebam, nec officio et pietate ductum, quemadmodum praedicarem, ut gentis nostrae nostrorumque Principum, quos ipsi non malitia, tyrannidis nomine, sed per errorem, et ipsorum optimi juris ignorationem infamaverant, existimationis in sua justissima causa patrocinium susciperem; sed mercede conductum, ut venalem scribendi operam quinque aut sex ducatorum aureorum millibus locatam latronum ducibus praestarem. Deinde cum parum proficerent, et flagitiosum impudentissimumque mendacium, ut erat tum per se improbabile, tum auctoris notissima versutia et vanitate suspectum, nemini persuaderi animadverterent, hoc omisso, ad alias artes aliaque figmenta confugerunt. Sed haec vetustiora.

Illud recens, quod tibi notum esse oportet, et mihi nuper ab amico viro gravi et docto perscriptum est, rumorem Compluti a meis obtrectatoribus sparsum increbuisse, me a vindicibus haereticorum, quos *Inquisitores*

Digitized by Google

nominamus, vocatum retentumque fuisse, ut rationem redderem quorumdam locorum in meis scriptis suspectorum. At me nulla ex parte hujusmodi suspicionibus obnoxium sciunt omnes, non solum Cordubae, cum adsum, ab Inquisitoribus viris doctissimis et gravissimis, sed etiam cum ad aulam regiam commoramur, ab ipsis regii tribunalis summae auctoritatis judicibus ad dubias haereticorum causas cognoscendas cum aliis probatae fidei atque doctrinae Theologis adhiberi solitum: tantum abest, ut de me meisque scriptis sinistrum aliquid viri gravissimi et sapientissimi suspicentur.

Sed de meorum iniquorum calumniis hactenus, de quibus ut paulo verbosius tibi rescribens commemorarem, me impulit locus epistolae tuae de simplicis fornicationis calumnia, ut his rebus omnibus cognitis, etsi bonam partem tibi aliunde cognitam esse non dubitabam, et ipse intelligas, et pro tua in me mutua benevolentia ceteros admoneas, si quid tale de me jactatum fuerit, nec temere rumoribus esse credendum, et de mea sententia, non ex malevolorum per calumniam sato sermone, sed ex meis incorruptis scriptis statui oportere. Ceterum quod malevolorum et iniquorum meorum saepe mentionem feci, nolo te putare meam querimoniam ad plurimos pertinere. Nam ut in causa belli barbarici pauci, et hi forsitan non ex animi sententia, certe sine acerbitate a me de veritate dissentiunt; sic ad calumnias paucissimi descenderunt, hoc est, unus aut alter, sed qui pro multis sit versutia et loquacissima vanitate. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA III.

ARGUMENTUM.

Michaëli Metinae, Franciscano, ostendit, locum illud Aristotelis, Laudabile est inimicum ulcisci potius, quam reconciliari, *contra aliquorum opinionem, non abhorrere a Christianis institutis, et in fine de loco animae rationalis disserit.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA MICHAELI METINAE, MONACHO FRANCISCANO, S. P. D.

Nihil miror, venerande pater, te, qui monastica vita et instituto religioso morum perfectionem et injuriarum tolerantiam profiteris, verbis Aristotelis offendi, quibus laudabilius esse tradit injurias persequi, quam in gratiam cum inimicis redire, idque viri fortis officii rationem postulare. Quo praecepto Aristotelem nullum veniae ac misericordiae locum apud virum fortem relinquere, tibi videri scribis, et quid de hoc sentiam, per epistolam percunctaris. Ad quam quaestionem non ex tempore, quae in mentem venerint, sed meditata respondebo, ea scilicet, quae jam pridem respondi, cum Alexius Venegas, vir non solum humanioribus litteris in primis eruditus, sed etiam in studio Theologiae versatus, Madritii apud me in colloquio familiari, et eodem litterario, cui Honoratus Joannes vir nobilis et doctissimus aderat, id ipsum Aristoteli me quoque eadem ratione perstringens objecisset: is enim, cum in Aristotelis mentionem incidissemus, me hujusmodi oratione compellavit. Quid tu, inquit, qui Aristotelis praecepta, velut naturae ipsius oracula proferre soles, perstasne in sententia, ut Aristotelicam doctrinam, cum de virtutibus agitur et con-

contrariis vitiis, maxime convenire putes cum Christiana philosophia? At ego multa in eo philosopho praecepta notavi, quae longissime abhorrent a Christianis institutis, quale illud in primis est, quod primo de *Rhet.* ad Theodectem libro scriptum reliquit. *Laudabile est*, inquit, *inimicos ulcisci potius, quam reconciliari. Nam malum pro malo reddere justum est, et omne justum laudabile. Praeterea fortis est, invictum esse.* Et addit: Evangelica Christi doctrina inimicos diligere nos jubet; Petri, Paulique praecepto malum pro malo reddere vetamur; Aristoteles tuus simultatem alere, injuriasque persequi jubet, et malum pro malo reddere, magnae virtutis opus esse confirmat.

Haec igitur doctrina, quae impia sibi et nefaria esse videretur, quomodo cum vera et Christiana philosophia non pugnet, me, si possem, docere jubebat, aut temperantius agere in studio Ethnici philosophi, ne falsis et impiis ejus dogmatis, per Philosophiam scilicet et inanem fallaciam, quod Paulus monet, decipiamur. Ad haec ego summatim voce, quae mihi visa sunt, postridie autem scripto latius explicatis rationibus respondi. Cujus meae disputationis summa paucis repetenda tibi ad eamdem quaestionem respondebo.

Nec ibo inficias, me Aristotelem tanti facere, ut eum naturae interpretem mortalium omnium sagacissimum, id est, philosophorum facile principem fuisse putem, sed ita, ut eum hominem fuisse meminerim, quem multa ignorasse sit necesse: illud tamen affirmo, quae Aristoteles non viderit, in quibus rebus elaboravit, haec ut acie ingenii a natura tributa quisquam videat, lynceum esse et omnium oculatissimum oportere. Hoc autem, quod a vobis objicitur, refellere, et doctrinam, quae vobis a do-

Digitized by Google

dogmatis Christianis tantopere videtur abhorrere, tueri, si aequi esse volumus, non erit fortasse difficile. In qua quaestione illud in primis meminisse oportet, praecepta de injuriis patienter ferendis, et inimicis diligendis, quae Evangelicis et Apostolicis scriptis traduntur, et cetera id genus, non ad communem vitam et morem popularem, sed ad sapientium perfectionem, vel ad cujusvis animi praeparationem, ut Augustinus docet, pertinere. Sic enim Christianum animatum esse oportet, ut si hoc ratio caritatis poscat, injurias patientissime ferre non sit recusaturus: hoc autem si absit, nec pietatis ratio ac humanitatis adhortetur, injurias persequi, et auctores ulcisci, nec a Christianis institutis abhorret, nec aeternae legi est alienum. Illorum igitur Aristotelis verborum non ea vis est, ut eo auctore laudi detur, si quis odium aut iram explendi causa inimicum ulciscatur, eidemque illatae injuriae poenitenti et veniam suppliciter poscenti sese praebeat inexorabilem: haec enim longe aliena sunt ab ejusdem philosophi doctrina, et magnanimi fortisque hominis officio, quem ipse *Ethicorum* libro quarto facile injuriarum oblivisci docet his verbis, οὐδὲ μνησίκακος, ȣ̓ γὰρ μεγαλοψύχȣ τὸ ἀπομνημονεύειν, ἄλλως τε κακά, ἀλλὰ μᾶλλον παρορᾶν. Non igitur trucem et inexorabilem animum gerere, quod barbarum est et inhumanum, Aristotelis approbatione commendatur, sed fortem et constantem esse in hominum superborum et violentorum injuriis tum in se, tum in ceteros bonos, aut etiam in Rempublicam illatis vindicandis et coërcendis. Nam ut poenitentibus et supplicibus veniam pernegare pusilli animi est, et a Christiana philosophia et humanitate penitus aversi; sic illud justitiae magnaeque virtutis injurias persequi potius,

quam

quam injustis et insolentibus hominibus remittere, quorum importunitas, nisi coërceatur, eisdem, quos semel laeserint, periculosa sit, aut etiam spectet ad Reipublicae malum. Talibus enim hominibus malum pro malo reddere, justum est et Reipublicae salutare, cum impunitas ac indulgentia pravis hominibus, ut ait Ambrosius, invitamentum sit peccati; tales enim proprie inimici dicuntur, aut hostes, non qui poenitente animo parati sunt de injuriis satisfacere. Nec interest, cives sint, an externi, nisi quod in alteros legibus, in alteros justis armis vindicatur. Nam justa bella, ut ait Augustinus, definiri solent, quae injurias ulciscuntur.

Ceterum injurias aliter Princeps seu magistratus, aliter privatus persequitur: ille, *qui*, ut verbis utar Pauli, *minister Dei est, vindex in iram ei, qui malum agit*, per se, et sua, quae eadem est Reipublicae, auctoritate; privatus autem praesidio legum, et Principis officium implorando; uterque ex lege divina et naturali, qua injustorum superborumque crimina, ne bonis amplius et Reipublicae noceant, justissime vindicantur. Itaque hujusmodi vindicationes ad inimici non malum, praeterquam ex accidente, sed emendationem et coërtionem, nec ad explendam iram inferendo dolore, sed magis ad suum, suorumve aut etiam Reipublicae periculum depellendum, denique ad impendentium injuriarum propulsationem, et jure naturali concessam defensionem spectant, ut pravi homines et violenti, qui fere venia et facilitate, ut dixi, quam saepe ignaviam esse interpretantur, ad novas injurias invitari solent, timore deterreantur, aut eisdem per justam necem peccandi potestate sublata, bonorum et Reipublicae saluti, otio et tranquillitati prospiciatur. In quam sententiam

Digitized by Google

tiam a Thoma secundi libri secunda parte (quaest. 108. art. 1.) prudentissime, ut solet, disputatur. Tunc igitur inimicos constanter ulcisci Aristoteles probare censendus est, cum injurias negligere, et cum superbo inimico in gratiam redire, turpe esset ac vitiosum, ut est, si temere fiat et ignave, et cum certo bonorum, aut etiam Reipublicae periculo. Nam odium non quidem injustitiae et criminis, pravorumque morum, sed hominis animo deponere, semper ratio postulat non religionis Christianae solum, sed etiam humanitatis.

Quod deinde quaeris de loco animae rationalis quid sentiam, num eam putem totam singulis corporis partibus adesse, an corde dumtaxat, ut Aristoteles innuere videtur, contineri, ego a Thomae hanc quaestionem primae partis, quaest. 76. art. 8. disserentis sententia non abhorreo: qui non modo rationalem, sed etiam cujusvis perfecti animalis animam totam esse docet in toto corpore, et totam in quavis parte, totam autem, id est, secundum omnem sui perfectionem et essentiam, non autem secundum omnem dimensionem, cum sit expers quantitatis, nec secundum omnem virtutem et potentiam: sic enim tota est in toto, et pars in parte, in oculo exempli gratia, secundum videndi virtutem, in auribus secundum virtutem audiendi. Ceterum in corde, ut in principe instrumento non movendi solum, sed etiam sentiendi. Quapropter idem Philosophus in libro *de motu animalium* in corde animae sedem esse dicit, scilicet ut in primo et communi sensorio, primoque instrumento cetera membra totumque animal movendi. Vale.

EPI-

EPISTOLA IV.

ARGUMENTUM.

Eidem Michaëli Metinae respondet, quid sentiat de ista quaestione, quae Compluti magna contentione disputata fuerat: Num fas sit homini Christiano, ut amici saluti consulat, mortem, quam vitare possit, oppetere.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
MICHAELI METINAE, MONACHO FRANCISCANO, S. P. D.

MAgna nuper contentione Compluti disputatum fuisse scribis inter viros eruditissimos, et Theologiae proceres: Num fas sit homini Christiano, ut amici soluti consulat, mortem, quam vitare possit, oppetere: aliis jus naturae urgentibus, quae non patitur, ut cuiquam alter carior sit, quam ipse sibi; aliis contra haec doctrinam evangelicam, et Christi exemplum allegantibus. Nam Evangelio Joannis (c. 15.) ea caritas maxime commendatur, si quis animam suam ponat pro amicis suis, et Christus pro genere humano sponte mortem subivit, *Oblatus est enim, quia ipse voluit*, (Esaiae 53.). Cujus exemplum sequendum nobis esse, docet Joannes idem alio in loco (1. Joan. 3.) cum ait: *Deus animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* Atque haec quidem scribis, et utra mihi sententia magis probetur, exquiris.

Obsequar igitur voluntati tuae, atque eo minus gravate, quod licet magni negotii sit, doctissimorum hominum controversiam vero statuendo dirimere, tamen utra mihi sententia magis placeat, subjectis rationibus explicare, non fuerit ita difficile, nec te longiore sermone tenebo, quam modus epistolae patiatur. Illud autem in

Digitized by Google

in primis constitutum esse debet, nullam legem evangelicam, quae quidem mores attingat, a jure naturali discrepare. Nam, ut omnia vera inter se concinunt (*Ethic.* 1.) sic omnium justarum legum magna quaedam est inter ipsas convenientia: quo fit, ut lex nulla possit esse justa, quae discrepet a jure naturali. Nam etiam in temporali lege, ut ait Augustinus (libro 1. *de libero arbitrio*) nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege aeterna homines derivaverint, per legem scilicet naturalem, quae ipsius imago est in cordibus hominum impressa. Ceterum multas esse causas, cur vir fortis certum mortis periculum pie pro aliis et cum laude subeat, nemo ignorat: nam pro patria et republica, quo pertinet exemplum Christi, qui pro genere humano mortem oppetivit, et pro religione vir probus et fortis, si officium poscat, mori non recusabit, ut plerique pro patria pugnantes, et plurimi martyres pro religione fecerunt, nam bonum hoc majus est et magis asciscendum, quo pertinet ad plures (*Ethic.* 1.) item pro parentibus, qui jure naturae cariores nobis esse debent, quam nos ipsi, ut docent Philosophi (*Ethic.* 9. cap. 2.) Eos quoque vel cum periculo vitae nostrae temporalis defendere fas est, qui nostrae fidei commissi sunt, praesertim in ipsorum animae periculo. Nam socii sive proximi animae salutem saluti sui corporis anteferre, pietatis esse, consensus est Theologorum, et evangelico praecepto de boni pastoris officio docemur, nec id munus potest sine scelere praeteriri. Quin etiam ignotum hominem armis ab injuria tueri, si possis, quod plerumque non sine periculo fit, ad officium pertinere, Ambrosius docet exemplo Mosis (*Officio. libro* 1.) Alia ratio est, si quis amicitiae

Digitized by Google

dumtaxat gratia, nullis aliis gravioribus rationibus adhortantibus, mortem subeat, quo alterius saluti consulat, ut de Pylade et Oreste tragici Poëtae, ut est apud Ciceronem in libro de *Amicitia*, memorant, quorum amicissime facta cum in scena proferuntur, admirationem magis imperitae multitudini movent, quam a viris gravibus id umquam in homines sanos cecidisse creditur, aut justa laude dignum esse existimatur, cum fieri non possit sine ordinis naturalis perturbatione, quae vetatur aeterna lege, ut docet Augustinus, estque ab ordine caritatis aversum, ut alterum plus animo vel opere diligas, quam te ipsum. Nobis enim nostra vita et salus, nostraque commoda, quam aliena, cariora esse debent jure naturae, exceptis Deo et parentibus, quorum caritas late patet, et est cum religionis patriaeque et reipublicae dilectione conjuncta. Nam suas facultates minuere, et alterius commodis liberaliter, cum res poscit, servire, non est alterum opere plus, quam se diligere; nec idcirco vacat culpa, quod de rebus, quarum domini sumus, liceat nobis arbitratu nostro constituere, cum id fiat sine alterius injuria, ut nuper quidam magni nominis Theologi non solum de pecunia temere profusa, sed etiam de fama sua a se consulto laesa, falso prodiderunt: idque Ambrosii perperam, ut equidem certum habeo, et in ipsius magnam injuriam conficto exemplo confirmare nituntur, quem, ascitis domum meretricibus, se ipsum infamare conatum esse imprudentissime, nescio quis, si non etiam calumniose commentus est, ne Mediolanensis Episcopus propter bonam famam invitus constitueretur: non animadvertentes in exemplo, quod probant, et similibus infamiam per falsa crimina, et pernicio-

Digitized by Google

ciosa, non verborum, sed factorum mendacia stultissime, ne dicam impie, et contra caritatem sui et reipublicae quaeri. At licet cuique rebus suis, ut velit, uti: fateor, non tamen temere prodigorum et amentium more, sed ad normam virtutis, ut faciunt liberales, et intra fines honestatis et prudentiae, quos non sine culpa et delicto transieris. Nam quod ajunt, si quis volens suam pecuniam profundat, vel famam violet, facto omnem injuriam abesse, quippe quae volenti non infertur (*Ethic.* 5.) ac proinde peccatum, dupliciter opinione falluntur. Primum sine injuria fieri putant, quod fit cum injuria reipublicae, cujus interest, ne quis re sua male utatur. (*Qui sint sui, vel alieni juris* Inst.) Deinde neminem peccare existimant sine alterius injuria, quod tamen saepe intemperantes faciunt et incontinentes. Dilapidator igitur rerum suarum, aut etiam famae violator sibi injuriam non facit, tamen sibi temere nocet, ac magnarum virtutum instrumenta adjumentaque stultissime profundit: ita cum faciat contra caritatem, graviter peccat; a qua temeritate et jactura procul abest liberalis, qui rei familiaris detrimentum cum longe majore commodo humanitatis pietatisque et bonae famae compensat. Pro altero igitur mortem oppetere amicitiae dumtaxat gratia, contra jura humanitatis esse opinor, et legem tum Evangelicam, quae jubet proximum tamquam se ipsum diligere, id est, secundum se, et aeternam, quae ordinis naturalis perturbatione violatur. Cujus sententiae auctorem habemus Augustinum, qui in libro de *Mendacio* (cap. 5.) *Pro vita*, inquit, *temporali proximi si quis suam ipsius temporalem perdat, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quam se ipsum*, quod sanae doctrinae regulam excedit,

hoc autem ſic accipiendum eſt, niſi forte amicus is eſſet, in cujus diſcrimine reipublicae ſalus ageretur, ut Rex, vel exercitus ductor: tunc enim officium non tam amico, quam toti reipublicae praeſtaretur. Vale.

EPISTOLA V.

ARGUMENTUM.

Joannem Cordubam Eccleſiae Cordubenſis Decanum laudat, quod aedes, quas in Jeſuitarum coenobium et publicos ſtudioſorum uſus dicaverat, novis ornamentis decorarit, eumque inſtruit de patria Ariſtotelis et Quintiliani, quos Cordubenſes putabat.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

JOANNI CORDUBAE, ECCLESIAE CORDUBENSIS DECANO, ET ABBATI RUTENSI, S. P. D.

NUper amicorum litteris certior factus ſum, te magnificas aedes, et magnis a te impenſis Cordubae aedificatas, quas in Jeſuitarum optimorum et religioſorum hominum coenobium, et publicos ſtudioſorum adoleſcentium uſus pro tua inſita liberalitate et magnificentia dicaveras, novis ornamentis decorare, et eam partem, quam tibi habitandam reſervaſti, virorum ſcientia clarorum, quos Corduba tulit, imaginibus cum elogiis illuſtrare: ſcilicet ut eorumdem adoleſcentium animi propoſitis exemplis ad majorum ſuorum induſtriam et gloriam aemulandam magis excitentur: qui nuntius pergratus perque jucundus mihi fuit. Nam me cum omnia virtutis documenta delectant, tum ea maxime, ſi qua in patriae decus a meis civibus eduntur. Nam ego quoque me φιλόπατριν eſſe profiteor. Sed ut hoc tuum factum inſtitutumque laudo et amplector, ſic officii mei eſſe duco, ut te horter, id quod eſt gravitatis et prudentiae tuae,

ut

ut in congerendis talibus viris nostrae civitatis alumnis ne cupidius agas, neve committas, ut studio et nimia patriae caritate inductus, aliena invadere videaris. Audio enim te testimonia nescio quorum haud prorsus repudiare, qui Aristotelem etiam, non modo Quintilianum, Cordubensem fuisse somniarunt, idque memoriae prodiderunt. Quamquam de Quintiliano, si erratum est in eo, facilius fuerit veniam ab aequis judicibus impetrare, quippe cujus et patria ignoratur, et de natione non satis constat inter eruditos. De quo Hieronymus adversus Vigilantium Calagurritanum scribens, ipsum quoque Quintilianum Calagurritanum fuisse innuit. Laurentius Valla, ut erat Romanus, et Quintiliani studiosissimus, Italum eumdem et civem suum fuisse contendit, publica tamen persuasio nostrae nationi Quintilianum attribuit; cui persuasioni Eusebius Caesariensis suffragatur, dum Quintilianum ab Imperatore Galba ex Hispania scilicet, ubi fuerat imperium adeptus, Romam perductum fuisse in libro de temporibus memorat. Nihil igitur mirum est, exstitisse ex nostra civitate, qui communem opinionem secuti, Quintilianum per Hispaniam incertis sedibus vagantem in suam urbem Senecarum, Lucani, Gallionis illius aequalium, et multorum praeterea superioris et inferioris aetatis doctissimorum virorum patriam recipiendum, et Cordubensi civitate donandum putarent, cum de Homeri poëtae natali solo septem urbes contendant,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenae,

quarum urbium sibi quamque ceteris repugnantibus Homerum pro suo cive vindicasse constat.

Ari-

Aristotelem autem Stagiritam fuisse, quae urbs, auctore Suida, Thraciae est, omnes eruditi consentiunt, et vulgatissima ipsius operum inscriptio declarat. Ut enim Apelles Cous, Democritus Abderita, Thales Milesius a patria, sic Aristoteles Stagirita vetustissima et constantissima doctorum consuetudine nominatur. Aristotelem igitur cum bona gratia dimittamus, et in Thraciam Graeciamque mandemus: aut si retineri placeat, ut sapientium a te institutum chorum illustret sua claritate, vel eo nomine, quod philosophi Cordubenses fere hoc duce tantos in philosophia fecere progressus, ut hospes erit, non ut civis, sed in locum honoratissimum, qualis coryphaeo philosophorumque principi convenit, recipiendus. Quod vero ad me attinet, quem ipse dum tuae in me ornandum, meamque dignitatem augendam propensae voluntati indulges, in tantorum virorum numerum et chorum pro tua largitate retulisti, tibi gratiam etiam habeo, hoc enim major est tua in me ornando liberalitas, atque etiam quo minus meo merito hoc mihi tribuis, quod ego nec agnosco, nec postulo, vel equidem tali me dignor honore. Tu igitur vide, ne dum in augenda unius amici atque clientis fama, idque ante mortem, quae solet invidiam exstinguere, prodigus es, restrictior in alios esse videaris, et multorum animos offendas. Sunt enim non pauci, qui aliorum laudibus suas minui putant, et alienae virtutis et industriae commendatione ita cruciantur, quasi eadem sit ipsorum ignaviae et vitiorum exprobratio. Vale. Ex nostro Putalbano secessu VII. Kalend. Octobris. M. D. LV.

EPI-

EPISTOLA VI.

ARGUMENTUM.

Joannes Corduba Genesio Sepulvedae gratias agit, quod se de Aristotelis patria instruxerit, et reddit causam, quare ipsum adhuc vivum reliquis virorum clarorum Cordubensium imaginibus praeposuerit.

JOANNE CORDUBA,

ECCLESIAE CORDUBENSIS DECANUS, ET RUTI ABBAS.

JOANN. GENESIO SEPULVEDAE S. P. D.

Litteras tuas, vir undecumque doctissime, non minus benevolentiae, quam eruditionis et humanitatis plenas maxima cum laetitia accepi, quibus ita sum delectatus, ut nostrae necessitudini, cui nullam posse fieri accessionem arbitrabar, hoc tui amoris tum in me, tum etiam in patriam testimonio maximum cumulum accessisse confitear, quod te tantum virum amplissimis et Caesaris invictissimi, et Christianae reipublicae negotiis occupatum, mearum et patriae rerum ita satagere videam, ut inter haec ipsa tanti ponderis negotia, me quoque eorum, quae aut quorumdam auctoritate ductus, aut nimio patriae illectus amore forsan errassem, humaniter admonendum curares. Quam quidem amantissimam admonitionem eo animo accipio, ut vel hoc nomine me plurimum tibi debere sentiam, et patriae nostrae, quae te tanta sapientia clarum veluti ducem nobis tribuit, vehementer gratulandum censeam. Tuis autem litteris responsurus, etsi me longe imparem cognosco, tamen ne inhumanus videar, si a tanto viro provocatus prorsus obticuero, illis, ut potero, ordine respondebo.

Quod nostram erga societatem Jesu liberalitatem jucun-

cundam tibi fuisse dicis, valde laetor. Nam etsi erga illius religionis viros propter eximiam ipsorum pietatem eum affectum indui, ut numquam me hujus facti poenitudine capiendum putem; tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus fideliterque suadentibus idem videri. Quod autem in accumulandis viris, quorum imagines in hujus nostrae domus penetralibus depingendas curavimus, tum ut tantos viros nostrae Cordubae amplissimum ornamentum ab oblivionis injuria, quoad ejus fieri posset, liberaremus, tum etiam ut juventuti nostrae ad consimilia studia amplectenda stimulos adderemus, erratum a nobis scribis: sic habeto, nos veterum historiarum aliquantum rudes, utpote qui in aliis studiis vitam consumentes, parum huic invigilavimus, quorumdam virorum alioqui doctissimorum auctoritate persuasos, philosophorum principem Aristotelem inter Cordubensium imagines ut Cordubae prolem depinxisse, nulli injuriam fieri ratos. Tantum namque omnium scientiarum torrentem ex uberrimo ingeniorum fonte Corduba matre nostra manasse non improbabile videbatur. Nunc autem quando has opiniones minime tibi probari video, in melius sententiam mutare statui. Tanti enim est apud me tua auctoritas, ut te auctore non dubitem, Quintiliano, qui dubius de paterno solo per alienas sedes errabat, in hospitium civitatemque recepto, peregrinum Aristotelem in sua Stagira remittere. Nihil enim necesse habemus, Cordubam suo splendore satis illustratam, luce lucere aliena. Praesertim cum facta jactura in ejus imagine citra magnum negotium, et cum lucro resarciri possit, elogio, quod Aristotelem falso indicabat, in laudem Avempaces mutato, ut quae figura an-

Digitized by Google

antea Stagiritam Aristotelem adulterino titulo Cordubensem faciebat, ea nunc errore expulso nostrum Avempacem, quem propter rei ignorationem humi jacere patiebamur, veris litteris repraesentet. Ita fiet, ut tua admonitione Stagira, quae per errorem a nobis spoliata erant, suum retineant alumnum, et patria nostra jam pridem temporum injuria amissam recuperet prolem, amplissimumque filiorum chorum feliciter foveat.

Cui choro quod te viventem adhuc tamquam agonothetam praeposuimus, id non immerito, nec sine exemplo fecimus, sed Asinium Pollionem principem oratorem, et principem civem Romanum, ut Plinius septimo *Historiae naturalis* libro ait, secuti, qui in bibliotheca, quae prima in orbe ab ipso de manubiis publicata Romae est, Marci Varronis unius viventis imaginem inter veterum scilicet sapientium statuas posuit. Non est igitur, quod invidorum tuorum sermonem, de quo pro tua modestia scripsisti, extimescamus. Nam tu invidiam magnitudine doctrinae et eloquentiae, ut de ceteris tuis singularibus virtutibus et vitae honestate et gravitate taceam, vicisti. Invidia enim aut inter aequales, aut inter eos, qui se exiguo discrimine superant, suam potentiam extendere solet. Tu vero tantum inter ceteros tuae professionis viros caput extulisti, *quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Ita scilicet, ut ex magno hujus aetatis proventu, et omnis generis doctissimorum virorum frequentia ipse in Theologia paucissimos, in reliqua philosophia et eloquentia parem habeas neminem. Itaque si Marcus Varro, ut Quintilianus testatur, habitus est Romanorum doctissimus; tu non solum Cordubensium, sed etiam Hispanorum constante eruditorum ex omni natio-

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

ARGUMENTUM.

Petitioni Gasparis Castri de studiis suis, de ratione vivendi, de familia satisfacit, item quomodo tribus sacerdotiis, cum nulli praesens sit, praeesse possit.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

GASPARI CASTRO SUO S. P. D.

MAgnas nuper Andreas meus apud me tibi gratias egit, quod Ledesmae hospitio receptus, et indulgenter a te habitus, atque in negotio de Archipresbyteratu, in quod missus a me fuerat, conficiendo et expediendo ope et consilio fuerit adjutus. Nam quae officia tu nostrae veteri necessitudini praestitisti, iis optimae indolis adolescens se tibi non minus, quam me obligatum esse constituit. Idem de tuis virtutibus et religione mihi non ignaro quidem, sed libenter audienti commemoravit. Nec silentio praeterivit, te curiosius non modo de meis studiis, sed etiam de vivendi ratione ex se conquisivisse, quam essem assiduus in re divina, quae *missa* dicitur, facienda, quantam familiam alerem, et quomodo me ceteris in rebus officiisque gererem. Illud etiam liberius exquisivisse, cujus a me rationem idem tu per litteras quoque pro cetera ingenii tui libertate et jure nostrae veteris amicitiae poscis, qua securitate faciam, ut cum tribus sacerdotiis cum animarum cura praefectus sim, nulli tamen praesens assiduam operam impendam. Quibus ille percunctationibus idcirco satisfacere non poterat, quia nondum ei per aetatem primum, deinde per studia litterarum, quorum causa diutius abfuerat, meam domum frequentare li-

licuerat, nec mihi eodem familiariter uti, qui paucis ante diebus, quam ad vos proficisceretur, domum redierat. Quae me res hortatur, ut tibi non ad epistolam solum, sed etiam ad interrogata respondeam, atque eo magis, quod, ut ex eodem accepi, simul adjecisti, te quominus ille ad me tuum de his rebus sermonem perferret, nihil impedire.

Ceterum quod de studiis quaeris, nihil novi est quod ad te scribam, in eisdem enim non invitus versor etiam nunc, quae me Romae libenter tractare jam pridem, id est, ante annos viginti videbas, (tamdiu enim qui multos annos officiis et consuetudine conjunctissimi simul vixeramus, locorum intervallo distinemur) nisi quod gravioribus doctrinis aliquid temporis subducere cogor, ut conscribendae historiae muneri, mihi a Carolo Caesare injuncto satisfaciam. De re divina, hanc mihi Mercurii et Veneris, festisque diebus facere quasi legitimum est, nisi forte impedior adversa valetudine. De familia quod quaeris, haec mihi viginti amplius domesticis constat, partim ad usus vel necessarios vel liberales administris, partim propinquis, quorum quidam in sacerdotiorum ipsis a me traditorum ministerio sunt occupati, alii studia litterarum aemulantur, quibus alendis, et officiis, quae pauperibus debentur, praesertim consanguineis, qui etiam ab invitis ea sacerdotibus extorquere solent, et ceteris necessariis et personae convenientibus sumtibus cum satisfeci, crede mihi, parum ex annuis fructibus fit reliquum: quo non ad ambitionem, sed ad humanitatem et pietatem uti cogito, ut moriens pio et optime de me merito fratri aliquid relinquam, quo se commodius alat, et sacrificulo Deum certis diebus perpetuo munere nostris animis placaturo impartiatur. Quod

Digitized by Google

Quod autem sacerdotiorum multitudine offenderis, non ego tribus cum animarum cura, ut perperam tibi persuaseras, sed uni dumtaxat praeeram, antequam mihi nuper iste Archipresbyteratus obveniret, et illo me propediem abdicare moliebar, cujus rei gratia litteras cum mandatis, diebus superioribus Romam miseram. Quod vero meam praesentis assiduam in loco sacerdotii curam requiris, ejus muneris vacatio mihi per Pontificis Maximi privilegium data est, dummodo officio per vicarium idoneum satisfaciam. Qua libertate non ad inertiam et socordiam abutor, scis enim, quam inquies mihi animus sit a natura tributus, quamque opere pascatur, nec ad venationem aut ludum, ut quidam, negotiave saecularia, quibus Paulus clericos implicari vetat, obeunda, sed utor ad studia litterarum a bono publico non abhorrentia, in quibus solis acquiesco. Quae immunitas si iis jure Pontificio conceditur, qui ad publica gymnasia discendi gratia conveniunt: quanto causatius concessa iis videri debet, qui in studiis ad publicam commoditatem pertinentibus dies noctesque non inviti consumunt, et ob eam rem secessus ab interventoribus vacuos studiose consectantur?

Haec tuis severioribus, sed ab optimo et, ut certum habeo, amantissimo animo profectis monitis, et litteris provocatus ad te scripsi, et vitae institutique mei rationem tibi poscenti non gravate reddidi. Est enim mihi pergratum, tibique ingentem habeo gratiam, quod me libere, ut amicos decet, mei officii admones, nequa forte obrepat oblivio, vel negligentia, et res meas, aestimationem, et utramque salutem tibi esse curae prae te fers, et certo documento declaras. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

ARGUMENTUM.

Jacobi Symanchii J. C. librum de catholicis Institutionibus *commendat, quem nulli invidiae ait obnoxium, cupitque ab eo saepius ad se litteras scribi.*

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JACOBI SYMANCHIO, J. C.

EX VALDOLITANI CONVENTUS JUDICIBUS, S. P. D.

Librum tuum de *catholicis Institutionibus* libenter legi, meque multa in eo scitu dignissima diligenter a te et prudentissime collecta, et doctissime disputata videre delectavit. Quibus non solum tui jure periti, qui errata et delicta in haereticis et impiis emendandi, et vindicandi officio praesunt, sed etiam Theologi nostri, qui solent ab eis, cum res poscit, in consilium adhiberi, magnopere juvari queant. Cujus rei causa mihi librum eumdem non negligenter iterum et saepius legendum puto. Quae tua scripta cum meis mihi conferenti, tum aliis rebus, tum propterea meliore conditione esse visa sunt, quam mea, quod tu nullos habes adversarios, qui eisdem de rebus aliter scripserint; mihi nescio qua mea sorte raro desunt obtrectatores et aemuli, quorum quidam mihi negotium exhibuerunt ob id ipsum, ut probe nosti, quod aliqua, non equidem sic me Deus amet, contentioni aut ambitioni serviens, sed veritatis investigandae gratia diligenter pro rei magnitudine conscripseram, sententiam secutus ab eo diversam, quod ipsi vel ipsorum amici scriptis aut sermone docuerant. Quibus molestiis quod ipse vaces, et liber tuus doctis et catholicis acceptus, in nullius praeterquam haereticorum offensionem

nem cadere possit, vobis etiam atque etiam gratulandum puto.

Haec ad te scripsi, ut tantisper tecum per litteras, quod libenter facio, colloquerer, teque simul provocarem, ut ad nos rescribas. Erit enim pergratum, ut maxime quidem de valetudine ceterisque tuis rebus, sed simul etiam si quid novi istuc ab aula Imperatoria vel Regia fuerit allatum, nos certiores facias. Quamquam enim Franciscus Symanchius frater tuus, vir optimus et gravissimus, Canonicus quidem et Archidiaconus Cordubensis, sed episcopatu dignissimus, qui a te frequenter fit certior, nobis exquirentibus laeta de te, et quae volumus, respondere solet, tamen eadem ex tuis litteris intelligere, nobis erit gratissimum. Vale, Corduba.

EPISTOLA IX.

ARGUMENTUM.

Purgat se Guilielmo Malinaeo, quod tam sero ad eum scripserit, propter incommodam valetudinem, cujus caussam itineris Hispanici difficultatibus ascribit: eumque certiorem reddit de recuperata valetudine, post quam statim Jo. Sleidani commentarios a Lud. Avila ad se missos perlegit, de quibus suum judicium subjungit.

JOANN. GENESIUS SEPULVEDA

GUILIELMO MALINAEO SUO S. P. D.

NOlim, optime et doctissime Guilielme, ulla mea vel oblivione tui, vel negligentia factum fuisse putes, ut ad te tam sero scriberem, deque meis rebus certiorem facerem: quod me primo quoque tempore facturum receperam. Nam me tua vel singularis virtus, vel perspecta humanitas ita nuper cepit, officiisque demeruit, ut tui et tuorum in me meritorum oblivisci sine crimine non

Digitized by Google

non possim. Accedit studiorum communitas, magna benevolentiae inter viros probos conciliatrix. Non igitur oblivio aut alia mea culpa, sed incommoda valetudo litterarum officium tardavit, quam invaletudinem tum ex longi, et, ut opinor, totius Hispaniae difficillimi itineris labore, tum ex temporis inusitate saevientis injuria contraxi. Nam ex Baeturia mense Martio multorum dierum serenitate subinvitante, et falsam diuturnioris tranquillitatis spem injiciente profecti, Orospedam montem intravimus, diuque frequentibus collibus magna molestia, et multis fluminibus atque torrentibus, qui propter pluvias statim consecutas plenis alveis defluebant, trajectis, processimus, et per Guadalupum oppidum in agrum Placentinum venimus, ut Carolum Caesarem longo quatuordecim annorum intervallo viserem (tamdiu enim abfuerat ab Hispania) et venerabundus ad eum secessum salutarem, quem ipse sibi ad radices ejusdem Orospedae, qua meridiem et occidentem solem spectat, opportuno loco, amaeno et salubri ad vitam privatam peragendam delegerat: ubi tibi quoque magna fuerit studiorum occasio, cum te occupationibus et officio, quod eidem Carolo familiarissime tribuis, relaxaveris.

Sed redeo ad itineris aerumnas, quo repetito, cum a vobis, Caesare salutato, discessissem, proximum jugum arduum ut nosti, per frequentissimos ad iter molliendum ingeniose ductos et reductos anfractus ingenti labore conscendimus: ut est ea viae pars praemio quidem longe dispar, sed difficultate illi non absimilis, de qua meminit Hesiodus, quae ad virtutem in celsissimo positam, et felicitatem ducit. Μακρὸς δὲ, inquit, καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτην, καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. Atque utinam conscensus tantum fuisset

set laborioſus, et non majore etiam moleſtia deſcendentibus fuiſſet laboratum, et per medium ſummumque montem trepidatum. Eſt enim jugum illud, ut initio in ſublime directum, ſic poſtremo praeceps, nec, ut ad virtutis ſublimem ſedem difficili et multi ſudoris via cum proceſſeris, ſic cum pari labore in Oroſpedae jugum evaſeris, Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπήπερ ἐοῦσα. Sed ſemita magis quam via inaequalis excipit et ſalebroſa, molliter illa quidem per glacialia cacumina declivis, lubrica tamen, utpote latioribus petris ſtrata, et quae diu per capita et marginem magnorum praecipitiorum ducit, unde in ima fluenta per celſiſſimas crepidines et abrupta ſaxa deſpectus ipſe horrorem nobis incutiebat. Ad ſummam ea locorum facies objiciebatur, in iis itineris anguſtiis et iniquitate verſabamur, ut, omiſſis jumentis, octo circiter millium ſpatium pedites conficere praeoptaremus. Accedebant imbres niveſque decidentes, quibus ſubinde laceſſebamur. Itaque aſperrimis ſaltibus ingenti labore tranſmiſſis fatigati et male accepti, vix Albam, deinde Salmanticam proceſſimus, ubi paucis diebus apud Jacobum Neylam Canonicum Salmanticenſem veterem amicum quieti datis, ab eoque magnifice et indulgenter habiti, Bletiſam presbyteratus mandati mihi ſacerdotii ſedem pervenimus; nihil dum temporis ſaevitia ſeſe remittente, quae has citra Oroſpedam regiones ab ineunte menſe Martio ad hunc uſque diem, qui non procul abeſt a ſolſtitio, pluviis et frigoribus tam pertinaciter praeter naturae morem infeſtavit, ut ne uno quidem die hoc toto tempore ſerenum ac ſudum caelum homines viderint. Tot igitur, tantiſque incommodis homo id aetatis, ſeptimum annum agens et ſexageſimum, cum par eſſe non poſ-

sem, incidi paulatim in morbum, non acutum illum quidem, nec tam vehementem, ut me prosterneret, et in lecto contineret, molestisimum tamen, et qui me dies et noctes infestaret, humore, qui fuerat in caput contractus, in fauces, interdum etiam ad interiora continenter distillante, unde aspernatio ciborum consecuta me vehementer debilitavit.

Haec apud te pluribus fortasse quam oportuit, commemoravi non invitus, tum ut tecum diutius loquerer, quod libentissime facio, tum quia, sedata tempestate, jucunda esse solet in portum devectis haustorum laborum recordatio. Ceterum cum emergens morbo convalescere coepi, me ad pristina studia, in quibus solis adquiesco, retuli, sed timide et parce. Ac primum omnium Jo. Sleidani commentarios lectione percurrere placuit, quos Ludovicus Avila noster, religiosorum equitum ex Alcantara praefectus, ut te praesente receperat, nuper ad me misit ea conditione, ut perlectos statim remitterem, quos mihi usui esse posse ambo mihi vere confirmastis, ad ea recognoscenda, quae ipse de rebus Germanicis conscripseram. Itaque in hujus commentariis, dum per valetudinem licet, lectitandis, etiam nunc libenter versor: non quod mentem ejus probem (nam qui possum impio novarum rerum studio depravatam?) vel stilo delecter parum culto, et a veterum et probatorum scriptorum nitore et puritate procul abhorrente, sed quia in commemoratione rerum hac aetate ad illas regiones gestarum, quarum quaedam mihi longissime remoto non satis erant exploratae, diligentissimus fuisse videtur, nisi quod in iis collocandis ac digerendis nimiam quamdam et ineptam atque molestam suum cuique particulae tempus

pus

Digitized by Google

pus reddendi et annotandi diligentiam affectavit. Nam saepe quae uno loco tradi et poterant et debebant, haec ipse minutatim concidit et longis intervallis dispergit, quo fieri necesse est, ut lectoris animus ad exitum, ut fert natura, properantis, anxius reliquarum partium desiderio pendeat. Itaque longum est et laboriosum singula negotia ex his commentariis perdiscere. Idem in contentionibus perturbatae religionis, et eorum consiliis ac machinis commemorandis, qui pios Caroli Caesaris de ecclesiastica concordia, et publica Christianorum pace concilianda conatus impedire ac frustrari per summum scelus nitebantur, multus est, atque adeo nimius; in ceteris vero partibus parum operae consumit. Certe Terovennae dirutae Hesdinique recepti historiam, cujus praetermissae culpam vos mihi ut crimen et insignem negligentiam objiciebatis, ille quinque aut sex versiculis absolvit. Quo magis nobis enitendum est, ut res tanta, quantam vos fuisse dicitis, scriptis nostris pro dignitate, si qua facultas erit, celebretur. Quo tuum de illius belli commentario promissum atque receptum cupidius exspecto.

Haec cum scriberem, Valdolitum propediem cogitabam, quo cum pervenero, te certiorem faciam. Vale ex Ledesma, quam veteribus Romanis *Bletisam* fuisse repertorum lapidum inscriptiones declarant. Kalend. Junii. Anno Christi nati M.D. LVII.

Digitized by Google

EPISTOLA X.

ARGUMENTUM.

Jacobum Neylam Juris Pont. Doct. rogat, ut librum epistolarum accurate excudendum curet.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
JACOBO NEYLAE, JUR. PONT. D. CANON. SALM. S. P. D.

EPistolarum librum, cujus editionem aliis quoque doctis et gravibus amicis efflagitantibus, sed te maxime, cujus judicio id tribuo quod paucissimis, adhortante, maturandam statui, tibi mitto, ut Salmanticae, quemadmodum convenerat, excudendum mandes. Tuum igitur erit curare, ut bonis characteribus quam emendatissimus exeat. Quod ita demum fiet, si in tuis magnis occupationibus (scio enim quanto onere rerum tibi pro tua magna doctrina, prudentia et gravitate in ista Salmanticensi Ecclesia injunctarum premi soleas) tamen aliquid temporis impertiri huic negotio non gravaberis. Quod ut suscipias, oro, ut Romae in dirigenda et emendanda impressione ejus libri fecisti, qui clericorum consuetudine *Breviarium Romanum* appellatur, propterea quod formulas Deum Christum Romano more precandi continet: quem librum Quignonius Cardinalis patronus noster te potissimum administro et adjutore χάμῳ συμπράττοντος Clementis septimi Pontificis Maximi voluntate confecerat; itaque non rudis ejus artificii ad negotium accedes. Intelligo me tibi onus imponere molestum et negotiosum, nec satis auctoritate tua dignum, si ipsum per se suisque momentis et ponderibus existimetur: sed multa munia, quod ipse non ignoras, et maximi philosophi testantur, per se magnorum

rum virorum consuetudine et dignitate aliena sunt, quae tamen honeste et cum egregia sua laude ab eisdem, vel reipublicae, vel amicitiae causa temporibus suscipiuntur. Quod officium ut sponte subire saepe laudi datur, sic ab amicis petere necessitate aliqua inductum, ingenui animi est, et hominis amicissimi, qui quod amico ipse non gravate praestaret, id ab eodem pro mutua voluntate poscere non dubitet. Quamquam amicorum non indoctorum scripta emendare, quod ego tibi libenter in meis permisi, et excudendi munus scite et prudenter, quod paucis datum est, dirigere, non est vulgaris facultatis, sed egregiae doctrinae et singularis industriae. Vale.

EPISTOLA XI.

ARGUMENTUM.

Conatur Artheagae persuadere, ut Fortunio Garsiae consulat, ne in Hispaniam recedat, ob varia quibus cariturus esset si Garsia careret, quem laudat propter plurima in Jure praeclare praestita, confertque sub finem Cantabros cum Cordubensium conatibus in toga sagoque.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA

JACOBO DE ARTEAGA COLLEGAE SUO, J. U. PROFESSORI DOCTISSIMO, S. P. D.

AUdio Fortunium nostrum in Hispaniam velle proficisci, jamque sarcinulas, quod ajunt, colligere: et acerbe fero. Acerbe autem, et quidem, nisi dolori nimis indulgeo, causatissime: videor enim mihi facturus gravem jacturam, si ejus viri consuetudine fructuque orbatus fuero, quem mihi et morum et studiorum sanctissimum velut exemplar proposueram, atque ita proposueram, ut tamquam vitae meae magistrum moderatoremque revere-

rer

rer. Ideoque metuo, crede mihi, ne hoc absente vivam negligentius. Fortunium, me hercle, Jacobe, ante etiam, quam ipsum viderem, ex nomine tantum diligebam, animoque observabam. Diligo enim studiosos, eruditos etiam observo. Nunc autem cum penitus ac familiariter introspexi, diligo, observo et admiror. Tunc enim audieram, id quod esset, hominem esse litterarum studiis addictissimum consecratumque, acri, flexibili, multiplici ingenio praeditum, quam acriter, quam subtiliter, ad summam, quanta cum sua Hispaniaeque gloria mille quingentas *Conclusiones*, lubricae et ancipitis difficultatis plenas, Bononiae primum, deinde Senis, postremo in Urbe disputasset, haec, inquam, constanti omnium ore acceperam. Nam quid homines eo tempore, quo ego in Italiam adventavi, nisi de Fortunio loquebantur? Videbam praeterea commentarios illos *de pactis* eruditionis remotissimae, qui jam in manus hominum exierant, Bononiae circumferri, et apud doctissimum quemque in pretio esse: nunc vero cum Caecilio dicere possum: *Magna FORTUNIUM fama praecesserat, major inventus est*. Dispeream, si scio quid in eo potissimum admirer. Etenim quae esse potest, aut in ullo umquam fuit humanitas, cujus in Fortunio proprium exemplum non reperias? Si ad mores spectes, nihil est hoc homine compositius, nihil cultius, nihil denique sui similius. Ita est gravis, ut minime sit austerus. Ita est comis, hactenus cum suis familiaritati expositus, ut tamen ipsius auctoritas gravitasque constet. Et, ut semel dicam, ita omni in re modicus, ut in eo nihil emineat, nihil tamen desideretur. Haec quidem perquam magna sunt, et quae praeter sapientem integerrimumque cadunt in neminem. Illud cer-

te

Digitized by Google

te Socraticum, quod cum sit innatum fere Cantabris (nec enim vobis blandiri est animus) indomitum nescio quid, si quando Fortunius est a quopiam, ut fit, vehementer provocatus, ac Cantabricos animos concipit, mirum est ut nihil sibi indulgeat, ut potius imperet, repugnet, moderetur; potestne magis barbari illius magistri temperantiam effingere? Jam vero in consultationibus quid gravius, quid consultius, quid denique eo circumspectius? Cujus auctoritas, quod ad me attinet, in rebus dubiis satis mihi pro ratione est. Nam quod ad litteraturam attinet, solet mihi esse admirationi, quod cum ad eum tamquam ad oraculum Pythium scholastici juvenes magna turba quotidie ventitent, nodosas abstrusasque quaestiones sciscitabundi, nihil est quod ignoret, nihil tamen temere ac sine cunctatione respondet, diversitate rationum distractus, ut plane intelligatur illud Thucydidis esse quam verissimum:

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνος.

Nihil enim se scire arbitratur, quod non a causis usque et origine ipsa repetat, dispiciat, perpendat.

Nec satis habet inter juris auctores prudentissimos quosque tractare, excutit Philosophos, Theologos non praetermittit. Sed non recte, inquies, * Theologiae Jureconsultum, idemque parum doctum sapientissime perspicere potest: ita est, non tamen verebor, meum ferre judicium, si quando cum doctissimorum virorum sententia congruit. Congruit autem, si umquam alias, maxime in admiranda Fortunii sapientia, cujus testes spero fore sem-

* Mendosus sane hic est locus, sed ita in Coloniensi editione exhibetur. Nic. Antonius *Bibl. Hisp.* novae vol. 1. pag. 303. col. 1. prope finem, epistolam hanc editam fuisse ait cum Fortunii Commentariis ad *l. Gallus* Bononiae, ut putamus, ann. 1514. quam videre nobis non contigit, ut affecto loco medicinam adhiberemus.

sempiternos *Commentarios* illos omnigena eruditione scatentes, quos proxima fetura natos, jam illum emittere velle audio, illos dico *de ultimo fine utriusque juris*, doctissimis etiam evitata materia, et de lege illa *Gallus*, vel ipsis Ulpiano Modestoque formidabili, ut ceteros praeteream sapientia non minus refertos, quos tu ceterique viri doctissimi, eidemque amicissimi, quibus suarum lucubrationum, etiam ante maturitatem, solet copiam facere, ut emittere incipiat, olim efflagitastis.

Eat nunc Juvenalis, quaeratque *Cantaber unde Stoicus*. Quamquam quis fore umquam speraret, ut apud Cantabriam illam horridam olim ac intractabilem, inter armorum strepitus Martiosque furores litterarum studiis locus relinqueretur? Atqui nostra tempestate bonas disciplinas haec gens tam religiose colit, ut de Cantabriae principatu Minerva cum Marte, ut quondam cum Neptuno Athenarum. Qua admonitione succurrit admirari pervetetem illam querelam, sed quae quotidie magis invalescit, reputantium efferam jam et exhaustam naturam nihil tam laudabile, nihil tam magnum parturire. Effetam quisque dicit naturam, quae in Martia Vulcaniaque regione tales viros generat, qualis est (ut te praeteream, qui minime gloriosus es, aliosque viros litteratissimos conterraneos tuos) Fortunius noster? Ignosce fatenti, Jacobe, nec enim possum dissimulare. Saepe mihi haec animo recolenti venit in mentem, cum sim Cordubensis, tuae Cantabriae subinvidere: certe admonitus sum, nec sine magno dolore, vecordiae Cordubensium: inter quos jam pridem nullos Senecas, nullos Lucanos, nullos Averroes cernimus, nullum denique Menam: nam cur hunc quoque inter maximos non nume-

re-

remus? Licet sint qui ita excusent, non posse Cordubam litterarum simul et armorum studia colere, Granatenses debellare, Africam Hispaniae imperio continuare, toties de Gallia triumphare, pariterque umbrae et otii, togae denique munera obire. Ad summam quae olim magnos philosophos procreasset, satis esse his temporibus magnos duces produxisse, parentem Romam vel in hoc maxime imitatam. Quae excusatio etsi ceteris satis magna videtur, mihi tamen nullam militiam litteris anteferenti non eo usque satisfacit, ut Cordubenses nullius desidiae teneri putem.

Sed, ut aliquando redeat epistola, unde profecta est, vides quantum sit in Italia Fortunii nomen, quanto cum honore Bononiae sit publice jus Pontificium professus, ut honestissima conditione fuerit a senatu Florentino in Pisanam Academiam invitatus atque adeo summopere flagitatus. Nemo est quin speret eum brevi facultatibus atque honoribus etiam atque etiam auctum iri, si, quem cepit, velit tenere cursum. Ipse vero in Reipubl. gubernationem propensus, haud tanti illa omnia putat, huc dirigit omnes animi sui commentationes, ut *Regi*, inquit, *meo deserviam*, hoc esse affirmat optimo cuique cunctis votis expetendum, Platonicum scilicet dictitans elogium: ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται. Quasi vero non secus possit patriae suae quidquam impartiri. Haec eo tendunt, ut si mecum sentis, Fortunio suadeas supersedeat hoc laborioso itinere. Sin aliter, idipsum rescribas, subjectis causis, ut Fortunii absentiam aequiori animo feram. Sed ultra modum epistolae provexit me dulcedo tecum loquendi. Quare jam bene vale.

* *EPISTOLA XII.*

JACOBUS NEYLA, JURIS PONT. DOCTOR, CANONICUS SALMANTICENSIS, LECTORI S.

CUm Jo. Genesius Sepulveda, quem ipse propter ingentem ejus doctrinam atque optimos mores colo et observo, nuper mihi hunc epistolarum librum, ut Salmanticae excudendum mandarem, misisset; ego, ut viro amicissimo et optime de me merito morem gererem, id me curaturum libentissime recepi, ac protinus dedi operam, ut liber bonis characteribus excuderetur, diligentiamque adhibui, ut correctissimus exiret. Sed quoniam partim amanuensis, qui exemplar scripserat, partim etiam typographorum incuria quibusdam in locis erratum fuisse deprehendimus, idcirco te, optime lector, hujus negligentiae admonendum esse censuimus, rogandumque, ut primum omnium ex annotatis librum tuum corrigas. Quod quo expeditius fieri, atque commodius absolvi queat, errata omnia, quae sensum turbare possent, diligenter annotata, et simul collecta subjecimus. Vale.

* Haec Neylae epistola, quae postremo conspicitur loco in editione Salmanticensi, omissa est in Coloniensi; nos eam hic retinendam duximus, tum nequid e veteribus editionibus in nostra desideretur, tum ob insigne, quo Sepulvedam Neyla mactat, elogium.

EPI-

Digitized by Google

* *EPISTOLA XIII.*

ARGUMENTUM.

Mittit Sepulveda libellum suum De fato et libero arbitrio *ad Jo. Ruisium Jo. Toletano Episcopo Cordubensi reddendum*: *seque excusat*, *quod in operis inscriptione dixerit* ad Jo. Toletanum, *non* a Toleto.

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA
PERGRAVI ADMODUMQUE REVERENDO PATRI
JOANNI RUISIO
CANONICO ET SCHOLASTICO CORDUBENSI S. P. D.

** ADmonuisti me, pater admodum observande, non sine quadam incuriae negligentiaeque meae exprobratione, ut Jo. Toletanum Episcopum Cordubensem litteris saltim, quando coram non datur, aliquando salutarem; fore namque meam epistolam optimo praesuli non injucundam, qui ut ipse diu est in studio litterarum cum laude versatus, sic eorum colloquio soleat in primis delectari, qui a disciplinis non abhorrent, nec sinistram meorum studiorum opinionem ex quibusdam meis libellis percepisset. Quod munus, tuam auctoritatem secutus, hoc ego libentius obivi, quod me ad id officium hortabaris, quod ipse jam pridem ultro praestitissem, nisi me pudor quidam parum videlicet urbanus deterruisset, ne parum pudenter agere viderer, si tanti principis graviores occupationes homo ipse alioquin ignotus ineptiore fortassis epistola in-

Zzz 2 ter-

* Quae sequuntur epistolae et praefationes accedunt nunc primum huic editioni, notatis operibus, unde sunt desumtae.

** Reperitur haec epistola ad finem libelli *De fato et libero arbitrio* primae editionis Romanae an. M. D. XXVI. 4. A reliquis omnino abest.

Digitized by Google

terpellarem. Sed hoc pudore per te prudentissimum gravissimumque auctorem liberatus, ut superioris temporis culpa officio quantulocumque majore compensaretur, visum mihi est, munusculum ei quoddam comparare, exiguum illud quidem ac tenue, sed quod utrique nostrum haud inepte convenire videatur. Quod scilicet mittentis neque minuat, ut saepe solet, tenues facultates, sitque diligentis et colentis animi non obscurum indicium, rursusque accipienti ipsa saltim novitate argumentoque placere possit, si parum auctoris ingenio commendabitur. Est enim libellus *de ſato et libero arbitrio adversus dogma nefarium Martini Lutheri de cunctorum eventorum necessitate* a nobis proxime tumultuaria opera subscisivis horis elucubratus, dum ab eo studio vacaremus, quod Clementis VII. Pont. Max. voluntate Aristoteli, ejusque Graecis enarratoribus in Latinum convertendis jampridem impendimus. Quem libellum tibi mitto, ut eum gravissimo et amplissimo praesuli reddas, et exile munus ita verbis pro cetera tua urbanitate comitateque ornes, ut ipsi aliquid esse videatur. Quod facile assequeris, si eidem, quemadmodum se res habet, quale hoc cumque est, ab eo animo, qui sit virtutum ipsius percupidus, et laudum amantissimus, profectum esse persuaseris.

Sed quoniam fuerunt ex nostris, qui mihi opus jam edere molienti paulo curiosius occurrerent admonentes, etiam atque etiam dispicerem, ne non satis commode locutus esse viderer, qui in ipsa operis inscriptione dixerim *ad Joannem Toletanum*, non *a Toleto*, contra receptam Hispanorum consuetudinem, et quam nonnullis hujus illustrissimae familiae viris dicerent esse non injucundam; nihil mirum fuerit, si ipse tituli insueta suis auribus inscri-

scriptione nonnihil commovebitur. Quod si usu venire intellexeris, tuum erit, qui patrocinium meum suscepisti, ut sic optimo praesuli meis verbis respondeas, non ignorasse me, illud plerisque nostrorum, ipsi etiam principum Albanorum familiae magis arridere; sed veterem Latinorum loquendi consuetudinem, a quibus *Cato Uticensis*, non *ab Utica*, *Voconius Romanus*, non *a Roma*, et ceteri eodem modo cognominabantur, invento praetulisse quorumdam recentiorum, qui, nescio studione rerum novarum ducti, an ut a quopiam ipsorum principum majorem aliquam gratiam inirent, nimis curiosa diligentia contra sermonis Latini rationem, discrimen, quod nullum sermo patrius agnoscit, ad claritatem ipsius familiae a civibus quibusque Toletanis velut lato clavo distinguendam excogitarunt. Quibus si hoc tam bellum videbatur, cur tandem non aliud quidpiam insigne adinvenerunt, quo eos excluderent (est enim magna turba) qui eodem cognomine nuncupantur, nec tamen in urbe Toleto nati sunt, et longissime absunt a tanta generis nobilitate? Cum igitur istorum inventum nulla ex parte probari possit, non solum, quia barbariem in sermonem Latinum inducunt, sed etiam quoniam, quod petunt, ne id quidem satis assequuntur, haud equidem me poenitet veterum, et eorum eloquentium virorum exemplum fuisse secutum, parum laborantem, quid alii in diversum statuant, quamlibet acute excogitatum. Vale. Romae, posttidie Nonas Junii.

EPI-

Digitized by Google

* *XIV.*

AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX.

JO. GENESII SEPULVEDAE CORDUB.

PRAEFATIO

in Alexandri Aphrodisiei commentaria de prima Philosophia, ab ipso e Graeco in Latinum sermonem conversa.

VEtus querela est, Clemens Septime P. M. et ea nec imprudentium hominum, nec ineruditorum quidnam sit causae demirantium, cur cum Aristotelem et Platonem summos philosophos, ac omnis philosophiae quasi parentes, antiquitas fuerit velut duo numina venerata, nemo tamen in tanta virorum Graece et Latine doctissimorum copia felicibus illis eloquentiae Romanae temporibus exstiterit, qui horum scripta divina Latinis hominibus illi aetati conveniente stilo, et perinde fideli prodere curaret, cum M. Tullium Platonis studiosissimum fuisse constet, et Aristotelica non negligenter, ut ipse profitetur, nec leviter attigisse, Brutum multos de philosophia libros edidisse, plures M. Varronem, qui habitus est Romanorum doctissimus, ut ceteri, qui non pauci connumerari poterant, taceantur. Justa mehercule demiratio, siquidem officium requirat, quod Reip. debent omnes boni vel cum dispendio existimationis suae praestare. Nam si ad eorum laudem spectet, qui ambitiosi sunt in studio litterarum, nihil fuerit profecto, quod paulo modo prudentioribus ho-

* Exstat haec epistola sub initium commentariorum Alexandri Aphrodisiei in XII. Aristotelis libros de prima philosophia, quae a Sepulveda e Graeco sermone in Latinum conversa lucem primum videre Romae anno M. D. XXVII. fol.

Digitized by Google

hominibus, eisdemque genus hoc studiorum expertis minus possit approbari: tam lubrica est, tam anceps, tam periculosa ratio, aliena scripta praeserrim de philosophia interpretandi, ut labores et molestias taceam, quae nullo in genere nec majores, nec frequentiores suscipiuntur. Nam ut exemplaria, quod perraro accidit, emendatissima contingant, tamen difficillimum est ad alterius Minervam ingenium suum examussim accomodare, et praescripta non solum sensa, sed verba etiam fideliter simul et eleganter transferre. Quae omnia si cui forte Deus, ut feliciter cedant, largiatur, nulla tamen in re major est occasio calumniandi, eadem saepe verba alio in aliam partem accipiente, et cum cetera desunt, eo confugiente invidia ad interpretis gloriam imminuendam, ut nihil esse dicat magnopere laude dignum, aliorum inventa quamlibet commode aut luculenter pronuntiare.

Tot igitur tantisque difficultatibus ab hoc scribendi genere studia hominum deterrentibus, duo principes philosophorum tamdiu Latina interpretatione caruerunt, donec ex tua, id est, Medicum familia exstitere viri, ut omnis virtutis colentissimi, sic rei litterariae percupidi, qui liberalitate sua litteris, quae jam pridem jacebant, excitatis, auctores fuere, ut viri utriusque linguae atque philosophiae doctissimi nullo discrimine, nullo labore retardati, provinciam illam difficillimam obirent. Tuorum enim majorum voluntate Marsilius Ficinus Platonis opera doctissime convertit, Joannes Argyropolus Aristotelis magnam partem commode, nec ineleganter est interpretatus, cum antea nulla ejus esset interpretatio, quae quidem tali nomine censeri mereretur, praeterquam in opere *de natura*, et *partibus ac generatione animalium*, et

Pro-

Problematis, quos libros Theodorus Gaza ad Nicolaum V. luculentissime ac felicissime fuerat interpretatus: quorum reliquias nos, quamquam non simus cum illis comparandi, pro nostri tamen ingenii exiguitate, quoad licuit, sumus, dum tibi rem gratam facere cuperemus, persecuti.

Sed quorsum haec tam multa de Aristotele ejusque Latina interpretatione? Ut desinas, pater clementissime, tu quoque, cujus voluntate atque auspiciis commentaria convertimus Alexandri Aphrodisiei in duodecim Aristotelis libros *de prima philosophia*, aliquando mirari, id quod tibi, dum mihi negotium injungeres, mirum videri professus es, quod operis tam laudati tantique auctoris hactenus interpretatio Latina fuerit desiderata: cum illud magis sit admirandum, quod opus tam arduum, tot difficultatibus implicitum, aliquem, cujus auspiciis converteretur, invenerit aliquando. Nam licet quamplurimi exstitissent, qui certe perpauci omni memoria fuere, qui hujusmodi officium Latinis philosophis praestare possent, id est, qui utriusque linguae peritiam cum philosophiae cognitione conjunxissent, quis tamen infinitum laborem suscepisset ultro? aut susceptum non saepe difficultatibus succumbens deseruisset, nullo velut numine ad opus adhortante, cujus aflatu recreatus vires deficientes subinde reciperet? Fit enim nescio quo pacto, ut quo quisque eloquenrior habetur, eo magis studiorum quaerat amaenitates. Ita cum plurimi sint, qui Graecorum historias, fabulas, dialogosque accurate in Latinum sermonem converterint, opera elocutionis capacissima, et ad quae Latine exprimenda non verba solum, sed verborum etiam sententiarumque figurae sponte suppetunt, ne unum quidem,

quod

quod sciam, reperias, de cujus eloquentia aliqua fuerit hominum opinio, qui studium operamque suam ad interpretanda Graecorum Aristotelis enarratorum commentaria contulerit. Nam Theodorus Gaza, Joannes Argyropylus, Hermolaus Barbarus, Hieronymusque Donatus, a quibus poterat hujusmodi officium exspectari, fuerunt illi quidem in physicis convertendis cum sua magna laude versati, sed ab Aristotelis enarrationibus prorsus abstinuerunt. Non quod illa putarent parum nostris Peripateticis commodi esse allatura, quae procul dubio sunt paene necessaria (pudet enim dicere quanta caecitate, quod alias testatus sum, Latine exponendis Aristotelicis allucinentur); sed quoniam viri non minus cauti, quam eloquentes aridam et jejunam materiam, et non modo facundiae reluctantem, sed quae verbis Latinis exprimi parte sui non potest, velut scopulos in alto, Cyaneaque saxa vitanda sibi statuebant, dum laudem eloquentiae, quam inde longe etiam tenuiorem, quam ex ipso Aristotele convertendo reportare poterant, affectarent.

Nec enim eos interpretum nomine dignos esse duco, qui Graecos barbara quadam fidelitate sic interpretari student, ut nullum verbum perire, aequo animo patiantur, ne ex iis quidem, quibus sermo Graecus frequenter exornatur, et verba Graeca cum suis figuris eodem ordine, quo sunt ab illis constructa, transferentes, orationem reddunt, non dico barbaram, sed prorsus, ut ita loquar, inhumanam, ad quam explicandam Oedipo aliquo, aut Apolline Pythio sit opus; quod his accidit, dum sententias ignorantes, satisfacere se interpretis officio putant, si verba etiam minutissima quaeque velut inepta superstitione consectentur. Itaque ut Jasone, cujus ductu invia

Digitized by Google

maria navigarentur, sic Clemente Pontifice opus fuit, cujus auspiciis inaccessa nostris Graecorum Aristotelis enarratorum commentaria Latinis litteris inciperent illustrari, ut hanc quoque partem studiorum Medicum clarissimae familiae mortales deberent, qui bonarum artium quidquid est in omni genere renascentium, eidem referunt acceptum.

Quo in loco universo hujus aetatis litteratorum ordini congratulari libet, quod te Pontificem Maximum nactus est, qui, cum ceteris, et prudentissimi Principis et Antistitis religiosissimi officiis diligenter ac sapientissime fungaris, hoc quoque, quod litterarum studiis debetur, studiose impartiri perseveras. Neque enim singularis haec tua in studiosos magnificentia cum maximo pontificatu exorta est; in angustiori fortuna paria summis principibus moliebaris, eaque liberalitate rem litterariam fovebas, qua pauci umquam in summo isto fastigio rerum constituti. Itaque jam tunc quosdam habebas, qui hujus aetatis res gestas accurate ac diligenter memoriae mandarent alios qui medicorum, alios, in quibus nos, qui philosophorum Graecorum commentaria Latinitate donarent. Ad summam nemo jam bene de litterarum studiis cum bono publico merebatur, quin summum sibi praesidium in tuo patrocinio positum esse cognosceret, prorsus ut per summam dignitatem nihil aliud potuerit ad animi tui magnitudinem accedere, quam ut tantundem prodesse posses, ac velles.

Ut eo igitur oratio redeat, unde me justissima gratulatio deflexerat, placitum tibi fuit, ut ab iis potissimum commentariis caperetur exordium, quibus Alexander Aphrodisieus τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Aristotelis enarravit. Cujus interpretis tanta fuit apud Graecos auctoritas, tunc cum

stu-

Digitized by Google

studia Peripateticorum vel maxime florebant, ut nemo Peripateticus haberetur, qui non esset idem Alexandreus. Nam ipsum Aristotelis opus quantas habeat commoditates ad studium philosophiae, simulque quantis tenebris sit involutum, declarant Aristotelis et Alexandri Macedonis alterius ad alterum nobiles epistolae, quorum hic cum magistro per litteras expostulavit, quod hoc *de prima philosophia* opus edidisset, cujus cognitione, quam imperio et opibus, excellere se malle profiteretur; ille respondens bono animo discipulum esse jussit: *Nam sic*, inquit, *tibi persuade, libros editos esse et non editos; a nullis enim, praeterquam qui a nobis audierint, intelligentur*. Ad hoc igitur munus obeundum, cum tibi non aliena meorum studiorum opinione praecepta, me ministro uti placuisset, voluntatem tuam secutus libenti et grato animo difficillimam provinciam suscepi, inviam scilicet et inaccessam, et quam nisi labore Herculeo obiisse non licuit. Quasi enim parum esset in ipso opere tenebrarum, quod sine controversia totius philosophiae obscurissimum est, et quod nemini, quamlibet in ipsa exercitato, non dico apte convertere, sed ne intelligere quidem liceat absque pertinaci studio et perpetuis lucubrationibus: innumera librariorum errata, quae passim scatebant, quatuor exemplaribus conferendis per laboriosum examen mihi fuerunt castiganda, tum multa exprimenda Latine, quae cum a Romanis numquam fuerint tractata, Latinis vocabulis omnino carent, prorsus ut vel novis fuerint nuncupanda, vel unius Graeci verbi intellectus multorum Latinorum circuitione explicandus. Quod ut saepe res ipsa factitare suadet ratioque Latinitatis, sic interdum tam molestum est et importunum, ut orationem, quae alias fuisset illustris, im-

Digitized by Google

plicitam reddat, et tenebris offuscet. Ita fit plerumque, ut si quis se philologis commendare studeat, philosophis parum satisfaciat: cum quibus monstris tam duro certamine depugnavi, ut saepe manus fuerim daturus, nisi cujus jussa administrarem, meminissem.

Quam memoriam subinde mihi suggerebat studiorum, quibus sese ab ineunte aetate tradiderat, fautor egregius Joannes Matthaeus Gibertus, Antistes Veronensis, vir acri ingenio, magno judicio, et cana in juvenili aetate tum prudentia, tum etiam gravitate. Hac enim recordatione viribus sumtis, pugnam tam saepe redintegrabam, donec superior mihi viderer evasisse, praeter loca nonnulla, quae librariorum incuria in omnibus, quae mihi videre contigit, exemplaribus depravata esse, non tam ingenio meo fidens asseveraverim, quam assensu Nicolai Judeci confirmatus, viri doctrina singulari exactoque judicio, et cui eruditorum consensus neminem, ut video, hujus aetatis in omnis philosophiae ac medicinae, quaecumque Graecis litteris continetur, nodis explicandis et Latine transferendis anteponit. Ego enim mihi impeditissimam quamque difficultatem non satis ante videbar explicasse, quam judicio ejus satisfecissem, cum quo talia loca saepe, dum per ipsius occupationes liceret, conferebam. Sed quorumdam pertinaciam, quae utriusque ingenio, nisi divinatio processerit, obstinate repugnavit, non dubitabat ille negligentiae librariorum assignare: quae appositis asteriscis idcirco notavi, ut, si cui forte emendatius exemplar contigerit, quibus potissimum vulneribus sanandis studia nostra in publicam utilitatem suscepta juvari valeant, sint in propatulo.

Sed me hercule lynceus erit, qui tantis in tenebris ni-

Digitized by Google

nihil offendat, seque ita gesserit, ut in varias reprehensiones non incurrat. Quae mihi eo sunt magis extimescendae, quod scio huic quoque operi paratos esse obtrectatores, qui meo nomini quacumque ratione possint, officiendi, measque cujusque generis lucubratiunculas calumniandi occasiones diligenter arripiunt. Non quod nihil in eis esse putem, quod jure valeat reprehendi (hoc enim furor esset profiteri) aut dubitem, quin pleraque fortasse sint, quae meam in convertendo diligentiam praeterierint: sed quoniam ea hujusmodi fore spero, ut nisi iis, qui sunt utriusque linguae cognitione praediti, et in philosophia exercitati, non valde in promtu sit deprehendi: ut obiter grammaticorum molestias caveam, quos etsi aequum erat, in sua se pellicula continere, tamen quoniam sibi temperare nequeunt, quominus alienas partes interdum invadant, rogatos velim, ne prius de mea interpretatione judicent, quam quod legere libuerit, intelligant, et tunc si qua inepte aut parum eleganter conversa videbuntur, experiantur ipsi eadem commodius interpretari, et culpam, si qua erit, rei, qua de agitur, difficultati fortasse condonabunt, quae lenociniis Latini sermonis penitus reluctatur, quaeque nullis verborum phaleris neque exornari, neque variari vel potest, vel debet.

Ex tribus enim infimus hic est enarratorum dicendi character, cujus decorum in simplici dictione versatur et verbis suo in genere perusitatis, cui si Graeci Aristotelis enarratores ad hunc modum cum sua laude servierunt, nos, quibus eorum scripta Latinitate donantibus non licet ab ipsorum vestigiis discedere, quis prudens accuset, quod non turgidius inflemus, nec eos orationi fucos adhibeamus, quibus comi solent tragicae rhetorum declamationes?

Digitized by Google

nes? An parum praestabit, qui non minus eleganter illorum opera Latine expresserit, quam ipsi Graece conscripserunt? Qua fiducia Theodorus Gaza, homo Graecus, se libros Aristotelis *de natura et generatione animalium* convertisse, in ipsorum praefatione profitetur. Quod ego an fuerim assecutus, judicabunt alii, ipse certe ut assequerer, quoad licuit, elaboravi, non quod sermonis elegantiae alieno in loco primam curam habuerim, profiteor enim me in hoc opere non aliam elocutionem adhibuisse, quam quae extemporanea facultate, quantulamcumque usu comparavi, mihi suppetebat; sed quoniam Graeci quoque ipsi Aristotelica enarrantes domestica et familiari dictione usi sunt, quod per mediocrem exercitationem haud magno negotio contingat: ad illud ego me omni ope comparavi: primum ut, quod te mihi aliquando praecipere memini, sermo esset Latinus quidem, sed non fucatus, nec ambitiosus: deinde ut orationem, quantum res patitur, illustrarem: tum in primis ut auctoris non modo incorruptas sententias, sed verba etiam, quatenus sermonis Latini ratio permittit, transferrem: hoc enim, quod aliis vitium videri potest, summam esse virtutem in hoc genere interpretantis, philosophi putant, qui in rebus obscurissimis non tam fidem interpretis, qui suus esse velit, sequi, quam integram facultatem sibi dari cupiunt de auctoris mente judicandi, quam tunc magis sibi contingere posse putant, si cum sententiis verba quoque, sed Latina fidelitate transferantur: quae per me ut praestarentur, pro virili conatus sum.

Ut autem lector, quem sequatur, habeat, sitque incommodo eo liberatus, quod mihi passim negotium faces-

cessebat, Aristotelis verba, quae Graece cum verbis Alexandri permista et admodum confusa sunt, Joannis Argyropoli traductionem secutus lineis quibusdam distinxi: qua diligentia effectum esse spero, ut Latinus Alexander, quam Graecus nihilo minus perspicuitatis habeat. Quod vero quibusdam in locis ab Argyropyli interpretarione abhorreamus, nequis id putet negligentia quapiam fuisse commissum, partim idcirco fecimus, quoniam ea quandoque nobis haud admodum probabatur, partim quoniam licet sententias ille recte convertisset, Alexandri tamen enarratio alia verba, aliam verborum seriem postulabat, cui enarrationi auctoris dictio nobis fuit accommodanda. Vale.

XV.

AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX.

JOANNIS GENESII SEPULVEDAE

* PRAEFATIO

In Alexandri Aphrodisiei enarrationem posteriorum librorum Aristotelis de prima philosophia.

HOc quoque in loco, Clemens VII. P. M. pauca me praefari sine, et more nobilissimorum poëtarum in medio tamquam operis cursu opem divinam, hoc est, nomen tuum implorare, quod mihi omnibus Musis, ipsoque tam multis invocato Apolline longe et verius et praesentius est. Non solum quia tu Christi Dei vicem inter mortales geris, atque ita geris, ut neglectum Dei cultum,

et

* **Praemissa est ab auctore isthaec Praefatio lib. VI. versionis suae in Alexandri Aphrodisiei enarrationem posteriorum librorum Aristotelis de prima philosophia: in eaque totis viribus contendit, ut eorum refellat opinionem, qui putabant Alexandri enarrationem librum quintum haud excedere.**

Digitized by Google

et languentem religionem cunctis rationibus ad veterem disciplinam revoces, nec sacerdotia ab indignis hominibus profanari, sacrave ab impiis violari permittas; sed etiam quoniam, quod veteres deorum maxime proprium munus esse ducebant, omnes hominibus benefaciendi occasiones diligenter amplecteris, et nullam virtutem inhonoratam, nullum honestum studium abjectum jacere sinis. Itaque tantum quemque de te sperare jubes, quantum ipse sibi ex suis virtutibus, officiis atque doctrina non improbe polliceatur.

Opus igitur, quod auspiciis tuis suscepi, hoc tantum precor, ut absolutum te et auctore et patrono dignum exeat in manus hominum. Haec enim summa est meae solicitudinis: quod si mihi contingat, haud equidem verear libro immortalitatem polliceri. Atque eo magis, quod jam mihi nullus timor relinquitur, posse huic operi famam illam vulgo absque auctore dissipatam obesse, haec divina commentaria falso titulo bonam partem Al. Aphrodisieo ascripta circumferri. Siquidem illius enarrationem quintum librum haud quaquam excedere. Quae opinio incertis, ut necesse est, ac dubiis initiis exorta tam late diffusa erat, ut nemo jam esset in Italia, qui modo Graecis scriptoribus dignoscendis paulo fuisset curiosior, cui error hic non esset in primis persuasus. Quod tunc mihi magis licuit intelligere, cum primum mihi a te hoc convertendi negotium injunctum esse increbuisset. Plerique enim, dum tibi apud me gratias agerent, quod tanti philosophi lumine Latinos homines diutius carere non paterreris, meque simul ad fructuosissimum opus adhortarentur, sed illud dolendum esse adjiciebant, quod, ceteris fere Alexandri enarrationibus amissis, ne hanc quidem

dem primae philosophiae totam retineremus. In hanc sententiam ex Academia Bononiensi amicorum litteras accepi, in hanc ex Gymnasio Patavino. Hoc mihi Romae doctissimus quisque asseveravit. Quorum consensu quamquam erat difficile non permoveri, profiteor tamen numquam me sine magna cunctatione fidem adhibuisse, propterea quod omnes sine auctore loquebantur, et memineram multos hac memoria repente Aristarchos exstitisse, qui rerum novarum cupidi facilius de totis philosophorum libris vix dum altera pagina perlecta, quam vetus ille de singulis Homeri versiculis, judicarent. Quorum temeritas ab ignaro vulgo mirum est, quam facile excepta probetur; eruditis non ante rejicitur, quam gravibus argumentis convincatur.

Quae res cum hujusmodi mihi esse videretur, ut nisi posterioribus libris, de quibus quaeritur, perlectis dijudicari non posset; ne mihi quidem ante quid sentirem testandum esse constitui, quam totum opus accuratissime considerassem. Quam provinciam cum diligenter obierim, operae pretium me facturum spero, si tibi hoc in loco, et in te cunctis philosophiae studiosis sententiam meam ei, quae tam multum invaluerat, penitus diversam causis strictis subjectis exposuero. Mihi enim quoquo versus spectanti, cum quatuor omnino rationes occurrant, quibus auctor cujusque operis de philosophia scripti dijudicari posse videatur, inscriptionum antiquitas, dicendi character, opinionum constantia, ratioque testimoniorum; tam sine controversia his omnibus Alexandro Aphrodisieo opus adjudicari exploratum est, ut non satis mirari queam illius, quisquis fuit, temeritatem, seu levitas potius est appellanda, qui tam fatuum com-

Digitized by Google

mentum tam impudenter sustinuerit evulgare. Quamquam enim de eorum exemplarium, quae numquam viderim, inscriptionibus opinari magis valeam, quam pro certo quidpiam asseverare; illud tamen testari possum, quatuor antiquissima exemplaria, quorum fidem sum in conversione secutus, Alexandri nomine sine ulla distinctione inscripta esse atque notata: prorsus ut nusquam ne suspicio quidem appareat diversorum enarratorum. Qui si duo compluresve fuissent, nihil video, cur non suum quisque nomen ascripsisset, aut hoc a librariis magis in his commentariis fuisset praetermissum, quam in *Moralium Nicomachiorum* enarratione. Cujus cum plurima pars Eustratii sit, ea tamen, quae Aspasii est, et Mich. Ephesii, sui quaeque auctoris titulo notata legitur atque distincta. Nam dicendi character, seu mavis Latino vocabulo dictionem nuncupari, tam est in utraque parte similis, ut, quod ajunt, lac non sit lacti similius. De constantia vero opinionum quid dicam? Cum non solum, quae in hoc opere ab ipso disputantur, utrobique sint consentientissima, sed etiam quaedam Alexandri dogmata, quae ab Averroë ceterisque Peripateticis celebrantur, et in aliis ipsius operibus apparent, in his potissimum libris, de quibus quaeritur, habeantur.

Venio ad testimoniorum rationem, qua maxime inscriptio supposititia convinci atque refelli poterat, siquis forte Alexandro posterior, aut ipse Alexander, quod in primis oportebat, citatus reperiretur. Constat enim post Alexandrum, qui Antonino et Severo Principibus floruit, neminem Aristotelis aliquod de philosophia scriptum enarrasse, cui non sit in ore frequens nomen Alexandri, dum ejus testimonio sententias suas confirmat, aut glo-

gloriam inde petit, quod ipse quidquam excogitaverit, quod ne ab Alexandro quidem tam oculato philosopho satis fuerit perspectum. Nam Michaël Ephesius, Joannes Philoponus, Simplicius, Amonius, quid loquuntur aliud nisi Alexandrum? Et profecto si usquam alias, in hoc maxime opere Alexandri opinio erat vel in testimonium vocanda, vel, nisi probaretur, refellenda, utpote in quo summa prope dixerim disciplinae Peripateticae versetur. Quare cum in opere toto nusquam omnino mentio fiat opinionis Alexandri, putare id a quoquam ex Alexandro posterioribus elucubratum fuisse, hominum est Graecorum enarrationes prorsus ignorantium. Fieri enim non posse, ut ad quempiam, qui Alexandrum aetate praecesserit, referatur, ne dubitari quidem potest: cum ipse in libro sexto de Alexandro Aphrodisieo philosopho, id est, de se ipso mentionem faciat, quod mihi opinari saepe venit in mentem, caput fuisse atque fontem, unde totus error emanavit. Sic enim puto, Graeculum quempiam leviculum, dum hoc opus fortasse mentis et doctrinarum expers describeret, animadvertisse, cum saepe alias in hac parte, de qua dubitatur, Alexandri nomen usurpari, tum in sexto libro mentionem fieri Alexandri Aphrodisiei philosophi, et, verborum mente non perspecta, quod reliquum est operis, Alexandro eo argumento abjudicasse, ac ceteris pro comperto enuntiasse, quo Alexandri esse nemini, qui modo sese ostendenti veritati non pertinaciter repugnet, consideratis atque intellectis verbis, non debeat in primis esse persuasum.

Atque equidem reor, Alexandrum velut praesagiente animo, dum vereretur, ne qua ratione auctor ejus operis, in quo sibi fortasse maxime placuit, ignoraretur, ex

Digitized by Google

industria nomen suum tam saepe in eo exemplis usurpasse. Sic enim sese res habet : consuevere Peripatetici , cum est aliquis nodus paulo obscurior explicandus , noti cujuspiam philosophi nomen in exemplum assumere , cum de singulis fortasse , aut singulorum partibus agitur : *Plerique igitur , ut Socrates , inquiunt , exempli gratia , vel Plato, aut Socratis materia formave , ac item Platonis.* Ut autem haec ceteris sunt familiaria in exemplis vocabula , sic Alexandro *ego* et *Alexander*. Itaque persaepe dicit *forma mea, materia mea*, et his similia ; saepe, quasi verba sua ipse exponens, *materia*, inquit , *Alexandri* , et *forma Alexandri* , scilicet ut se ipsum Alexandrum esse testetur. Et ne cui forte , quisnam hic esset Alexander , dubium esse posset , adjecit libro sexto *albus , gracilis , philosophus Aprodisieus.* Et protinus ad *me* , *meum*que revertitur. Adde quod cum Aristotelis enarratorum nullius toto in opere praeterquam Aspasii, et Sosigenis, qui fuit praeceptor Alexandri, mentio facta reperiatur , Aspasium memorat in utrisque libris , Sosigenem in posterioribus modo citat nominatim , tum appellans suum praeceptorem.

Quod siquis urgeat pertinacius negans, ut video quosdam obmurmurare , sibi posterioris partis enarrationem plane nonnullis in locis satisfacere ; quaeram ab eo , quisnam homo ipsi in cunctis satisfaciat : et cum nullum , ut certum habeo , responderit , petam ab eodem , ne vim divinam poscat in humana imbecillitate , et boni consulat, si Alexander , ut in aliis , sic hoc in loco omnes et Graecos et Latinos enarratores longe superavit.

His argumentis tam aperte istorum error detegitur , ut nemini non sit futurus illustris , nisi si cui etiam meridie sol lucere non videatur. Ut sciant omnes , quantum tibi ae-

Digitized by Google

aetas nostra hoc quoque nomine debeat, quod tales tantosque auctores velut capite diminutos in libertatem asserendos, ac variis tenebris depressos in lucem, nec eam, ut spero, malignam, cures revocandos. Vale

XVI.

AD PHILIPPUM HISPANIARUM PRINCIPEM

JO. GENESII SEPULVEDAE

In libros Aristotelis de Repub. a se conversos et enarratos,

* PRAEFATIO.

QUI de scientiarum doctrinarumque comparatione disserunt, Princeps clarissime Philippe, horum, ut arbitror, nemo, qui quidem via et ratione philosopharetur, dubitavit in earum genere, quae res agendas attingunt, civili facultati tribuere principatum. Quae licet pateat latissime, et ad omnem moralem doctrinam pertineat, proprie tamen haec esse intelligitur, qua reges et principes virique prudentes instructi leges condunt, et regna respublicasque gubernant, ut Plato docet, qui eamdem solet modo civilem, modo regiam facultatem nominare. Hanc Aristoteles octo libris, qui *Politica*, hoc est, *de Republica* inscribuntur, complexus est: atque ita persecutus, ut nihil ad summam prudentiam atque doctrinam reliqui fecisse videatur. Nam primum ut via et ratione commentatio procedat, diligenter de domo et domestica facultate, quae Graece dicitur *Oeconomica*, simulque de parandae

* Habetur in omnibus librorum Aristotelis *de Repub.* editionibus ex versione Sepulvedae, qui ad marginem Parisiensis errores typographi aliquot manu sua allevit in exemplari, quod penes nos est; unde correctiorem damus hanc editionem.

Digitized by Google

dae rei familiaris multiplici ratione disputat, et quae sit naturalis, quae artificiosa, quae honesta, quae turpis, quae naturae quoque inimica, declarat. Deinde cum tres sint status Reipublicae, qui jure laudantur, Regnum, Status optimatum, et quae communi vocabulo Respublica dicitur, quomodo eorum quisque constituatur, et per mores ac instituta conservetur, et quibus rebus vicissim pereat et labefactetur, divina quadam facultate persequitur: quod idem facit in tribus aliis generibus, tyrannide, paucorum potentia, et statu populari: quae aberrationes, et quasi peccata rerumpublicarum appellat, ut harum turpitudine atque incommodis explicatis, et artibus ac dolis, quos ad eas instituendas et conservandas callidi homines adhibere solent, expositis, contrariarum honestas et commoditates sint notiores; ac eisdem omnifariam consulendi, et cupidorum hominum et in bona republica rebus novis studentium conatibus et fraudibus occurrendi ratio magis intelligatur: tum de ratione legum ferendarum, deque earum diversitate et justitia, quae cuique Reipublicae sint salutares, quae vicissim perniciosae, quae plane ac simpliciter justae, quae pro ratione status constituti, divinitus edisserit. Nec enim in eis, quae diximus, omnibus tradendis et explicandis, jejuna oratione et aculeatis contortisque conclusiunculis usus est, ut minuti quidam philosophi solent, sed per magnam copiam et sermonis ubertatem omnia mirabili quadam et varia doctrina, praeceptisque ad omne virtutum genus ipsamque vitam beatam pertinentibus refersit tanto ingenio, tantaque solertia, ut in magna optimorum praeceptorum frequentia nihil fere tradat, in quo ad certissimam rationem non addat clara principum, gentium,

ac

Digitized by Google

ac rerumpublicarum in utramque partem exempla, saepe ex reconditis historiis sumta, altissimeque ex vetustate repetita. Haec cum ita sint, factum est tamen nescio qua fortunae sive temporum injuria, ut tam praeclarum opus interpretatione Latina, quae quidem jure nominetur, in hunc usque diem paene caruerit. Vix enim eos in numero interpretum habendos puto, qui verbum verbo inepta quadam fidelitate reddunt: nec siquis parum in philosophia et Aristotelica doctrina exercitatus, pleraque loca perperam, ut talibus necesse est, et praeter auctoris sensum convertat. Non dico si rudi hoc incultaque oratione faciat, sed etiam si se disertum esse profiteatur: cujus hominum generis ineptiae cum aliena invadunt, solent esse magis insignes. Cum igitur hujus divini de Republica operis commodiorem interpretationem animadverterem a plerisque non sine magna causa desiderari, otium ad conandum, siquid aptius hac in parte mea cura et opera posset efficere, quod ad publicam studiosorum utilitatem pertineret, jam diu mihi dari cupiebam: idque multis viris gravibus, et philosophiae studiosis cohortantibus, propter quamdam scilicet de studiis meis opinionem, quam se praecepisse dicebant ex quibusdam ejusdem philosophi libris, quos Bononiae Romaeque in mea viginti duorum annorum Italica peregrinatione Latinitate donaveram. Converteram enim duos de *ortu et interitu* libros, quatuor *Meteorologiae*: quorum alteros ad Hadrianum Pontificem Max. alteros ad Carolum Caesarem Imperatorem invictissimum patrem tuum misi: et libellos illos ad animantium naturam pertinentes, qui vulgo *parvi naturales* nominantur: praetereaque Clementis Septimi Pontificis Maximi voluntate ac jussu, doctissi-

simam Alexandri Aphrodisiensis *in duodecim Aristotelis de prima philosophia libros enarrationem*. Quae cuncta opera jam pridem emissa, in lucem prodierunt. Sed cum optatum otium, de quo dixi, diu mihi necessariae occupationes, et alia suscepta studia denegassent, nactus aliquando nonnihil laxamenti, negotium suscepi, et Aristotelis *de Republica* libros non solum e Graeco in Latinum sermonem veterum et castigatorum exemplarium fidem secutus converti, sed eorum impeditissima quaeque loca brevibus scholiis expedienda enarrandaque curavi. Quod opus ad te mitto, eo majore cura studioque elucubratum, ut qua nostrum est, hac quoque parte te dignum exeat in manus hominum. Neque vero mihi interpretanti consilium fuit, ut sententias solum more paraphrastis exprimerem, sed ut vetere meo instituto, verba etiam, quantum ratio Latini sermonis pateretur, consectarer. Nec enim meus esse, dum aliena interpretor, nec in Aristotele exprimendo Ciceronianus magis quam Aristotelicus videri volo. Magni enim refert Graecos rhetores, aut historicos Latine reddas: quorum est ut splendida et ornata oratio, sic verbis popularibus composita, perspicua et simplex, et ad popularem sensum accommodata: an philosophos, praesertim Aristotelem, qui licet virili quadam elegantia et proprietate excellat, tamen ut res tractat obscuras et vulgo ignotas, sic verbis saepe necessario utitur novis, aut populo inauditis, ceterisque doctis etiam hominibus inusitatis. Et quod veteres etiam annotarunt, obscuritatem interdum affectat, ne philosophia contemnatur, si tardis aut pigris hominibus optimarum rerum cognitio sine labore contingat. Et dubias orationes ex industria facit, quae in varios sensus trahi

pos-

Digitized by Google

possint. Quas siquis interpres in singulos contrahat, ineptissime faciat, ablata ingeniis judicandi libertate, quae non aliter relinquitur, quam si verba etiam interpres Latina tamen, non barbara fidelitate consectetur: et quam erat Graece, tam multiplicem orationem Latine relinquat. Quae difficultates faciunt, ut saepe interpres non possit Aristotelicus esse, et idem Ciceronianus: quamquam ego satis Ciceronianus mihi esse viderer, si, quod elaboravi, fuissem assecutus, ut in hoc scribendi genere plana et perspicua, quantum res patitur, oratione uterer. Res enim, de quibus philosophi disserunt, ut Cicero ipse tradit, dicere ornate velle, puerile est: plane et perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri. Idemque Cicero alio in loco, *Dialecticorum*, inquit, *verba nulla sunt publica*, Acad. 1. c. 7. *suis utuntur: et id quidem commune fere est omnium artium: aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in iis rebus tot jam saecula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur?* Quae Ciceronis praecepta satis superque declarant, qualis esse debet oratio philosophi Ciceroniani, plana scilicet et dilucida, ab omni fuco aliena, et res suis nominibus more philosophorum appellans, ut *ens* exempli gratia, *essentia*, *species* et *qualitas*, et similia non magis refugiat, quam qui de agricultura scribit *porcas* dicere, et *liras* atque *lirare*, quae propria sunt agricolarum vocabula. Ut siquis Joannis Scoti sententiam de *relationibus* explicare velit, ineptissime faciat et pueriliter, Ciceronis sententia, si verba nova, quae ille rebus novis et a se inventis imposuit, aspernetur, et spineta velit rhetoricis stragulis exornare. Cui simile faciunt, qui Aristotelica interpretantes, de verborum ornatu magis quam de

Digitized by Google

rebus soliciti, praeposteram alieno loco eloquentiae laudem pueriliter affectant, propria interdum vocabula ineptis circuitionibus explicantes, nihil aliud quam philosophiae venerandam formam, et quasi faciem fuco et calamistris ineptissime deturpantes: quorum esset tolerabilior ineptitudo, si hoc facerent salvis ejus, quem interpretantur, philosophi sententiis: nec eas passim pudendis lapsibus depravarent, ut quidam nobis adolescentibus, cujus errores dicato etiam libello taxavimus: et alii postea eamdem viam non magis, ut video, feliciter ingressi. Sed redeo ad nostram horum *de Republica* librorum interpretationem: de cujus editione jam mihi cogitanti nuntiatum est duas novas interpretationes prodivisse ab interpretibus emissas, qui se tum disertos et utraque lingua peritos, tum diu in philosophia exercitatos esse profiterentur. Quo nomine cum aetati nostrae de tanta felicitate gratularer, ac fore sperarem, ut horum industria me reliquo labore, ac edendi cura liberaret: codices nactus coepi diligenter Latina cum Graecis conferre, ut meo quoque sensu de interpretum diligentia et virtutibus judicarem. Sed, ne te teneam, non fuit longe progrediendum, ut statuerem, quantum his interpretationibus tribuendum esse putarem: tantumque abfuit, ut me a mearum lucubrationum editione deterrerent, ut fuerint potius ad edendum cohortatae, existimantem fore, ut noster hic labor Latinis philosophis tanto magis utilis, atque adeo necessarius esse videatur, cum pleraque loca a nobis illustrata expeditaque perspexerint, in quibus novi isti interpretes parum, nisi ego magis allucinor, videntes offenderunt: ac ceteros incurrere necesse est, qui alterutrum secuti fuerint, in tanta ductorum caecitate. Nec ego nunc lapsus com-

commemoro, qui possunt exemplaribus impressis assignari, quae ipsi secuti sunt multis locis depravata; sed in quibus nihil est tale, quo suam culpam transferre queant: quod facile, ut arbitror, perspiciet, siquis paulo modo doctior nostram cum illorum interpretationibus ad Graecam Aristotelis quasi libram examinare et conferre, nostraque scholia legere tanti putaverit. Non igitur dubitavimus hos Aristotelis libros *de Republica* a nobis conversos ac enarratos emittere, tuoque nomini dicare, dum te, cujus studiorum pater Carolus Augustus me adjutorem esse voluerat, colere vellem eo munere, quod esset ad studia, quae te maxime decent, ex omnibus accommodatissimum. Scio enim multos magna doctrina viros de Principis institutione, administrationeque regni libellos edidisse: tamen certum habeo, ut in reliquis philosophiae partibus, sic in hac quaestione ceteros philosophos ab Aristotele prudentia, copia et gravitate longe fuisse superatos. Quamvis igitur te tum pia patris sapientissimi provisio, tum diligens prudentium et optimorum virorum cura, quos tibi ab ineunte aetate magistros morum esse voluit, in viam, qua itur ad omne genus virtutis, induxerint; et per eam tu pro tua maxima et praeclara indole libentissime fueris progressus: tamen hoc praeclarum et prudentissimum *de Republica* opus, si legere per otium non gravaberis, plurimum, mihi crede, cum ad omnem prudentiam, tum ad regiam facultatem juvabit. Nam ut ceteras ejus multas et magnas commoditates omittam, quae sit optima Principis educatio, quae Regis dignitas, quod munus et officium, qui finis propositus, quae optima ratio civitates et populos administrandi, et se sibique subjectos mortales beatos et felices efficiendi, nusquam ab aliquo

 phi-

Digitized by Google

philosophorum nec pari gravitate et solertia traditum reperies, nec copiosius aut uberius explicatum. Vale. *

EPISTOLA XVII.

** AD PAULUM MANUTIUM.

Libros Aristotelis *de Republica* per me e Graeco in Latinum sermonem conversos et scholiis enarratos, Lutetiae Vascosanus bonis quidem characteribus anno Christi M.D.XLVIII. sed satis negligenter excusit. Hos ego nuper nonnihil otii nactus recognovi, et quaedam loca in melius mutavi. Nec solum opus multis librariorum mendis purgavi, sed indicem etiam confeci, ut studiosorum labori consulerem. Litteras in contextu, et alias his respondentes per scholia more jure consultorum disposui. Hoc opus, audio, cum primum exivit, non sine plausu ab studiosis hominibus exceptum fuisse, nunc retractatum et emendatum erit etiam fortasse gratius.

Scripserat ad me Sebastianus Leo noster, audivisse ex te, cum idem opus affirmares libenter te Aldinis tuis, id est, optimis typis diligenter mandaturum, si opus recognitum et emendatum nactus esset: qua de re cum ipse multos ante menses ad te scripserim, litterasque in fasciculo Veneti legati perferendas dederim, librumque correctum detulerim, nihil dum tamen a te litterarum acce-

* Epistolam hanc limatiorem damus, adjectis emendationibus, quas Sepulveda ipse ad oram exemplaris editionis Parisiensis alleverat: de quo diximus in auctoris vita.

** Desumta est ex M. S. codice, qui asservatur in selecta bibliotheca excellentissimi viri Emanuelis de Roda et Arrieta inferius laudandi, reperiturque inter alias Ant. Augustini, B. Ariae Montani, Ambr. Moralis, et aliorum epistolas ineditas.

Digitized by Google

cepi. Excudendi opus in Gallia occaſionem confido equidem non defuturam, mihi tamen gratiſſimum eſſet, ſcripta mea tui nominis tuorumque typorum auctoritate, tuaque diligentia exornari, modo id tibi nec moleſtum ſit, nec inutile, ut ſimul vetus noſtra neceſſitudo novis officiis renovetur. Tuum igitur erit, ut me de tua voluntate quam primum certiorem facias, ut ſi hoc tibi placere cognovero, librum ad te correctum, et cum qua dixi coronide primo quoque tempore per Venetum tabellarium mittendum curem. Vale. Cordubae Kal. Novembris M. D. LXI.

Tui studiosissimus

JOANNES GENESIUS SEPULVEDA.

Al magnifico signore M. Paulo Manucio, *impreſſor in Venetia.*

EDI-

Digitized by Google

EDITORUM MONITUM.

In selecta copiosissimaque bibliotheca excellentissimi viri ac laude omni dignissimi Emanuelis de Roda et Arrieta, Regi Catholico ab intimis consiliis, et in omnibus gratiae justitiaeque negotiis ab epistolis, asservatur Jo. Genesii Sepulvedae *Epistolarum* exemplar ex editione Salmanticensi, appictis ad marginem notulis quibusdam a Lic. Joanne Fernandez Franco, Sepulvedae ipsius concive, erudito quondam Ambrosii Moralis discipulo, cujus nonnulla exstant adhuc inedita opuscula ad Hispanas antiquitates illustrandas egregie facientia in regia Matritensi bibliotheca. Harum autem notularum vernacule scriptarum, quamvis non eo animo nec accuratione ab auctore fuerint exaratae, ut in lucem umquam prodirent, sed ut privatis suis usibus inservirent, nonnullas hic apponere non gravabimur, quod facem aliquibus Epistolarum locis praeferant. Notabimus tamen paginas et lineas nostrae editionis, quo sunt referendae.

IN PRAEFATIONE.

Pag. 75. lin. 13. *Franciscum et Jacobum* (Mendozas). Don Diego de Mendoza doctissimo caballero, que murió agora este año de 1575 muy viejo, con el qual y con fray Alonso Chacon me pone el Coronista Ambrosio de Morales en la segunda parte (*de su Coronica general de España*) en los discursos fol. 9. y con Florian de Ocampo y Antonio de Lebrixa a Don Juan de Mendoza, el qual murió desventuradamente en la Herradura, playa de Malaga.

Ibi. l. 29. *Non solum regio consilio summae ejusdem novi orbis administrationi dicato praees...* Presidente del Consejo de Indias a la sazon, y despues fue del Supremo.

IN LIBRO I.

Epist. III. pag. 80. l. 31. *Inachi Mendozae Card. jussu.* Don Iñigo de Mendoza Cardenal de Burgos, ut infra epist. V. y en los breviarios se dice este nombre, ut in prima die Februarii patet.

Epi-

Epist.VI. p.89. l.3. *Me , quem Cordubenſem eſſe ſciebas.* Siendo de Pozoblanco lugar de Cordoba en medio de la Andaluzia.

Epist. VII. p.93. l.7. *Siquid offendes mendi , ſcito me non recognoviſſe.* Mostróme el señor Doctor Sepulveda en Pozoblanco esta epistola original de Erasmo , muchos años ha , y era con poca margen arriba y en los lados, y papel muy grueso y moreno , y escripta con pluma de caña , y era mala letra , sin cerrar el papel ; y ofendióse el Doctor desta adicion , porque escribiendole a él , justo era mirar lo que escrebia.

Epist. XI. pag. 100. *Sub initium* : *Quod tam longo* , cet. Es elegantissima.

Pag. 101. lin. 13. *Nam Regibus Hiſp. legit. eſt* , i. e. *cautum legibus* , como hay capitulos de Cortes que se prosigan las historias.

Ibi. lin. 15. *Quam conditionem ... Condicion* nombraba muchas veces el señor Doctor al estado o oficio : y ansi quando yo me casé , y fui a Pozoblanco , me dixo se holgaba de mi buena *condicion.*

Epist. XV. pag. 109. l. 2. *Paulo poſt eumdem ad bellum in Turcas Vienam obſidentes ...* Allí en Viena alcanzó el Doctor al Emperador nuestro Señor , de cara del enemigo , y estaba con él en la tienda el Duque de Alva ; y excusandose el Doctor de se haber tardado en Roma , se lo agradeció S. M. y se volvió al Duque , y dixo : „Pero para lo que acá se ha hecho , poca falta nos ha hecho el Doc„tor." Oílo al mismo , porque no havian querido dar batalla , sino dilatar y esperar.

IN LIBRO II.

Epist.II. p. 112. l. 18. 19. *In patriam longo poſt tempore ...* Entonces se vino a España a Pozoblanco , y el Vicario Pero Franco mí tio lo recibió y tuvo en su casa , y le dió sitio en ella , donde hizo su casa.

Epist.III. p.115. l. 8. *Ureae.* Urreas: hay este nombre en Valencia.

Ibi. l. 16. *Alf. Petrum Caſtillegium* : Alonso Perez Castillejo de Cordoba.

Epist. IV. pag. 118. l. 27. *Debellato Charadino* : Caramami debiera ser Capitan de Galeras del Turco.

Epi-

Epist. VIII. p. 127. l. 22. *Averroe cive meo.* Aben. Ruiz de Cordoba, y aun natural de Morente decia el señor Obispo de Tuyd que era; y Ambrosio de Morales en la III. parte tracta de esto.

IN LIBRO III.

Epist. I'. p. 152. l. 11. *Petro Messiae.* A Pero Messia caballero sabio de Sevilla, el qual alaba mucho siempre a este auctor en su libro part. 3. cap. 29. A este le escrebia el Comendador Griego (Fernando Nuñez Pinciano) que no imprimiesse cosa alguna, y decia dél mucho mal, y no sé por qué.

Epist. V. p. 157. lin. antepenult. et seqq. *Quod pertinet ad aedificia, absolutis etiam timere cogor, ut constaret magna ex parte, more nostrae gentis antiquo, parietibus formaceis.* Dice esto, porque fundó el quarto principal de su casa sobre unas paredes de un huerto del Vicario Franco; y como no llevaban tal cimiento, como se requeria para el peso que despues se echó, hizo vicio el quarto, y le hizo unos restrivos que hoy tiene; y de estas *formaceas* paredes dicen hoy *formazos* a edificios. Et vide Plinium lib. 35. c. 14. aunque los nombra *formaceos.*

Epist. VI. p. 158. l. penult. *Salmanticam primam urbem Lusitaniae*: hoy lo es Ciudad-Rodrigo.

Ibi. p. 159. l. 1. *Via militaris*: el camino de la plata hoy.

Ibi. *Emeritam Augustam*: Hay mencion de ella en una ley 2. *ff. de censibus.*

Lin. 15. *Carcabosum*: Carcabuey.

Lin. 17. *Cujus inscriptionis exemplum...* Al cabo pone este * titulo. Y alli junto en el Aldea nueva vi yo otro titulo de este camino, y está quebrado, a la puerta del meson de Collazos, y dice:

IMP. CAESAR. DIVI
NERVAE. F. NERVA
TRAIAN. AVG.
GERM. PONT. MAX
TRIB. POT. PP. COS

Am-

* Llama *titulos* las Inscripciones o Lapidas.

Digitized by Google

Ambrosio de Morales dice, que M. Licinio Crasso hizo primero aquel camino siendo Pretor de España, y alega a Nebrixa que lo vido todo.

P. 460. *Collatis in singulas* (leucas) *quaternis milliariis.* Quatro millas cada una legua. Lo mismo Florian en el capitulo 2. de su historia.

P. 160. l. 25. *Pax Augusta.* Morales lib. X. cap. 36. dice que *Pax Augusta* es Beja. Beja en Portugal es por titulo que divide a ella y a Ebora, que pone Ambr. de Morales en su historia; pero aquella es *Pax Julia.*

L. ult. *Metellinensi Colonia.* Medellin; y pudose decir de Metello Capitan, y me satisface: y ansi lo dice Ambr. de Morales, y *Castra Caecilia* Caceres del mismo Cecilio Metello Consul.

P. 161. l. 10. et seqq. *Segobriga.... Sepulvega primum facta est.... postremo in Sepulvedam abiit.* Yo dixera que *Segorve*: y ansi dice ser Segorve Florian lib. 2. cap. 3. y Juan Sedeño en la vida de D. Pelayo.

P. 161. l. 16. *Emerita Augusta, et utraque civitas juris Italici.* Vide in leg. fin. *ff. de censibus.*

Ep. VII. p. 162. l. 24. *Lud. Avilae Stunicae*: Don Luis de Avila doctissimo varon.

Ep. IX. pag. 165. l. 5. *Io. Martino Siliceo.* Maestro del Principe, Obispo despues de Cartagena, y Arzobispo de Toledo.

L. 9. *Per eam precandi rationem...* Breviario debiera ser, que lo hizo el Doctor Sepulveda por mandado del Papa Clemente VII. y el Doctor Neila, y otros compañeros: de quo vide infra in Epistola CIII. (nunc lib. VII. Epist. X.).

Ep. XI. p. 167. l. 15. *Sebastiano Leoni.* Hermano del Vicario de Aguilar mi grande amigo y compañero en Salamanca, que Dios tenga en el cielo, y era el Lic. Alonso Ruiz Portichuelo, y fue en el Synodo fecho en Cordoba por Don Christoval de Roxas Obispo de Cordoba nombrado por este Synodal. Et de hoc vide infra in epistola XLIV. (nunc lib. III. ep. XIII.)

Ep. XII. p. 168. l. 16. *Pedrosae suo.* Maestro del Señor Conde de Feria Don Pedro Henriquez de Cordoba, que haya gloria.

Dddd Ep.

Digitized by Google

Ep. XIII. p. 169. l. 15. *Alfonso Porticello.* Al Vicario que es hoy de Aguilar.

Ep. XIV. p. 170. l. 11. *Alf. Guzmanno. Gothmano* dixo en un traslado que yo vi de esta epistola, quando el Doctor se la envió.

Ep. XV. p. 171. l. 7. *Fer. Pinciano.* Al Comendador Griego de Salamanca. Y no hay carta alguna suya en este libro: no sé por que. Vide aliquid epistola L. infra (nunc ep.XIX. lib. III.)

Ep. XVII. p. 177. l. 5. *Putalbanum municipium.* Pozoblanco, patria suya (de Sepulveda) y mia; pero no se puede decir Municipio, pues no tiene libre jurisdiccion.

P. 179. l. 28. *Fauces balneorum dictae.* Los Golliznes del Puerto de Baños y Gargantalaolla.

P. 182. l. 2. *Ut Mirobriga.* Porque pone a *Mirobriga*, que era en nuestra Señora del Monesterio cerca de Capilla, y pone *Mellaria*, que es hoy Fuente ovejuna, por titulos de alli; y otra *Mirobriga* hay en Castilla, que es Cibdad Rodrigo, por titulos de alli.

L. 3. et 4. *In cujus (Mirobrigae) vestigiis duo lapides nuper reperti sunt, quorum ego inscriptiones legi.* Marmoles escriptos de Mirobriga, y tengolos.

L. 4. et 5. *Oppidum illud Mirobrigensium.... non longe ab eo, quod Capillam nunc appellant.* En el sitio que llaman nuestra Señora del Monesterio, entre Chillon y Capilla; y de *Beturia* Cesar en los Comentarios *in bello Hispaniensi.*

Ep. XVIII. p. 184. l. 23. *Ego vero non solum doctissimos.... sed etiam semidoctos adhibere soleo.* Es verdad, y yo lo vi (a Sepulveda) con bachilleres, y no muy habiles, conferir y tratar sus obras.

P. 188, l. 5. 6. et 7. *Qua de re nescio quid nugarum bis paucis diebus, rudioribus fortasse non inutile futurum meditabar, scriptoque mandabam.* Ansi leía la esphera en Pozoblanco a algunas personas.

Ep. XX. p. 189. l. 15. *Jo. Quignonio*: A Don Juan Quiñones Maestre-escuela de Salamanca, y despues Obispo.

L. 25. *De Orospedae montis situ.* Orospeda mons hácia Castilla, y lo que desciende por la Sierra Segura y Martos, y Jaen y

Sier-

Sierra de Granada, y hasta Ronda, segun Strabon lib. 3.

P. 192. l. 8. *Rota littorale castellum*: Rota castillo en la costa. Creo es el del Duque de Arcos.

P. 192. l. 26. seqq. *Nam frons insulae hujus tribus nostratibus leucis, quae summa fere est centum stadiorum, abest a Sanlucare.* Cient estadios tres leguas: luego trescientos estadios está Porcuna de Cordoba, y no treinta, como está mal escrito en Strabon, pues hay nueve leguas. *Et vide infra epist. 56.* (nunc lib. IV. ep. II.)

IN LIBRO IV.

Ep. II. pag. 196. lin. 11. *Quod filius meus te praeceptorem sortitus sit.* Enseña sciencias en Roma el señor Coronista; y ansi tuvo Tullio discipulos, *ut est videre in lib. 9. epistolarum ejus in ea, quae incipit: „Cum essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipulos obviam miseram.“*

Ep. III. p. 198. l. 18. *Vaccaeorum fines.* Vacceos tierra de Campos, y tierra y Sierra de Segovia. Florian lib. 3. c. 38. y debe denotar aqui por Valladolid, donde debiera estar la Corte, que cae por alli.

Ep. V. p. 200. l. 11. *Ad serrariam.* Cerca de Herrera en tierra de Campos, y cerca de Pisuergario.

Lin. 13. *Deque bis cum viris doctis communicavi.* Nota, que aunque era muy letrado (Sepulveda), no era en esta parte exercitado tanto como otros que yo he visto.

L. 15. *TI. R.* ha de decir *TIB.* y no como aqui, que está errado; y ansi está en otra mejor impression.

L. 20. *M. I.* Alius *M. L.* et melius.

L. 22. *NERO. cet.* Estilo proprio del que se halla en Santa Maria de Linares junto a Cordoba al pie de la Sierra Morena. Y vease destos dos titulos Morales en la 2. parte en el *Discurso general* fol. 16.

P. 201. l. 9. *In via ab Emerita Augusta Salmanticam ducente.* El camino de la plata.

L. 15. seqq. Hallaronse (las dos Lapidas) en el patio de los na-

naranjos año de 1534. y hoy estan en la puerta del taller de los canteros; pero no estan aqui bien sacadas. *Vide in meo libro.* Y ha de estar ⅬXIIII. que denota ciento y catorce millas que hay hasta Cadiz, que son treinta y seis leguas, que son porque la Ⅼ de aquella figura significa dos cinquentas, a parte ante una, y otra a parte post, y desto dice Morales en la historia de S. Eulogio, *ex fragmentis jurisconsultorum in annotatione.*

P. 202. l. 5. *Numantiam circa Durii fontes.* Juan de Barrionuevo caballero sabio de Soria dice, que Paulo Orosio, dice que *Numancia* era esteril de vinos, y que ansi no puede ser Zamora, donde hay muchas viñas y mucho vino.

Ib. l. 29. *Numantia igitur*, *cet.* Es *Numancia* en Garray cerca de Soria, o alli junto, segun Florian lib. 3. cap. 43. y Ptolemeo dice ser Soria.

Ep. VIII. p. 209. l. 11. Enquinira Medico y Astrologo docto en Cordoba.

Ibi. l. 20. *Ab eo qui*, *cet.* Porque pronosticaba muchas veces Enquinira, que habia de llover, y no sucedia.

Ep. IX. pag. 211. l. 9. *Epigramma*, *cet.* Tradució el Sr. Alonso Guajardo en versos castellanos este Epigrama elegantissimamente, el qual yo tengo.

Ep. X. p. 213. l. 11. et 12. *An magnificarum aedium incendia spectare.* Dicelo por las casas de D. Juan que se quemaron.

Ep. XI. p. 214. Es elegantissima esta epistola del Señor Alonso Guajardo.

Ibi. l. 15. *Ager itaque noster octo ferme passuum millibus ab urbe distat*, *vico proximus*, *cet.* Dos leguas, y es en Trassierra, como el Sr. Pedro Guajardo de Aguilar su hijo me ha dicho: y donde dice *vico*, se entiende Tra-sierra, que es una Aldea pequeña.

Ep. XII. p. 216. l. 27. *Hoscam te*, *cet.* A Huesca que es del Duque de Alva debiera ir por Corregidor: y es philosophica epistola para jueces.

P. 217. l. 6. *Corporis dignitas*, *cet.* Era muy dispuesto este caballero (Alf. Guajardo) y ansi, preguntando el Marques de Comares

a

a Pedro Henriquez topandolo, que quien era aquel caballero, dixo: *Señor, esté es Hector.*

Ep. XIII. p. 219. l. 20. *In praedio meo Mariano.* La huerta del Gallo en la Sierra morena, *qui mons Marianus dicitur.*

IN LIBRO V.

Ep. II. p. 227. lin. 11. *M. Olivano Inquisitori.* A mi se me acuerda, quando se escribian estas cartas, y las comunicaba conmigo el Sr. Inquisidor Olivan.

Ibi. l. 25. *His addis Caji Marii testimonium.* C. Marius improbavit Graecas litteras, de quo Plutarchus in vita C. Marii, in principio: et vide Plinium, ubi Marcus Cato eas detestatur. Et de oratione Marii vide in Jugurtino Sallustii in oratione ad Quirites.

Ibi. l. 22. *Commentarium sese habere profitebatur.* Tenia Caton libro con que curaba su casa: *de quo Plutarchus in Catone Censorio.*

Ep. VI. p. 245. l. 16. *De pingui sacerdotio.* Del Abadia de San Juan de la Peña, que poco gozó.

Ep. VI. p. 245. l. 28. *M. Olivano, cet.* El Señor Doctor Martin Perez de Olivan, Inquisidor que fue de Murcia y de Cordoba, y Abad de San Juan de la Peña, gran señor mio. Hizolo visitador general de Aragon Phelipe II.

Ep. VII. p. 248. l. 24. *Dicato libello.* Este libro se mandó que no se imprimiesse, y se quitaron los impressos por mandado del Rey, de que recibió grande ofensa este auctor, aunque no se condenó; pero mandaron que cessasse, como quien dice: Buen hombre es fulano, pero no queremos que lo sepa nadie, como me dixo a mi el auctor hablando de esto.

Ep. VIII. p. 250. l. 9. et 10. *Itaque libellum, cet.* Con todo no se consintió, y se mandó hundir, y yo lo vi en Salamanca.

Ibi. l. 21. *Antonio Honcalae*: Canonigo de Avila doctissimo, y escribió sobre el Genesi.

Ep. XII. p. 257. l. 6. *Laurentio Carvajali*: Don Lorenzo de Carvajal, hijo de Don Francisco de Cordoba, Señor de Guadalcazar, al

qual

qual yo traté familiarmente en Salamanca.

Ep. XV. p.260. l. 7. *Antonio Cordubae.* Debe ser Don Antonio hijo de la Señora Marquesa de Priego, que fue Prior en la Iglesia de Cordoba.

Eg. XVII. p. 267. l. 18. *Sebastiani Leonis*, Hermano de Alonso Ruiz Portichuelo.

IN LIBRO VI.

Ep. II. pag. 283. lin. 8. *Gonzalo Peresio.* A Gonzalo Peres Secretario del Reyno de Aragon, doctissimo varon, cuya libreria tuvo Ambrosio de Morales.

Ep. III. p. 287. l. 10. *Francisco Argoti*: A Don Francisco Argote, Corregidor que fue de Jaen.

Ibi. l. 23. *Sed mihi*, *cet.* Mas al fin se mandaron recoger los libros del Doctor que trataban de *Bello justo Indico*, y que no pareciessen: y ansi Don Iñigo de Cordoba, caballero de Granada, siendo Corregidor de Salamanca el año de 1550. los juntó de los libreros y de otras partes, y tractando de esto el Doctor conmigo en Pozoblanco dixo: que era como lo que dicen: Buen hombre es fulano, mas no lo sepa nadie.

Ep. VII. p. 292. l. 7. *Strabo Cordubam Marcelli opus esse scripsit*, *cet.* Strabo lib.3. y no dice alli *Marcelli opus*, sino *Marcelli aedificium*.Dice Zamalloa lib.6. cap.20. que 50. años antes del Nacimiento de nuestro Salvador; y ansi hay en aquel año Consul Marcello en los Anales. El Señor Ambrosio de Morales dice otro *in libro Divi Eulogii* pag. 124.

Epist. X. p. 300. l. 21. En la ultima palabra está añadido AN. LXXXIIII. y al pie la nota siguiente: *Ochenta y quatro años pusieron*, *o mejor ochenta y dos* despues, porque el año de 55. quando escribió al Arzobispo de Sevilla, que es la carta siguiente, dice que fue su climaterico de 63. y murió dia de Santa Catalina año de 74.

Ibi. p. 301. l. 6. *Putalbani municipii.* Municipio nombra a Pozoblanco, y ojala lo fuera, pero es sujeto a Cordoba.

Ep. XI. p. 303. l. 7. *Tamen non defuerunt ex amicis*, *cet.* Yo le

es-

Digitized by Google

escribí una carta Latina al Sr. Doctor Sepulveda, en la qual le referi esto, y ansi lo pone él aquí.

Pag. 304. l. 11. et 12. *Pridie Nonas Martii*, *cet.* Yo le escribí por Septiembre de 74. como en mi libro parece por la epistola que fue 10. meses antes, mas 7. menos.

Ep. XIII. p. 306. l. 11. *Praeter hunc.* Este era un Arzobispo de Chiapa frayle Dominico.

Ibi. p. 307. l. 6. *Sed quaedam*, *cet.* Tuvo tres mil ducados de renta de pensiones y beneficios, y de salario real.

IN LIBRO VII.

Epist. I. pag. 313. lin. 14. *Petro Serrano.* Abad mayor y Canonigo de Alcala, natural de Bujalance, hoy Obispo de Coria meritissimo.

Ep. VII. p. 347. l. 6. *Gaspari Castro.* Gaspar de Castro beneficiado de Ledesma, gran señor y amigo mio, cuyas cartas tengo, y fui su huesped.

Ibi. l. 8. *Ledesmae.* Bletissa se nombró por titulo de allí en la Iglesia, donde dice: *TERMINVS AVGVSTALIS INTER BLETISSAM, MIROBRIGAM ET SALMANTICAM.*

Ep. VIII. p. 350. l. 6. *Jacobo Symanchio.* Este debe ser agora el Obispo de Badajoz Don Diego de Simancas: y lo es, porque en esta carta dice (Sepulveda) ser hermano del Arcediano de Cordoba.

Ep. IX. p. 352. l. 19. En Yuste al pie de las sierras y puertos de Gargantalaolla.

Ep. IX. p. 355. l. 24. Está la piedra a las espaldas de la capilla mayor de Ledesma, y pusela en la epistola VII. lib. VII.

Ep. X. p. 356. l. 18. *Ut Romae*, *cet.* Que lo hicieron ellos ambos por mandado del Papa.

Digitized by Google

INDEX
AUCTORUM QUIS, CUI ET QUOTIES
SCRIBAT COMMONSTRANS.

A

ARgoti (Franciſco) epiſt.III. *Epiſtola*, lib. VI. pag.287. VI. *Pergrata*, pag. 289. VII. *Patriam*, pag. 291.

Arteagae (Jacobo) Collegae ſuo, ep. XI. *Audio*, lib. VII. pag. 357.

Auguſtino (Antonio) S. Palatii cauſarum Auditori, ep.VII. *Jure*, lib.V. pag. 248.

Auguſtinus (Antonius) ep.VIII. *Summam*, lib. V. pag.249.

Auſtriae (Leopoldo) Epiſcopo Cordubenſi, ep.VIII. *Agellum*, lib. VI. pag. 293. IX. *Paucis*, pag. 398.

Avilae (Ludovico) ep. IV. *Commentarios*, lib. II. pag. 118.

Avila (Petrus) Navarum Marchio, ep. VII. *Vetuſtiſſimus*, lib. III. pag. 162. VIII. *Accepi*, pag. 163.

C

Cardillus. Vide *Villalpandeo*, et *Villalpandeus*, *Villalpandus*.

Cano (Melchiori), ep. *Ego te*, pag. 1. ep. *Accepi tandem*, pag.40.

Canus (Melchior), ep. *Litteris tuis*, pag.21. *Litteris tuis*, pag. 23.

Carvajali (Laurentio) ep. XII. *Ex litteris*, lib. V. pag. 257.

Carvajali (Ludovico) Franciſcanorum monacho ad Baeticam praefecto Provinciali, ep.XIII. *Pergratum*, lib. IV. pag. 219.

Caſtro (Gaſpari) ep.VII. *Magnos*, lib. VII. pag. 347.

Clementi VII. Pont. Max. ep. XIV. *Verus*, lib. VII. pag. 266. XV. *Nolo quoque*, pag. 375.

Colineo (Simoni) Librario Pariſienſi, ep.X. *Scripsi*, lib.III. pag. 166.

Contareno (Gaſpari) S. R. E. Card. ep. XII. *Cum*, lib.II. pag.133. XV. *Quod*, pag. 141. XVI. *Scripſeram*, pag. 146.

Contarenus (Gaſpar) Cardinalis, ep. XIII. *Accepi*, lib.II. pag. 137. XIV. *Nullo*, pag. 139.

Corduba (Joannes) Eccleſiae Cordubenſis Decanus et Ruti Abbas, ep. VI. *Litteras*, lib. VII. pag. 343.

Cordubae (Antonio), ep.XV. *Gratulor*, lib. V. pag. 260.

Cordubae (Joanni) Eccleſiae Cordubenſis Decano, ep. V. *Nuper*, lib. VII. pag. 340.

E

Eraſmo (Deſiderio) Roterodamo, ep. I. *Antapologiam*, lib. I. pag. 77. III. *Accepi*, pag. 79. IV. *Jam*, pag. 81. VI. *Mirer*, pag.86. VIII. *Quam*, pag.93.

Eraſmus (Deſiderius) Roterodamus, ep. II. *Librum*, lib. I. pag. 78. V. *Nihil*, pag. 84. VII. *Excuſabilius*, pag.90.

F

Florido (Franciſco), ep.IX. *Accepi*, lib. II. pag. 128.

Fernando (Jacobo), Graecarum litterarum in Academia Salmanticenſi profeſſori, ep. XII. *Quae*, lib.VI. pag. 804.

Gi-

G

Giberto (Joan.Matthaeo), ep.IX. *Epiſtola*, lib. I. pag. 97. X. *Binus*, pag. 99. XI. *Quod*, pag. 100.

Gibertus (Joan. Matthaeus), ep. XII. *Etſi*, pag. 103.

Guajardo (Alfonso), ep. VI. *Accepi*, lib. IV. pag. 204. VII. *Invidere*, pag. 205. VIII. *Gratiſſima*, p. 209. IX. *Quod*, pag. 210. X. *Miraris*, pag. 212. XII. *Pergratum*, p. 216.

Guajardus (Alfonsus), ep. VI. *Cum mihi*, lib. IV. pag. 214.

Gusmano. Vide *Nugno*.

Gusmanus. Vide *Nugnus*.

Gusmano (Alfonso), ep. XIV. *Chirographum*, lib. III. pag. 170.

H

Honcalae (Antonio) Doct. Theol. Canon. Avelensi, ep. IX. *Epiſtolam*, lib. V. pag. 250.

J

Joanni (Honorato), ep. V. *Dederam*, lib. III. pag. 156.

L

Larae (Manrico) Duci Najarensi, ep. XIV. *Volebam*, lib. IV. pap. 221.

Leoni (Sebastiano), ep. XI. *Pergratum*, lib. III. pag. 167.

Lucena (Ludovicus), ep. XI. *Pergratum*, lib. V. pag. 255.

Lucenae (Ludovico) Artium et Med. Doct. ep. X. *Quotidie*, lib. V. pag. 251.

M

Majo Vicecancellario Aragoniae, ep. III. *Vereor*, lib. III. pag. 153.

Malinaeo (Guilielmo), ep. IX. *Nolim*, lib. VII. pag. 351.

Manrico (Roderico), ep. VIII. *Ex litteris*, lib. II. pag. 126.

Marchesiae Zeneti, ep. I. *Ave*, lib. III. pag. 150.

Matthaeo. Vide *Giberto*.

Matthaeus. Vide *Gibertus*.

Mendozae (Inacho) Episcopo Burgensi, ep. I. *Graviſſimus*, lib. II. pag. 110. II. *Incolumem*, pag. 111. III. *Ne meum*, pag. 113.

Messiae (Petro), ep. II. *Epiſtola*, lib. III. pag. 152.

Metinae (Michaeli) Monacho Franciscano, ep. 4. *Nihil*, lib. VII. pag. 331. IV. *Magna*, pag. 336.

N

Neyla (Jacobus), ep. XII. *Cum*, lib. VII. pag. 362.

Neylae (Jacobo) Juris Pontificii Doctori Canonico Salmanticensi, ep. XIII. *Epi*, lib. VI. pag. 305. X. *Epiſtolarum*, lib. VII. pag. 356.

Nugno Gusmano (Ramiro), ep. I. *Joannes*, lib. IV. pag. 194.

Nugnus Gusmanus (Ramirus), ep. II. *Magnos*, lib. IV. pag. 195.

O

Olivano (Martino) J. U. D. Inquisitori Apostolico, ep. I. *Commentarium*, lib. V. pag. 225. II. *Scribis*, pag. 227. IV. *Pergrata*, pag. 237. V. *Epiſtola*, pag. 240. VI. *Incolumem*, pag. 235.

Olivanus (Martinus) J. U. D. ep. III. *Poſteaquam*. lib. V. pag. 234.

P

Pedrosae, ep. XII. *Pergrata*, lib. III. pag. 168.

Digitized by Google

Peresio (Gonsalo), ep. II. *Gratissima*, lib. VI. pag. 283.
Philippo Hispaniarum Principi, ep. VI. *Quoniam*, lib. III. pag. 158. XVI. *Qui.* lib. VII. pag. 381.
Pintiano (Fernando), ep. XV. *Perjucunda*, lib. III. pag. 171. XVI. *Libentissime*, pag. 172. XVII. *Plinianae*, pag. 175. XVIII. *Ego te*, pag. 182. XIX. *Quoniam*, pag. 185.
Pio (Alberto) Principi Carpensi, ep. XV. *Propediem*, lib. I. pag. 108.
Pio (Rodulfo) Cardinali Rom. ep. IV. *Quod*, lib. III. pag. 155.
Polo (Reginaldo) S. Rom. E. Card. ep. XIV. *Post*, lib. VI. pag. 309.
Porticello (Alfonso), ep. XIII. *Epistolam*, lib. III. pag. 169.

Q

Quignonio (Joanni) Gymnasii Salmant. Praef. ep. XX. *Vidistine*, lib. III. pag. 189.

R

Ruisio (Joanni), ep. VIII. *Admonnisti*, lib. VII. pag. 363.

S

Sepulvedae (Petro) Portionario Eccl. Cordub. ep. X. *Scripseram*, lib. VI. pag. 300.
Serrano (Petro) Doctori Theologo, ep. I. *Commentarium*, lib. VII. pag. 313. II. *Scribis*, pag. 326.
Silicaeo (Joanni Martino) Philippi Principis Magistro, ep. IX. *Tu me*, lib. III. pag. 165.
Stunicae (Alfonso) Gibraleonis Marchioni et Bellalcazaris Comiti, ep. I. *Ex litteris*, lib. VI. pag. 280.
Symanchio (Jacobo) J. C. ex Valdolitani conventus judicibus, ep. VIII. *Librum*, lib. VII. pag. 350.

T

Toleto (Francisco), ep. XI. *Litteras*, lib. II. pag. 131.
Toleto (Joanni) Episcopo Cordubensi, ep. X. *Ingentes*, lib. II. pag. 129.
Taverae (Joanni) Pontifici Toletano et E. R. C. ep. III. *Suavissimas*, lib. IV. pag. 197. IV. *Cum essem*, pag. 199.

V

Valdesio (Alfonso), ep. XIII. *Erasmi*, lib. I. pag. 105. XIV. *Accepi*, pag. 107. V. *Litteras*, lib. II. pag. 119. VI. *Accepi*, pag. 120. VII. *Egone*, pag. 123.
Valdesio (Fernando) Pontifici Hispalensi, Inquisitori Generali, ep. XI. *Nulla*, lib. VI. pag. 302.
Vascosano librario Parisiensi, ep. XIII. *Opus*, lib. V. pag. 258. XIV. *Cartam*, pag. 259.
Velasco (Petro Fernando) Friarum Duci, et Castellae Comestabili, ep. V. *Columnarum*, lib. IV. pag. 200.
Villalpandeo (Gaspari Cardillo), ep. XIX. *Ut suspicio*, lib. V. pag. 278.
Villalpandeus (Gasparus Cardillus), ep. XVIII. *Litteras*, lib. V. pag. 270.
Villalpando (Gaspari), ep. XVII. *Improbari*, lib. V. pug. 267.
Villalpandus (Gaspar Cardillus) Segoviensis, ep. XVI. *Accepi*, lib. V. pag. 264.

IN-

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARUM

SECUNDUM ORDINEM TUM IN HAC, TUM IN SALMANTICAE ET COLONIAE EDITIONIBUS OBSERVATUM.

Libri.	Editiones.			Loci et tempora.	Scriptores et ad quos scribitur.
	Matrit.	Salm	Col.		
I.	1.	1.	1.	Roma 1. April. 1532.	Jo. Genes. Sepulv. Des. Erasmo.
	2.	2.		Frib. 16. Aug. 1532.	Des. Erasm. Jo. Genes. Sepulv.
	3.	3.	2.	Roma 15. Oct. 1532.	Jo. Genes. Sepulv. Des. Erasmo.
	4.	4.	3.	Roma 23. Oct. 1533.	Jo. Genes. Sepulv. Des. Erasmo.
	5.	5.		Frib. 17. Febr. 1534.	Des. Erasmus Jo. Genes. Sepulv.
	6.	6.	4.	Roma 23. Maii 1534.	Jo. Genes. Sepulv. Des. Erasmo.
	7.	7.		Frib. 3. Julii 1534.	Des. Erasm. Jo. Genes. Sepulv.
	8.	8.	5.	Roma 13. Febr. 1536.	Jo. Genes. Sepulv. Des. Erasmo.
	9.	9.	6.	Roma 13. Febr. 1534.	Jo. Genes. Sepulv. Jo. Matth. Giberto.
	10.	10.	7.	Roma 20. Febr. 1535.	Jo. Genes. Sepulv. Jo. Matth. Giberto.
	11.	11.	8.	Bonon. 22. Junii 1536.	Jo. Genes. Sepulv. Jo. Matth. Giberto.
	12.	12.	9.	Veron. 25. Julii 1536.	Jo. Matth. Gibert. Jo. Genes. Sepulv.
	13.	13.	10.		Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Valdesio.
	14.	14	11.	26. Sept.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Valdesio.
	15.	15.	12.		Jo. Genes. Sepulv. Alberto Pio.
II.	1.	16.	13.		Jo. Genes. Sepulv. Inacho Mendozae.
	2.	17.	14.	Roma 13. Aug. 1533.	Jo. Genes. Sepulv. Inacho Mendozae.
	3.	18.	15.	Roma 4. Nov. 1533.	Jo. Genes. Sepulv. Inacho Mendozae.
	4.	19.	16.	Roma 12. Januarii.	Jo. Genes. Sepulv. Ludovico Avilae.
	5.	20.	17.	Bruxell. 15. Oct. 1531.	Alfonsus Valdesius Jo. Genes. Sepulv.
	6.	21.	18.	1533.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Valdesio.
	7.	22.	19.	Roma 5. Sept. 1531.	Jo. Genes. Sepulv. Joanni Valdesio.
	8.	23.	20.	Roma 15. Julii. 1534.	Jo. Genes. Sepulv. Roderico Manrico.
	9.	24.	21.		Jo. Genes. Sepulv. Francisco Florido.
	10.	25.	22.	1534.	Jo. Genes. Sepulv. Joanni Toleto.
	11.	26.	23.	Genua 10. Nov. 1536.	Jo. Genes. Sepulv. Francisco Toleto.
	12.	27.	24.		Jo. Genes. Sepulv. Gaspari Contareno.
	13.	28.	25.	Roma 25. April. 1539.	Gaspar Contarenus. Jo. Genes. Sepulv.
	14.	29.	26.	Roma 25. Febr. 1540.	Gaspar Contarenus. Jo. Genes. Sepulv.
	15.	30.	27.	Matrit. ut conjicimus.	Jo. Genes. Sepulv. Gaspari Contareno.
	16.	31.	28.	Matrit. 12. Junii 1541.	Jo. Genes. Sepulv. Gaspari Contareno.
III.	1.	32.	29.	Matrit. 26. Aug. 1540.	Jo. Genes. Sepulv. Marchesiae Zeneti.
	2.	33.	30.		Jo. Genes. Sepulv. Petro Messiae.
	3.	34.	31.	Valdol. 21. Sept. 1537.	Jo. Genes. Sepulv. Majo Vicecancell.
	4.	35.	32.	Valdol. 3. de Sept. 1537.	Jo. Genes. Sepulv. Rodulpho Pio.
	5.	36.	33.	4. Febr. 1544.	Jo. Genes. Sepulv. Honorato Joanni.
	6.	37.	34.	Pac. Aug. 27. Oct. 1543.	Jo. Genes. Sepulv. Philippo Hisp. Prin.
	7.	38.	35.	Arce Nav. 15. Jul. 1548.	Petr. Avila Navar. March. Jo. Gen. Sep.
	8.	39.	36.		Jo. Gen. Sep. Petro Av. Navar. March.
	9.	40.	37.		Jo. Genes. Sepulv. Martino Silicaeo.
	10.	41.	38.	Matrit. 1. Septembris.	Jo. Genes. Sepulv. Simoni Colinaeo.

Libri.	Editiones.			Loci et tempora.	Scriptores et ad quos scribitur.
	Matrit.	Salm.	Col.		
	11.	42.	39.	Put. hiber. 1. Apr. 1546.	Jo. Genes. Sepulv. Sebastiano Leooi.
	12.	43.	40.	26. April. 1546.	Jo. Genes. Sepulv. Pedrosae suo.
	13.	44.	41.	24. Januar. 1547.	Jo. Genes. Sepulv. Alfooso Porticello.
	14.	45.	42.	5. Januar.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Gusmaoos.
	15.	46.	43.		Jo. Geoes. Sepulv. Fernando Pintiano.
	16.	47.	44.		Jo. Geoes. Sepulv. Fernando Pintiano.
	17.	48.	45.		Jo. Genes. Sepulv. Fernando Pintiano.
	18.	49.	46.	Valdolito.	Jo. Genes. Sepulv. Fernando Pintiaoo.
	19.	50.	47.	Valdol. 26. Julii 1544.	Jo. Genes. Sepulv. Fernando Pintiano.
	20.	51.	48.	Corduba. 5. Decembr.	Jo. Genes. Sepulv. Joaoni Quignonio.
IV.	1.	52.	49.	Roma. 1. Aug. 1533.	Jo. Gen. Sepulv. Ramiro Nugno Gusm.
	2.	53.	50.	19. Octobris 1533.	Ramir. Nugnus Gusm. Jo. Gen. Sepulv.
	3.	54.	51.		Jo. Genes. Sepulv. Joan. Taverae.
	4.	55.	52.		Jo. Genes. Sepulv. Joan. Taverae.
	5.	56.	53.	Vaidol. 15. Julii 1545.	Jo. Gen. Sep. Petro Fern. Velaseo Friar.
	6.	57.	54.		Jo. Geoes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	7.	58.	55.	6 Octobris 1552.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	8.	59.	56.	Madritio.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	9.	60.	57.	Put. hib. 31. Oct. 1548.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	10.	61.	58.	Decembris.	Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	11.	62.	59.	30. Aprilis.	Alfonsus Guajard. Jo. Genes. Sepulv.
	12.	63.	60.		Jo. Genes. Sepulv. Alfonso Guajardo.
	13.	64.	61.	14. Februarii.	Jo. Gen. Sep. Lud. Carvaj. Fr. Mooaeh.
	14.	65.	62.		Jo. Gen. Sep. Manrieo Larae Duei Naj.
V.	1.	66.	63.	Toleto 14 Dee. 1538.	Jo. Genes. Sepulv. Martino Olivano..
	2.	67.	64.	Put. hib. 13. Die. 1547.	Jo. Genes. Sepulv. Martino Olivano.
	3.	68.	65.	Corduba 1. Aug. 1548.	Martious Olivan. Jo. Genes. Sepulv.
	4.	69.	66.	Put. hib. 1. Nov. 1548.	Jo. Geoes. Sepulv. Martino Olivano.
	5.	70.	67.	1. Oet. 1551.	Jo. Genes. Sepulv. Martino Olivano.
	6.	71.	68.	1551.	Jo. Genes. Sepulv. Martino Olivano.
	7.	72.	69.	Valdoi. 26. Aug. 1549.	Jo. Genes. Sepulv. Antonio Augustino.
	8.	73.	70.	Roma. 1. Aprilis.	Antooius Augustin. Jo. Genes. Sepulv.
	9.	74.	71.	1549.	Jo. Genes. Sepulv. Antonio Honealae.
	10.	75.	72.	1. Januarii 1549.	Jo. Genes. Sepulv. Ludovico Lucenae.
	11.	76.	73.	Roma 1. Aprilis 1549.	Ludovicus Lueena. Jo. Genes. Sepulv.
	12.	77.	74.		Jo. Geoes. Sepulv. Laurentio Carvajali.
	13.	78.	75.	Valdol. 1. Aug. 1549.	Jo. Gen. Sep. Vaseosano Libr. Paris.
	14.	79.	76.	Valdolito 7. Julii 1550.	Jo. Gen. Sep. Vascosano Libr. Paris.
	15.	80.	77.	Corduba 8. Maii 1552.	Jo. Genes. Sepulv. Antonio Cordubae.
	16.			Salmant. 24. Apr. 1553.	Gasparus Villalpaodus. Jo. Gen. Sepulv.
	17.	81.	78.	Cord. 24. Martii 1552.	Jo. Genes. Sepulv. Gaspari Villalp.
	18.			Salm. 24. Junii 1553.	Gasp. Cardill. Vill. Jo. Genes. Sepulv.
	19.			Corduba 8. Maii.	Jo. Genes. Sepulv. Gasp. Cardillo Vill.
VI.	1.	82.	79.	1552.	Jo. Gen. Sep. Alfonso Stunieae Gibr.
	2.	83.	80.		Jo. Geoes. Sepulv. Gonsalo Peresio.
	3.	84.	81.		Jo. Genes. Sepulv. Fraoeisco Argoti.
	*4. VI.	85.	82.	Corduba 6. April. 1552.	Jo. Genes. Sepulv. Francisco Argoti.
	5. VII.	86.	83.	Putal. hib. 9. Feb. 1554.	Jo. Genes. Sepulv. Fraoeisco Argoti.
	6. VIII	87.	84.	Mariao. 22. Maii 1554.	Jo. Genes. Sepulv. Leopold. Austriae.

* Pag. 289 et seq. in numero epistolarum libri VI. peccatum est, ut monemus in fine hujus tabulae.

Digitized by Google

Libri.	Editiones.			Loci et tempora.	Scriptores et ad quos scribitur.
	Matrit.	Salm.	Col.		
	7. IX	88.	85.	31. Martii 1555.	Jo. Genes. Sepulv. Leopold. Austriae.
	8. X	89.	86.		Jo. Genes. Sepulv. Petro Sepulv. Port.
	9. XI	90.	87.	6. Martii 1555.	Jo. Genes. Sepulv. Fernand. Valdesio.
	10. XII	91.	88		Jo. Genes. Sepulv. Jacobo Fern. Graec.
	11. XIII	92.	89.		Jo. Genes. Sepulv. Jacobo Neylae.
	13. XIV	93.	90.	Cord. 1. Octobr. 1555	Jo. Genes. Sepulv. Reginaldo Polo.
VII.	1.	94.	91.	Mariano 10. Maii 1554.	Jo. Genes. Sepulv. Petro Serrano.
	2.	95.	92.		Jo. Genes. Sepulv. Petro Serrano.
	3.	96.	93.		Jo. Genes. Sepulv. Michaeli Metinae.
	4.	97.	94.		Jo. Genes. Sepulv. Michaeli Metinae.
	5.	98.	95.	Put. sec. 25. Sept. 1555.	Jo. Genes. Sepulv. Jo. Cordub. Decano.
	6.	99.	96.		Jo. Corduba. Jo. Genes. Sepulv.
	7.	100.	97.		Jo. Genes. Sepulv. Gaspari Castro.
	8.	101.	98.	Corduba.	Jo. Genes. Sepulv. Jacobo Symanchio.
	9.	102.	99.	Ledesma 1. Junii 1551.	Jo. Genes. Sepulv. Guilielmo Malinaeo.
	10.	103.	100.		Jo. Genes. Sepulv. Jacobo Neylae.
	11.		101.		Jo. Genes. Sepulv. Jacobo de Arteaga.
	12.				Jacobus Neyla Lectori.
	13.			6. Junii.	Jo. Genes. Sepulv. Jo. Ruisio.
	14.				Jo. Genes. Sepulv. Clementi VII.
	15.				Jo. Genes. Sepulv. Clementi VII.
	16.				Jo. Genes. Sepulv. Philippo Hisp. Pr.
	17.			Corduba 1. Nov. 1561.	Jo. Genes. Sepulv. Paulo Manutio.

In Epistolarum ordine libri hujus VI. typographi incuria factum, ut post numerum III. statim collocaretur VI. et sic deinceps ad libri finem, omissis numeris IV. et V. Sed monendum est, nullam deesse epistolam.

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM
MEMORABILIUM, IN OMNIBUS HISCE EPISTOLIS CONTENTORUM.

A

Aegidius (Joannes) Sepulvedae aſſentitur. 81.
Agri deliciarum deſcriptio. 214. 215.
Alberti Pii antapologia. 77. 121.
Albani Ducis erga Sepulvedam voluntas. 132.
Alexandri Aphrodiſienſis commentaria in latinum a Sepulveda converſa. 126.
Amici ſaluti conſulenti num fas ſit mortem, quam vitare poſſit oppetere. 336.
Animae rationalis locus. 335.
Anni correctionis judicium. 137. Et reſponſa. 142. 143. &c.
Aprodiſiei (Alexandri) commentaria de prima philoſophia. 366. Enarratio poſteriorum librorum Ariſtotelis de prima philoſophia librum V. non excedit. 376. 377. &c.
Arcus (Michael) ſummus Theologus Sepulvedae aſſentitur. 61.
Arevali (Bernardini) opinio de bello barbarico. 242.
Argeliam navigatio infauſta. 197.
Argotis (Jacobi) mentio. 288.
Ariminenſe Concilium. 58.
Ariſtotelis librorum exotericorum judicium. 270. 271. 273. 74. 75. 76. &c. Politica et Ethica. 97. &c. Metereologica in latinum tranſlata. 108. Politica Pariſiis recudi cupit Sepulveda. 258. 259, Sententia de tranſlatione animarum in diverſa corpora. 266. 267. &c. De moribus opus. 313. Inter Beatos collocatus. 319. Locus: *Laudabile eſt inimicum ulciſci,* &c. 331. Patria 342. De Republica libri a Sepulveda converſi. 381.
Aſtigis origo. 161.
Auguſtini (Divi) interpretatio verborum divi Pauli. 30.
Auguſtini (Antonii) de bello indico ſententia. 248.
Avilae (Ludovici) Comentarii de rebus geſtis Caroli Caeſaris. 118.

B

Badajoz nominis origo. 161.
Bleſſae mentio. 350.
Bononienſe Hiſpanorum Collegium luſtratur a Sepulveda. 101.
Breviarii Romani editio per Jacobum Neylam. 356. Cordubenſis mentio. 299.

C

Cantabrorum laudes. 360.
Canus (Melchior) ſe judicii adverſus Sepulvedam auctorem non fuiſſe teſtatur. 34.
Carbajalus (Ludovicus) Sepulvedae aſſentitur. 61.
Carcaboſi columna. 159. 161.
Caroli Caeſaris ad Argeliam navigatio. 197.

Ca-

Catonis de Graecarum litterarum studio opinio. 228.
Cajetanus memoratur. 64.
Ciceronis legendi utilitas stili exercendi ergo. 167.
Climatericus annus. 303.
Coenae a Petro Fernando Velasco instructae descriptio. 221.
Columbas utrum agrestis seminibus educare jus sit. 280. 281. 289. 290.
Columellae sententia de Solstitiis. 144.
Camariensis Marchionis Sepulvedam laudantis mentio. 236.
Complutensis Academiae judicium de Sepulvedae opere. 57.
Concilii ecclesiastici cogendi necessitas. 141. 147.
Convicii vocis interpretatio. 28. 29.
Cordubae (Francisci) litterarum ad Sepulvedam mentio. 169. Inscriptiones. 201. Flagitia patrata. 213. Laudes 291.
Cordubensis agri deliciarum descriptio. 219. 220.
Cordubensium imagines. 344. Laudes. 360. 361.
Covarrubias (Antonius) familiaritate Sepulvedae conjunctus. 276.
Coscogiae vocis origo. 778.
Curtii (Petri) elogium de Sepulveda. 16. 255.
Ecijae origo. 161.

E

Emeritae nomen et origo. 159.
Enzina vox perperam interpretata. 178.
Ephesinum Concilium II. 58.
Epitaphium Sepulvedae. 300.
Erasmi elogium de Sepulveda. 15. 16. Operum loci aliquot subnotantur. 78. Laudes erga Sepulvedam. 79. Versio novi testamenti depravata. 81. Error deprehensus. 83. Responsa ad Sepulvedae objectiones. 85. Errores geographici. 88. 89. Retractatio. 91. *Ciceroniani* commendatio. 105.
Erasmus Sepulvedam frigide laudat. 106.
Ethnici Philosophi spiritualem salutem consequuntur. 316. 317. 518. &c.

F

Ferrariae inscriptiones. 200.
Ferrera (Alfonsus) Caroli Caesaris concionator Sepulvedae assentitur. 51.
Flori (Francisci) laudes Sepulvedae tributae. 254.
Floridi (Francisci) elogium de Sepulveda. 19.
Franco (Joannis Fernandez) notulae in Sepulvedae epistolas. 390.
Fraternae correptionis commentarius. 225.
Friarum Ducis mentio. 200.

G

Gallam quae arbores producant. 177. 178.
Galeni locus interpretatur. 139.
Garsiae (Hieronymi) mentio. 236
Garsiae (Fortunii) laudes. 358.
Gibertus (Joannes Matthaeus). 372.
Gibraleonis Marchionis mentio. 280.
Graecarum litterarum defensio. 227. 228. 229.
Graeci codices novi testamenti ab objectionibus Erasmi vindicantur. 89.
Guadalcazarensis Principes litterarum ad Sepulvedam mentio. 169.
Gusmanus (Joannes). 195.

Hae-

H

Haèreticos oculos puniendi jus aſſèritur. 226.
Hidalgo vocis origo. 167.
Hieronymi (Divi) interpretatio verborum Divi Pauli, 55.
Hiſtoriae conſcribendae conſuetudo apud veteres Proceres. 162. Conſcribendae difficultas. 310. 311.
Honorati Joannis mentio. 331.

I

Jeſuitarum Cordubae coenobium. 140.
Ilicis varia genera. 177. 178.
Iniquum vocis interpretatio. 27. 28. 43. 44. &c.
Injuriarum tolerantia. 11. 12. Ulciſcendarum ratio. 334. 335.
Inſcriptio columnae Carcaboſi. 161.
Inſcriptiones Mirobrigae indicantur. 182.
Inſtitutionum canonicarum liber. 350,
Jovii (Pauli) elogium de Sepulveda. 16. Laudes Sepulvedae tributae. 254.
Irae duplex genus. 53.

L

Laurentii ethymologia *convitium*. 49.
Leucae menſura. 160.
Luſitaniae itineris deſcriptio ex Valdolito. 159.

M

Melae Pomponii caſtigatio. 171.
Marci (Divi) locus exponitur. 96.
Marii Graecarum litterarum improbatio, 227. 233.
Mariani praedii deſcriptio. 293. 294. 295. &c.
Manutii (Pauli) neceſſitudo cum Sepulveda. 389.
Matthaei (Divi) locus exponitur. 96.
Maximiliani Archiducis Valdolitum adventus carmine a Sepulveda celebratur. 211.
Matrimonii commoda. 207.
Mediolanenſe Concilium. 58.
Mendoza (Martinus) Sepulvedae aſſentitur. 61.
Metellinenſis colonia. 160.
Militiae convenientia cum chriſtiana religione. 98. 99.
Milliarii menſura. 160.
Mirobrigae inſcriptiones indicantur. 182.

N

Najarenſis Ducis mentio. 221.
Navarum Marchionis in latine ſcribendo elegantia. 163.
Neyla (Diecus). 59.
Neylae (Iſidori) commendatio. 156.
Neylae (Jacobi) mentio. 255. 353. Conſuetudo cum Sepulveda. 308. Inſigne elogium de Sepulveda. 362.
Nicopolis ſitus. 91.
Numantiae ſitus. 203.

O

Oroſii teſtimonium. 203.
Oroſpedae montis ſitus. 190.
Ortiſius (Petrus) Sepulvedae aſſentitur, 61.
Ovidii locus de anno interpretatur. 139.

P

Pacis Auguſtae Luſitaniae contributa. 160. 161.
Parietes formacei. 157.
Pauli (Divi) epiſtolae ad Galatas locus per-

perperam ab Erasmo interpretatus. 83. 87. &c.
Paulus (Divus) a Sepulveda citatus. 3.
Peregrinantium incommoda. 205. 206.
Petrochae vocis origo. 177.
Petrochiensis (Thomas) Sepulvedae assentitur. 61.
Philippi Principis in Lusitaniam iter. 158.
Pintiani sequentia de saltus Pyrenaei situ. 182. &c. Pertinacia in tuenda sententia. 189.
Plinii locus reprehenditur. 124. Correctio a Pintiano. 175. Loci tres a Sepulveda emendantur. 177. Locus de Solis magnitudine. 283. 284.
Plutarchi testimonium de Aristotele. 324. 325.
Poli Reginaldi laudes. 310.
Polo Reginaldo Historiam suam Sepulveda communicat. 312.
Practica ars an praestet Theoricae. 261. 262. &c.
Pyrenaei saltus mentio. 180. 181. 182.

Q

Quintiliani patria. 341.
Quignonii Cardinalis erga Sepulvedam voluntas. 153.

R

Rabbani mentio. 32.
Roda (Emmanuelis) elogium. 390.
Romae occupationum impedimenta et otii laudes. 112. Quinque flagitia patrata. 113. &c. Ostenta observatur anno 1531. 123.

S

Sacerdotum vitia corrigenda censet Sepulveda. 133. &c.
Salmanticensis Academiae judicium de Sepulvedae opere. 57.
Salomon se ipsum laudat. 66.
Salustii mentio. 46.
Samuel se ipsum laudat. 66.
Sanctae Crucis (Dominicus) Sepulvedae assentitur. 61.
Sbaroya (Augustinus) Sepulvedae assentitur. 61.
Segobrigae origo. 161.
Sepulveda a Melchiore Cano reprehensus. 3. Melchioris Cani objectionibus respondet. 40. 41. &c. Caroli Caesaris Historicus creatur. 101. Bononiense Hispanorum collegium lustrat. 101. Frigide ab Erasmo laudatur. 106. Aetate ingravescente impeditur quominus Carolum Caesarem in Germaniam sequatur. 163. Joannis Gusmani praeceptor. 196. Se ab invidorum calumniis vindicat. 252. 253. 305. 306. 327. 328. Reginaldo Polo Historiam suam communicat. 312. De matrimonii causa difficillima consulitur. 328. Ab Inquisitoribus vocatus retentusque dicitur. 329. 330. Insigniter laudatur a Neyla. 362. Laudes ab Erasmo. 79. Adhortationes ad Erasmum. 80. Orationis ad Carolum Caesarem adversus Turcas mentio. 109. Diligentia in Caroli Caesaris rebus exquirendis. 157. Vitae in hibernis ratio. 157. Modestia. 168. Petri Sepulvedae mentio fit. 170. Sententia de Saltu Pyrenaei situ. 182. &c. Petri Martini mentio. 198. 199. Carmen in Maximiliani adventu. 211. Horti et villae descriptio. 214. 215. Certamen de bello barbarico. 238. 241. 242. Adversus Zoilos apologia. 247. 248. Liber de appetenda gloria. 291. Epitaphium. 300. Bar-

tholomaei mentio. 301. Iter difficillime ad Justi coenobium. 352. 353. Laudes a Joanne Cordubae tributae. 346. Vivendi ratio, et familia, et studia. 347. 348. Necessitudo cum Paulo Manutio. 389. Obitus. 398.
Sepulvegae municipii origo. 161.
Stunicae observationes, seu annotationes in Erasmi scholia. 78. 86. &c. Obitus et in eum epigramma. 110. 111.
Solstitiorum et aequinoctiorum ratio. 144.
Sorae (Joannis) commendatio. 154.
Sotus (Petrus) Caroli Caesaris Confessor Sepulvedae assentitur. 61.
Strabo citatus. 192.
Symanchii (Francisci) mentio. 351.
Sleidani (Joannis) commentarii. 354.

T

Theologiae studii utilitas. 173.
Theorica ars an praestet practicae, 261. 262. &c.

U

Ureniae Comitis Sepulvedam laudantis mentio. 236.

V

Valdesii studium nimium erga Erasmum. 120. Fernandi de bello barbarico opinio. 238.
Velasci (Petri) coenae descriptio. 221.
Venegas (Alexius) memoratur. 331.
Viae militaris ad Emeritam Augustam descriptio. 159.
Victoria (Franciscus) Sepulvedae sententiam contrariam tenet. 34. 35.
Victoria (Diecus) Sepulvedae assentitur. 61.
Victoria (Franciscus) memoratur. 64.
Valdesius (Fernandus) Sepulvedae assentitur. 61.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

1,112

Digitized by Google

1 /. 4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1.7.426 (vol. III)

BIBLOS
Firenze

- controllo collazione;
- restauro carta (rammendo piega, imbrachettatura, sutura di strappi e lacune): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502, 508, e 561, adese con Tylose MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "F" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- loose guard in carta giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 5 nervi di canapa singoli: fili di lino inglese, corde di pura canapa a 10 capi;
- preparazione piatti: cartone fibrato nel verso, cartoncino LC Fabriano; scarnitura dei cartoni a smussare gli spigoli ed agevolare lo snodo;
- incartonatura: foratura con punteruolo, secondo l'ordine di fori sfalsato verso il piede; scodelle eseguite con sgorbia; infilatura nervi;
- passaggio in colla del dorso: Tylose MH300p rimossa a spugna;
- stondatura del dorso;
- capitelli base naturali passanti al centro fascicoli e sotto catenella: anima in canapa, fili lino inglese ritorto;
- indorsatura: caselle in carta giapponese Vang 517, adese al dorso con Tylose MH300p 6%; caselle in cuoio naturale adeguatamente scarnito, adese su giapponese;
- preparazione della pelle: scarnitura a coltello di bordi e cuffie; pelle di capra a concia mista;
- copertura: adesione della pelle preparata con Tylose MH 300p;
- staffilatura dei nervi;
- compensazione dei contropiatti al rimbocco della pelle con cartoncino LC Fabriano;
- incassatura delle controguardie a piatti aperti: Tylose MH300p al 6%

luglio 1998

[redacted]

Digitized by Google

Digitized by Google